Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Gaius Plinius Caecilius Secundus Christoph Cellarius

C. Plinii Caecilii Secvndi Epistolae Et Panegyricvs

Editio Nova. Quasdam notulas adiecit M. Io. Christ. Herzog Con-Rect. Sch. Cir., Lipsiae et Regiomonti: apud G. L. Woltersdorfii Vidvam, MDCCLXI.

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862845467

Druck Freier Zugang

zu Cd-8287 5 Taf.

Cd-8284a



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862845467/phys_0003
DFG





C. PLINII CAECILII
SECUNDI
EPISTOLAE PANEGYRICUS
ACCURANTE
CHRISTOPHORO CELLARIO.

C. PLINII CAECILII
SECVNDI

EPISTOLAE
ET
PANEGYRICVS.

Recensuit
ac nouis Commentariis illustrauit,
etiam
INDICIBVS PLENIORIBVS
tam Rerum, quam Latinitatis
et
TABVLIS GEOGRAPHICIS
auxit
CHRISTOPHORVS CELLARIVS,
EDITIO NOVA.
Quasdam notulas adiecit
M. IO. CHRIST. HERZOG
Con-Rect. Sch. Ciz.

CVM PRIVILEGIIS.

Lipsiae et Regiomonti,
apud G. L. WOLTERSDORFII VIDVAM.
M DCC LXI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862845467/phys_0007
DFG

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

19462484.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn862845467/phys_0008
DFG

LECTORI BENEVOLO
M. IO. CHRISTIANVS HERZOG.

Sistit se hic TIBI denuo prelo liberata editio, quam Vir olim doctissimus Christophorus Cellarius studiosae iuuentuti non sine laude & fructu in manus tradidit. Textum, sicut illum ex Gruteri Modiique obseruationibus laudatus Vir restituit, & hic habes: notae eamdem referunt faciem, quodque ex indicibus tabulisque geographicis priores editiones consequutae sunt aestimium, nec huic inuidere voluimus. Deprehensum vero, quod iuuenes, proprio ductu Plinium loquentem audire cupientes, vno alteroue loco haereant. His locis lucem qualemcumque affundere laboris mei partem esse voluit bibliopola. Qua vt breuius defungerer, subterfugere passus sum ea, quae lexicorum penus depromit: resecui itidem omnem in antiquitates excurrendi occasionem, existimans, quod etiam his neglectis haec praesens editio titulum sibi vendicare possit, quem prae se ferre voluit is, cuius sumtibus curatur. Vitam Plinii, quam Cellarius adornauit, sic deprehendi, vt ex illa, quam Io. Masson concinnauit, quaedam exscribere, peruersae diligentiae opus fore iudicauerim. De cetero notularum mearum mantissae tam promtam a TE, Lector humanissime, spero veniam, quam cupidus es TVIS maculis illam postulandi. Vale.

VITA
C. PLINII CAECILII SECVNDI
AVCTORE
CHRISTOPHORO CELLARIO.

Caius Plinius Caecilius Secundus, municipio Como, ad Larium lacum in Transpadana sito, ortus fuit. Patria enim municipium erat IV, 13, 3, circa Larium lacum, quem idcirco *suum* appellat II, 8, 1 & VI, 24, 2, iuxta quem villas amoenissimas possidebat IX, 7, qui situs *Comum* abunde designat, quod *delicias suas* I, 3, 1 vocat, vt nihil de Inscriptionibus infra producendis referam, in agro & oppido Comensi repertis. Veronenses quidem ipse *suos* dixit VI, 34, 1. verum adoptionis lege, quia auunculus Plinius, adoptione pater, Veronensis fuit, vt post Onuphrii probationes vel vnus lapis, in ripa Benaci inuentus, & ab Reinesio Inscript. XI, 11 expressius, satis clare his verbis ostendit:

C. PLINI - - - VERONENSIS
- - - HISTORIARVM H. L - -

Annum, quo natus fuit, non obscure indicauit, quum Vesuuio ardente duodeuicesimum se habuisse tradit VI, 20, 5, qui Titi Caesaris primus fuit, Dione Cassio memorante. Si addis nouem annos Vespasiani, & vnum, ac quod excurrit, scenicorum principum; circiter sexto Neronis natum Plinium, & quum iste interficeretur, fere octennem fuisse apparebit. Pater C. Caecilius Comensis erat, de quo nihil reperimus, nisi quod eius gentis fuit, ex qua Caecilium poetam, tenerum sodalem suum, &

ipsum

ipsum quoque Nouocomensem, Catullus laudat carmine XXXVI: mater Plinia, C. Plinii Veronensis, qui Naturalem Historiam reliquit, soror, quae, amisso marito, in domo fratris mansit VI, 16, 4 & ep. 20, a quo filius adoptatus fuerat V, 8, 5, qui ideo in nomen *C. Plinii Secundi* successit, quum antea Caecilius esset. Patrem Caecilium mature amisit, educatus cura matris & auunculi, nec non tutoris Verginii Rufi, II, 1, 8. Studiis impense a puero addictus adeo, vt decimo quarto aetatis anno tragoediam Graecam scriberet VII, 4, 2, Liuium adolescentulus legeret VI, 20, 5, Ciceronem etiam adultus aemularetur IV, 8, 4, non contentus seculi eloquentia I, 5, 12, in cuius studio praeceptore Quintiliano vsus est II, 14, 9, & Nicete Sacerdote VI, 6, 3, ac in philosophia, praeter alios, Euphrate Stoico, quem in Syria miles audiuit I, 10, 2. Nec alienus a poesi fuit VII, 4, 2, ingenium sortitus hilare ac poeticum V, 3, 2, cuius tum alia specimina dedit, in epistolis reliqua VII, 4 & 9, tum maxime Hendecasyllaborum librum IV, 14, 8. Sic indole capacissima omnium litterarum, & inexhausto labore, id tandem consequutus fuit, vt omnes eruditi illum amarent I, 13, 6, eumque ac Tacitum pro doctissimis suorum temporum haberent VII, 20, 5 & IX, 23, 3. Recitationes inprimis vrgebat propter multiplicem vsum V, 3, 8, nec ipse solum aliis auditor frequens aderat I, 13, 6, VIII, 12, 1; sed sua quoque poemata recitabat V, 3, 7, etiam actiones seu forenses orationes II, 19, & Panegyricum Traiano dictum III, 8, 4. Orator clarissimus fuit, vt nemo facile illi praeferatur. Nam vndeuicesimo

anno dicere in foro coepit V, 8, 8, & per omnem aetatem cauſſas egit tam apud Centumuiros I, 18, 3 & IX, 23, 1, quorum iudicia *ſuam arenam* vocat VI, 12, 2, etſi indigna ſaepe eius ingenio erant II, 14, 1; quam in ſenatu nobiliores, vt contra Baebium Maſſam VII, vlt. Caecilium Claſſicum III, 4, & Marium Priſcum II, 11, ac pro Iulio Baſſo IV, 9, & Rufo Vareno V, 20, quas in ſummam collegit VI, 29, 8 ſeq. Honores geſſit ampliſſimos. Fuit enim Quaeſtor Caeſaris VII, 16, 2, Tribunus militum III, 11, 5, Tribunus plebis I, 23, 2, & P. 95, 1, Praetor III, 11, 2 & VII, 16, 2, Praefectus aerarii Saturni V, 15, 5, X, 20, 1, P. 92, 1, Praefectus aerarii militaris (de quo VII, 14, n.) *Inſcript.* Conſul III, 13, 1 & ep. 18, 1, & P. 91, Augur IV, 8, Propraetor prouinciae Ponticae conſulari poteſtate X, 77, *n. & Inſcript.* Curator aluei Tiberis V, 15, 2, *n. & Inſcription.* Matrimonium bis contraxit: de priore nihil exſtat ante viduitatem IX, 13, 4; alterum cum Calpurnia iniit, Calpurnii Fabati ex filio nepte, IV, 1, 1, quae abortum fecit VIII, 10, nec alio partu maritum beaſſe legitur: ipſa vero docta & ſtudiis exculta IV, 19, 2 & VI, 7, 1, mariti, quamquam aetate maioris, amantiſſima IV, 19, 2 & 5, ita ab amita Hiſpulla inſtituta, ibidem 1 & 6. Pater enim pridem deceſſerat V, 12, 2, cuius memoriae porticum auus dedicauit V, 12, 1, ipſe vero auus, quum in Bithynia Plinius cum vxore eſſet, mortem obiit X, 121, poſtquam ſenectutem in Transpadana exegerat VII, 16, 3. Frugalis & abſtinens Plinius fuit II, 4, 3 & ep. 6, 4. vt voluptates etiam ſtudiis condiret IX, 36, 4, & inter venandum ſtuderet I, 6,

V,

V, 18, 2, IX, 36, 6, nec vero minus diligens pater familiae, qui praedia sua mirifice tum coluit, tum aedificauit, quod de Laurentino ipse narrat II, 17; de Tuscis V, 6; de Transpadanis ad Larium IX, 7, quam industriam & aliis praediis suis, V, 6, 45 enumeratis, adhibuisse non dubitandum est. Mitis in seruos I, 4, 4, adeo vt nullos *vinctos* haberet III, 19, 7, suisque domum permitteret instar ciuitatis esse, ac peculium morte ad familiares transmittere VIII, 16, 2. Iustitiam non tam ex legum rigore, quam aequitatis modulo persequebatur II, 16 & IV, 10, redemtoribus remissiones ob sterilitatem faciens VIII, 2 & X, 24, 5. Munificus in primis, quod variis operibus ostendit. Templum enim Tifernatibus exstruxit pecunia sua IV, 1, 5, & aedem Cereris in praediis suis IX, 39, patriae sumtus partem in praeceptores publicos dedit IV, 13, 6, & ingenuis pueris alimenta annua constituit I, 8, 10, etiam bibliothecam patriae publicam dedicauit I, 8, 2. Praeterea in multos priuatos admodum liberalis, in Curianum Gratillae filium, cui legatum remisit V, 1, 10, in Voconium Firmum, cui censum equestrem suppleuit I, 19, in Martialem, quem viatico iuuit III, 21, 2, in Artemidorum philosophum, cui vrbe excedere iusso, quae Domitiani saeuitia fuit, pecuniam, qua opus erat, a locupletibus negatam, ipse mutuatus, gratuitam dedit III, 11, 2, in Quintiliani praeceptoris filiam, cuius dotem auxit VI, 32, in Corelliam, cui agrum minori pretio vendidit VII, 11, in Caluinam, cui patris debita remisit II, 4, 2. His moribus omnium bonorum beneuolentiam conciliauit, Traiani in primis, apud quem gratia valuit,

qua ad aliorum magis commoda, quam ad sua vsus est. Multa enim multis impetrauit, peregrinis ius ciuitatis X, 4 & 6, libertis ius Quiritium X, 4 & 105, Voconio Romano condiscipulo ius trium liberorum II, 13, 8, & senatoriam dignitatem X, 3, 2, Accio Surae praeturam X, 7, & aliis alia. Amicitiam cum optimo quoque coluit, etiam periculo suo, III, 11, 2 seq. maxime cum litteratis & studiorum sociis, in quibus Tacitum primo loco, & prope vnum habuit, quem e viuis aemularetur, quod paullo maior aetate erat, VII, 20, 4, quem etiam ingenio, doctrina, honoribus est adsequutus, isque vicissim tanti Plinium fecit, vt libros suos emendandos ei crederet VII, 20, 1. Hi duumuiri principatum in litteris tenuere, vt vna nominarentur, quum de studiis sermo esset VI, 20, 5, in hos coniectura ferretur, si de doctis non nominatis esset ferenda IX, 23, 3. Ceterorum amicitiae epistolis illustratae sunt. Corpore fuit imbecillo & minus robusto, quod *corpusculum* Traianus dixit X, 20, 1, & intentius caussam orantem, per libertum admonuit, vt lateri consuleret II, 11, 15. Aliquando lippitudine laborauit VII, 21, 1, honestissimis caussis, lucubrationibus contracta, quibus & ceterae imbecillitates maiorem forte partem imputandae sunt. De morte nihil certo constat: simile autem vero habetur, per plurimum imperii Traiani tempus, aut paullo vltra, vitam produxisse.

MAR-

MARCI ZVERII BOXHORNII
DE
C. PLINIO CAECILIO SEC.

IVDICIVM,

quo Christianum eum non fuisse, vt volunt alii, ostenditur.

Ex historia ipsius vniversali p. 168 seq.

Persecutionis Christianorum sub Traiano atrox tempestas non quidem desiit, sed minor ac quasi mitior esse tandem coepit, admonente Traianum Plinio, singularem Christianis innocentiam vitae esse ac integritatem. Exstant hodieque scriptae ea de re Traiani & Plinii epistolae; ex quibus vtcumque cognosci potest, qualis ea tempestate Christianorum fuerit disciplina. Non est mihi dubium, quin ex iis epistolis natum sit ridiculum eorum commentum, qui Christianum aliquando opera Titi factum Plinium, in litteras mittere ausi sunt. Flauius Dexter in Chronico: *Titus cognomento Iustus, Episcopus factus, sequutus primo S. Paullum, mox Eugenium, praedicat in Carpetania, vbi eius memoria magnitudoque miraculorum celebratur. Is Titus conuerterat ad fidem Plinium iuniorem ex Bithynia Pontoque redeuntem, in Creta insula, vbi iussu Traiani Ioui templum exstruxerat. Nec desunt, qui putent, septima Sextilis ad Nouocomum esse passum.* Si hunc audimus, non Christianus tantum Plinius, sed & martyr fuerit. Ceterum Pseudodexter est, qui haec scribit. Qua de re plura nos alibi dicemus. Porro addit ad hunc locum Franciscus Biuarius de Plinio Christiano ista:

Sed vnde habemus, in Creta Plinium Secundum iuniorem ad fidem perductum opera S. Titi? Ex Actis ipsius, quae Zena, legisperitus & Apostoli discipulus, scripsit, refertque Equilinus, vbi cum Zena, quum praemisisset, Titum in Cretam iterum reuersum, multos ad Christi fidem perduxisse, ordinasseque Presbyteros & Diaconos, subdit: *Quum die quadam transiret ante palatium, quod Secundus proconsul* (is erat Plinius Secundus Iunior) *iussu imperatoris in Iouis nomine construebat, maledixit illud; & statim opus funditus dissipatum est.* Nonne id dixerat Dexter illis verbis: *Is Titus conuerterat ad fidem Plinium Iuniorem in Creta insula, vbi iussu Traiani Ioui templum erexerat?* Subiiciunt acta: *Tunc Secundus venit ad Titum cum lacrumis rogans, se indemnem ab opere conseruari. Cui Titus imposuit, vt opus in nomine vnius Dei Christianorum inciperet, vt sic opus perficere posset; quod & factum est. Completo vero opere Secundus cum filio suo baptizatus est.* Fuit hic nepos ex sorore C. Plinii Secundi, cuius de natura rerum exstant insignes Commentarii: ipsius vero Plinii Secundi iunioris exstat liber Epistolarum, & Panegyricus Traiano Caesari dictus, quo gratias agit Consulatum eius auspiciis adeptus. Is etiam Hispanis nonnulla contulit beneficia. Nam Quintiliani filiam pauperem dote iuuit, & Martialem poetam, ab Vrbe in Hispaniam secedentem, viatico prosequutus est, vt ipse in Epistolis testatur. De Martyribus sub Traiano passis agit ipse Lib. X. ep. XCVII. Ceterum ipsum tandem Nouocomi, patria sua, martyrium subiisse, inde nonnulli putant haberi, quod die VI Augusti seu Sextilis

cum

cum aliis quinque reperitur in Romano Martyrologio, inter alios Martyres, quidam nomine *Secundus*. Nam in eo sic legimus: *Nouocomi passio sanctorum Martyrum Carpophori, Exanthi, Cassii Seuerini, Secundi, & Licinii, qui in confessione Christi capite truncati sunt.* Meminit ipsorum Martyrum Galesinus ex veteribus monumentis Ecclesiae Mediolanensis, Bergomensis, & Aquilegiensis. Ignorarunt sane historiam istam Comenses ciues, quum anno Domini CIↃ CCCCXCVIII pro foribus aedis B. Virginis sui conciuis iunioris Plinii marmori incidi curarunt huiusmodi inscriptionem, sine Martyris titulo, quam Volaterranus refert lib. XVIII.

C. PLINIO CAECILIO SECVNDO,
QVI CONSVLATV, AVGVRATV MILITIAE
GESTIS, AC ORANDIS CAVSSIS, POEMATIBVS,
ET HISTORIIS CONFICIENDIS,
CAESAREM TRAIANVM AVGVST. LVCV-
LENTISSIME
LAVDANDO, ADFICIENDOQVE IMMENSA
LIBERALITATE PATRIAM SVAM, EIDEM
IMMORTALE CONTVLIT ORNAMENTVM
ORDO COMENSIS CONCIVI SVO DESIDERABILI,
HONORE ACCEPTO
MONVMENTVM POSVIT.
MCCCCLXXXXVI I
KAL. MAII
FVNCTVS ERAM SED TVM VETERI PRAECLA-
RVS HONORE;
VIVEBAM, PERII: NVNC QVOQVE VITA
MIHI EST.

E latere dextro huius, memoria exstat alia C. Plinii Secundi senioris, quam tu, lector, apud eumdem Volaterranum legere poteris.

Haec & similia istis alia quoties lego, non possum satis mirari stuporem hominum, qui talia aut scribere aut credere potuerunt. Hoc demum est cum ratione insanire. An quia in Actis Martyrum legitur pro Christi nomine Secundum passum fuisse, Plinius Secundus intelligendus est? Plures Secundi dicti sunt, quam hic Plinius. Solae illae litterae, quae hodie exstant, Christianum eum fuisse, primis huius fabulae auctoribus persuasere. Agnosco quidem ego, luculentum exstare in iis de Christianorum innocentia ac integritate testimonium; sed & illud in iis inuenio, Christianam religionem, *exitiabilem superstitionem* appellari. Si Christianorum doctrina exitiabilis superstitio visa ei sit, quare aut quomodo dicitur Christianus? Si Christianorum aliquis Stoicorum & in docendo & in scribendo seueritatem laudibus extolleret, an idcirco Stoicus merito diceretur? Qui paganus Christianorum vitam moresque commendat, non eo minus paganus est. Sed dictu prope infinitum est, quam leui & nulla ratione moti iam olim nonnulli Christianae Historiae scriptores plurimos Christi nomen professos tradiderint, qui Christiani non fuere. Cum hoc, quod hic nobis oblatum est, exemplo vnum modo iam coniungam; ex quo & liquido constabit, verissimam esse eam rationem huius de Plinio Christiano commenti, quam iam dedi. Pontii Pilati, sub quo Dominus noster passus est vxor (Claudiam Proculam vocant, quorum animo immota sedit ac fixa quiduis fingendi libido) Christiana fuisse dicitur. Pseudodexter ille, cuius iam meminimus, in Chronico: *Claudia Procula, vxor Pilati, admonita per somnium, in Christum credit, & salutem conse-*

qui-

quitur. Certe huic etiam quorumdam sententiae occasionem dedere illa, quae apud Matthaeum de Pilati coniuge leguntur verba: *Sedente autem illo*, Pilato nempe, *pro tribunali, misit ad eum vxor, dicens: Nihil tibi & iusto illi; multa enim passa sum hodie per visum, propter eum.* Quia igitur marito dixit illa: *Nihil tibi & iusto illi*, scilicet Christo, Christiana fuit. Qua ratione id colligant, qui tradunt, scire ego velim. Pro innocentia Christi, tamquam non damnandi aut crucifigendi, vel non rei, pronunciat, non autem pro Christo, tamquam cuius sanguine ac morte genus humanum redimendum esset. Sed haec hic obiter. Alibi plura de eiusmodi veterum Christianorum commentis dicemus. Vnum hoc modo nunc addam, mirum videri posse, quare & iidem Pilatum Christianum non fecerint. Nam haec eius de Christo verba exstant; *Nihil mali fecit.* Sed quia alio & sequuto postremo Pilati de Christo iudicio, in gratiam Iudaeorum, Christus damnatus est, Christianum factum Pilatum credere non debuere.

IVDICIA ET TESTIMONIA VETERVM DE PLINIO IVNIORE.

Comi in exteriori structura templi maximi.

C. PLINIO L. F. O. V. F. CAECILIO SECVNDO COS. AVG. CVRAT. TIBER.

In agro Comensi apud Gruter. p. 454.

C. PLINIO L. F. OVF. CAECILIO SECVNDO COS. AVGVR. CVR. ALV. TIBER. ET CLOAC. VRB. PRAEF. AER. SAT. PRAEF. AER. MIL. Q. IMP. SEVIR. EQ. ROM. LEG. III. GALL. XVIRO STL. IVD. EL. DIVI. T. AVG.---- RCELIENS.

Medio-

Mediolani in aede S. Ambrosii apud Gruter. pag. 454. & 1028.

C. PLINIVS C. F. C. N. CAECILIVS SECVNDVS COS. AVGVR. LEGAT. PRO PRAET. PROVINC. PONTI CONSVLARI POTESTATE. IN EAM PROVINCIAM AB IMP. CAESARE NERVA TRAIANO AVG. GERMANICO MISSVS CVRAT. ALVEI TIBERIS ET RIPAR. PRAEF. AERARI SATVRNI PRAEF. AERARI MILIT. QVAEST. IMP. SEVIR EQVITVM - - - TRIB. MILIT. LEG. III. GALLICAE - - - X. VIR STLITIB. IVDICANDIS * THER - - - ADIECTIS IN ORNATVM HS. CCC - - - AMPLIVS IN TVTELAM HS. CC. T. F. I. - - - ET LIBERTORVM SVORVM NOMIN. HS. (XVIII.) LXVI. DCLVI. REI INCREMENT. POSTEA AD EPVLVM PLEB. VRBAN. VOLVIT PERTIN. AMPLIVS DEDIT IN ALIMENT. PVEROR. - T PVELLAR. PLEB. VRB. HS - - IN TVTELAM BIBLIOTHECAE HS. C - - -

* Priore loco (p. 454.) dimidiam tantum partem Gruterus adfert vsque ad asteriscum: nisi quod verba *Quaestor imp. scuir. equitum - - trib. milit.* aliter, quam loco altero (pag. 1028.) leguntur, nempe LEG. LEG. VI. GALLIC. hoc est, *Legatus legionis VI Gallicae*, vt possint duae diuersae inscriptiones videri. Cl. Veenhusius posteriora plenius exscripsit & puncta quaedam suppleuit, vt *in alimenta puerorum & puellarum pleb. vrb. HS. CCC.* Alibi puncta praetermisit, coniunctis verbis, quae his defectus signis separata erant. Etiam hoc discrimen vtriusque inscriptionis, quod primo prioris versu litterae *C. F. C. N.* visuntur, quas expressimus: in altera *L. F. OVF.*

Martialis lib. X. Epigramm. XIX.

Nec doctum satis, & parum seuerum,
Sed non rusticulum nimis libellum
Facundo mea Plinio Thalia,
I, perfer.

Posteriora Epigrammatis verba noster epistola vltima libri III. repetit.

Quin-

Quintilianus lib. XII. Inſtit. Orat. cap. X. haec celebrium oratorum exempla & characteres ponit:

Hinc vim Caeſaris, indolem Caecilii, ſubtilitatem Callidii, grauitatem Bruti, acumen Sulpicii, acerbitatem Caſſii, diligentiam Pollionis, dignitatem Meſſallae, ſanctitatem Calui reperiemus. In his etiam, quos ipſi videmus, copiam Senecae, vires Africani, maturitatem Afri, iucunditatem Criſpi, ſonum Trachalli, elegantiam Secundi.

Quem vltimo loco *Secundum* laudat, Cl. Thomaſio videtur *Plinius Secundus Caecilius* eſſe, quem iſte non modo diſcipulum formauit, ſed poſtea etiam florentem eloquentia vidit, quod ex lib. VI. epiſt. XXXII. conſtare poteſt. Nec abludit *elegantiae*, quem tribuit, character.

Macrobius lib. V. Saturn. cap. I.

Quatuor ſunt genera dicendi: copioſum, in quo Cicero dominatur: breue, in quo Salluſtius regnat: ſiccum, quod Frontoni adſcribitur: pingue & floridum, in quo Plinius Secundus quondam, & nunc nullo veterum minor noſter Symmachus luxuriatur.

Sidonius Apollinaris lib. I. epiſt. I.

Epiſtolas omnes, retractatis exemplaribus enucleatisque, vno volumine includam, Q. Symmachi rotunditatem, C. Plinii diſciplinam maturitatemque veſtigiis praeſumtuoſis inſequuturus.

Idem lib. IV. epiſt. III. ad Claudianum, Mamerti, Viennenſis epiſcopi, fratrem, vt ex ep. XI. apparet.

Si reare quemquam mortalium (cui tamen ſermocinari latialiter cordi eſt) non pauere, quum in examen aurium tuarum, quippe ſcriptus, adducitur, tuarum, inquam, aurium, quarum peritiae, ſi me decurſorum ad hoc aeui temporum praerogatiua non

obruat, nec Frontonianae grauitatis, aut ponderis Apuleiani fulmen aequiparem, cui Varrones, vel Atacinus, vel Terentius, Plinii vel auunculus vel Secundus, compositi impraesentiarum rusticabuntur.

Eodem libro, epistola XXII.

Ego Plinio, vt discipulus, adsurgo.

Perpetuus enim imitator Plinii est Sidonius, vt doctissimus interpres Io. Sauaro passim obseruauit.

Idem lib. VIII. epist. X.

C. Plinius pro Accia Variola plus gloriae de centumuirali suggestu domum retulit, quam quum Marco Vlpio, incomparabili principi, comparabilem panegyricum dixit.

Aurelius Cassiodorus in Chronico, sub Traiano:

CELSVS et CRISPINVS. His consulibus Plinius Secundus Nouocomensis orator & historicus insignis habetur, cuius ingenii plurima opera exstant.

*** ***

Recentiorum testimonia supersedemus adiicere. Vnum sufficiat Casparis Barthii lib. XIX Aduersar. cap. XXV ineunte; PLINII EPISTOLAS QVO MAGIS LEGAS, EO PLVS DILIGAS.

NOMENCLATOR

Eorum, ad quos Plinius nouem librorum Epistolas scripsit.

Acilio III, 14
Albino VI, 10
Anniano II, 16
Antonino IV, 3, 18. V, 10
Apollinari II, 9. V, 6
Appio IX, 35.
Aristoni V, 3. VIII, 14
Arriano I, 2. II. 11, 12. IV, 8, 12. VI, 2. VIII, 21.
Atrio *Clementi* I, 10
Augurino IX, 8
Auito II, 6
Basso *Pompeio* IV, 23
Bebio *Hispano* I, 24

Caelestrio

Caleſtrio *Tironi* I, 12
Calpurniae *vxori* VI, 4. 7
VII. 5
Caluinae II. 4
Caluiſio II. 20. III. 1. V. 7.
VIII. 2. IX. 6
Caluiſio *Rufo* III. 19
Caninio II. 8. III. 7. VI. 21.
VII. 18. VIII. 4. IX. 33
Caninio *Rufo* I. 3
Capitoni V. 8
Catilio III. 12
Catilio *Seuero* I. 22
Celeri VII. 17
Cereali II. 19
Cereali *Velio* IV. 21
Clementi IV. 2.
Clementi *Atrio* I. 10
Cocciae & *Spurinnae* III. 10
Coloni IX, 9
Corelliae VII, 14
Corelliae *Hiſpullae* III. 3
Cornelio *Minutiano* IV. 11
Priſco III. 21
Tacito, vide *Tacito*.
Titiano I. 17
Corneliano VI, 31
Cornuto VII, 21. 31
Euricio I, 16
Fabato *profocero* IV. 1. V. 12.
VI, 12. 30. VII. 11. 16. 23. 32.
VIII. 10
Fabio *Iuſto* I, 11
Fabio *Valenti* IV. 24
Falconi IV. 27. VII. 22. IX. 15
Falconi *Pompeio* I. 23
Feroci VII. 13
Firmo *Romano* I, 19
Flacco V. 2
Fundano IV. 15. VI. 6
Fundano *Munitio* I. 9
Fuſco VII. 9. IX. 36. 40
Gallo II. 17. IV. 17. VIII. 20
Geminio VII. 24. VIII. 5. 22.
IX. 11. 30
Geniali VIII. 13
Genitori VII. 30. IX. 17
Genitori *Iulio* III. 11
Hiſpano VI. 25
Hiſpano *Bebio* I. 24
Hiſpullae IV, 19. VIII, 11
Hiſpullae *Corelliae* III. 3
Iulio *Genitori* III, 11
Iunio *Maurico* I. 14
Iuniori VIII. 15. IX. 12.
Iuſto VII. 2
Iuſto *Fabio* I, 11
Laterano IX, 27
Lepido IV. 7
Licinio *Surae* IV. 30
Luperco II. 5. IX. 26
Macrino II. 7. III, 4. VII. 6.
10. VIII 17. IX. 4
Macro III. 5. V. 18. VI. 24
Mamiliano IX. 16. 25
Marcellino V. 16. VIII. 23
Maurico II. 18. VI. 14
Maurico *Iunio* I, 14
Maximo II, 14. III, 2. V. 5.
VI, 11. 34. VII, 26. VIII,
19. 24. IX, 1. 23
Maximo *Meſſio* III, 20. IV, 25
Maximo *Nonio* IV, 20
Minutio VII, 12
Minutio *Fundano* I, 9
Minutiano III, 9. IV, 11.
VIII. 12
Montano VII. 29. VIII, 6
Muſtio IX, 39
Naſoni IV, 6

Nepoti II, 3. III, 16. IV, 26. VI, 19
Nonio *Maximo* IV, 20
Octauio II, 10
Octauio *Rufo* I, 7
Paterno IV, 14. VIII, 16
Paterno *Plinio* I, 21
Paullino II, 2. V, 19. IX, 3. 37
Paullino *Valerio* IV, 16
Pompeio *Baſſo* IV, 23
Pompeiae *Celerinae*, *ſocrui* I, 4
Pompeio *Falconi* I, 23
Pompeio *Saturnino* I, 8
Pontio V, 15. VI, 28. VII, 4
Praeſenti VII, 3
Priſco II, 13. VI, 8. VII, 8. 19
Priſco *Cornelio* III, 21
Proculo III, 15
Quadrato VI, 29. IX, 13
Quintiliano VI, 32
Reſtituto VI, 17. VII, 1.
Romano IV, 29. VI, 15. 33. VIII, 8. IX, 7. 28
Romano *Voconio* I, 5. II, 1. III, 13
Romano *Firmo* I, 19
Rufo V, 21. VII, 25
Rufo *Caluiſio* III, 19
Caninio I, 3
Octauio I, 7
Sympronio IV, 22
Rufino VIII, 18
Rufoni IX, 19
Ruſtico IX, 29
Sabino IV, 10 VI, 18. IX, 2. 18
Sabiniano IX, 21. 24
Sardo IX, 31
Saturnino V, 9. VII, 7. 15. IX, 38
Saturnino *Pompeio* I, 8
Scauro V, 13
Sempronio *Rufo* IV, 22
Senecioni *Sofio* I, 13
Septicio I, 1. VII, 28. VIII. 1.
Septicio *Claro* I, 15
Seruiano III, 17. VI, 26
Seuero III, 6, 18. IV, 28. V, 1. VI, 27. IX, 22
Seuero *Catilio* I, 22
Sofio *Senecioni* I, 13
Sosſio IV, 4
Sparſo IV, 5. VIII, 3
Spurinnae V, 17
Spurinnae & *Cocciae* III, 10
Suetonio *Tranquillo* I, 18
Surae VII, 27
Surae *Licinio* IV, 30
Tacito *Cornel.* I, 6. 20. IV, 13. VI, 9. 16. 20. VII, 20. 33. VIII. 7. IX, 10. 14
Tironi VI, 1. 22. IX, 5
Tironi *Caleſtrio* I, 12
Titiano IX, 32
Titiano *Cornelio* I, 17
Tranquillo III. 8. V. 11. IX. 34
Tranquillo *Suetonio* I, 18
Triario VI. 23
Tuſco VII, 9
Tyroni *vide* Tironi.
Valenti IV. 24
Valerio *Paullino* IV. 16
Valeriano II. 15. V. 4. 14
Velio *Cereali* IV, 21
Venatori IX. 20.
Vero VI, 3
Voconio *Romano* I, 5, II, 1. III, 13
Vrſo IV, 9. V, 20. VI, 5. 13. VIII, 9.

C. PLI-

C. PLINII CAECILII SECVNDI EPISTOLARVM LIBER PRIMVS.

I.

C. PLINIVS S. SEPTICIO SVO S.

Septicio Epistolarum opus, eiusdem hortatu collectum, edicat.

Frequenter hortatus es, vt epistolas, si quas paullo curatius scripsissem, colligerem publicaremque. Collegi, non seruato temporis ordine: (neque enim historiam componebam) sed vt quaeque in manus venerat. Superest, vt 2

Epist. 1. *Septicio suo*) Septicius Clarus videtur esse, ad quem & 15 epistola huius libri scripta est. Praefectus praetorio fuit sub Hadriano, cuius postea odium vna cum Suetonio incurrit. Vide Spartian. in Hadr. c. 9, 11, 15.

1. *curatius scripsissem*) Ita Barthius ex MS. quod propius ad concisum stilo, quam vulgatum *accuratius*. Delectatus eodem verbo aequalis Plinio Tacitus II. c. 27. *curatius disserere*: XIV. c. 21. *ludos curatius edere*: XVI, c. 22. *curatius legere*. De cetero imitari discere, non quasuis, sed curatius scriptas eruditorum epistolas.

publicaremque) In hoc significatu & infra lib. IV. ep. 27, 5. sed in sensu forensi de lege s. sancito magistratus ferre nolunt. Voss. vit. serm. lib. VI. p. 347. *Herz.*

componebam) in ordinem redigebam.

nec te consilii, nec me poeniteat obsequii. Ita enim fiet, vt eas, quae adhuc neglectae iacent, requiram: & si quas addidero, non supprimam. Vale.

II.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Librum suum alicui emendandum mittit, cuius consilio in editione vsurus erat.

Quia tardiorem aduentum tuum prospicio, librum, quem prioribus epistolis promiseram, exhibeo. Hunc, rogo, ex consuetudine tua & legas & emendes: eo magis, quod nihil ante peraeque eodem ζήλῳ scripsisse videor. 2 Tentaui enim imitari Demosthenem, semper

---

Epist. II. *Arriano suo*) Incertum nomen variantibus libris, qui vel *Arrinio* vel *Arrio*, vel aliter prae se ferunt. *Arriani Maturii* mentio fit lib. III. epist. 2. vnde Catanaeus forte hausit, cuius vulgata epigraphe est.

1. *librum*) actionem pro Accia Variola Catanaeus intelligit, quam lib. VI. epist. 33. cum Demosthenis praestantissima, quae pro Ctesiphonte est, propter imitationem comparauit.

ex consuetudine) nota vsum praepositionis *ex*: *sicut tua est consuetudo*. Alias *ex more*: Tacit. Ann. XV. c. 29. §. 5. *caesis ex more victimis*. *Herz.*

eodem ζήλῳ) hoc est, *aemulatione*, vt ipse mox interpretatur, *nec materia*, dicens, *huic aemulationi repugnauit*. Confirmant lectionem propiora verba: *Tentaui imitari Demosthenem*. Quod notare visum fuit, quia contra MStorum fidem *stilo* pro graeca voce Catanaeus substituit. Adi Gruter. in h. l.

2 *Demosthenem, semper tuum, Caluum, nuper meum*) quia is, cui scribit, perpetuo Demosthenem sequebatur: noster Caluum semel forsan & vna actione imi-

tuum,

tuum, Caluum, nuper meum, figuris duntaxat orationis. Nam vim tantorum virorum pauci, quos aequus amauit, adsequi possunt. Nec 3
materia ipsa huic (vereor ne improbe dicam) aemulationi repugnauit. Erat enim prope tota in contentione dicendi, quod me longae desidiae indormientem excitauit, si modo is sum

---

tatus erat. Hic. C. Licinius Caluus est, filius Licinii Macri, quod ex Val. Max. IX. c. 12. n. 7. apparet, idem orator & poeta, vt Muretus ad Catulli epigr. 14. obseruat. De eo Cicero in Bruto cap. 82. & epist. vlt. lib. XV. ad Trebonium. Seneca Controu. XIX. *Dic*, inquit, *cum Ciceronem litem de principatu eloquentiae* (Caluus) *habuit*: & paucis interiectis, *Compositio eius* (Calui) *in actionibus ad exemplum Demosthenis rigot: nihil in illa placidum, nihil leue est, omnia & citata & fluctuantia.* Adde Dialog. de causs. corruptae eloq. c. 17. & 21. & nostrum lib. V. epist. 3. n. 5. Vocat igitur Caluum Demosthenem.

tantorum virorum) Demosthenis & Calui; atque ita etiam Aldus legit; Catanaeus *verborum*, minus bene, censente V. Cl. Iac. Thomasio.

quos aequus amauit) Ex Virgilii Aen. VI. v. 129. subaudiendum *Iupiter*, quam notissimi versus vocem noster, breuitatis studiosus, posthabuit. Quidam libri eam addunt. Aldus aliter, *quos aequas*, abscissa & tertia voce. Sed concinnius alterum, hunc sensum refert: quos propitius Deus ingenio praestantiore dotauit.

3. *ne improbe dicam*) ne insolenter, arroganter, quia aemulatio paris est; imitatio sequioris. Lib. VII. epist. 30. n. 5 *non vt* (Demosthenem) *aemularer, sed tamen imitarer & sequerer.* Nota formulam emolliendi, si quid arrogantius est dictum.

contentione) oratione acri, & ad confirmandum & confutandum accommodata: sic autor libr. ad Herenn. libr. III. fol. 31. b. *contentionem* definit. *Herz.*

ego, qui excitari possim. Non tamen omnino Marci nostri ληκύθους fugimus, quoties paullulum itinere decedere non intempestivis amoenitatibus admonebamur. Acres enim esse, non tristes, volebamus. Nec est, quod putes, me sub hac exceptione veniam postulare. Immo, quo magis intendam limam tuam, confitebor & ipsum me & contubernales ab editione non abhorrere, si modo tu fortasse errori nostro album

4. *Marci nostri ληκύθους*) M. Tullii Ciceronis flosculos & nitores, vt Beroaldus interpretatur *Lecythi* autem, vasa, quibus vnguenta & pigmenta continentur. Cicero eadem translatione lib. I. epist. 14. ad Atticum: *Totum hunc locum, quem ego varie meis orationibus, quarum tu Aristarchus es, foleo pingere, de flamma, de ferro, (nosti illas ληκύθους) valde grauiter* (Crassus) *pertexuit.* Origo vero huius phraseos petenda est ex antiquo sophistarum more. Hi vt suauis claraque resonaret vox, Tragacantham edebant, & paratum habebant seruulum cum vase aliquo ληκύθιον vocato, vt subinde os plasmate seu dulci potione colluentes liquidius pronuntiarent. Vide plura apud Cresoll. theatri rhetor. lib. III. c. 18. *Herz.*

itinere decedere) i. e. si ab ratione, qua contentiosa oratio debet instrui, decedendi erat occasio, quasdam amoenitates intermiscere erat integrum. Sic infra lib. IX. epist. 26. de oratore loquens noster mentionem facit *depressioris & humilioris itineris. Herz.*

acres, non tristes) i. e. seueritatem ostendere volebamus, sed quae lineas non transgrederetur. Sic enim tristitia ab ipso Plinio seueritati opponitur lib. VIII. epist. 21 n. 1: & Tacitus Hist. I. c. 14. n. 4. *de Pisone recta seuero*, dicit, *quod deterius interpretantibus tristior sit habitus. Herz.*

5. *intendam limam tuam*) te concitem & instigem caleu-

calculum adieceris. Est enim plane aliquid 6
edendum, atque vtinam hoc potissimum,
quod paratum est! (audis desidiae votum)
edendum autem ex pluribus caussis: maxime
quod libelli, quos emisimus, dicuntur in manibus esse, quamuis iam gratiam nouitatis exuerint; nisi tamen auribus nostris bibliopolae blandiuntur. Sed sane blandiantur, dum 7
per hoc mendacium nobis studia nostra commendent. Vale.

---

ad poliendum ac corrigendum. *Lima* enim polituræ instrumentum. Vnde etiam noster epist. 8. huius libri de simili emendatione: *non tantum vniuersitati eius* (orationis) *attendas, verum etiam particulas, qua soles, lima persequaris.* Sic lib. V. epist. 11. *opus lima splendescens.*

si modo errori nostro album calculum adieceris) si probaueris, quae nos fortasse de editione erramus. Sic *candidissimo calculo notare* noster lib. VI. epist. 11. dixit. Suffragium itaque hoc loco *calculus* est, qui si albus, prosperitatis & approbationis; sin ater, infelicitatis aut dissensus signum habebatur apud antiquos.

6. *audis desidiae*) iocus, quo seipsum Plinius, ad familiarem scribens, exagitat, respiciens ad paullo ante dicta, quibus se *longae desidiae indormientem* vocauerat. *Herz.*

gratiam nouitatis) quia *nouitas* vt plurimum *lectorem intentum habere solet*, lib. III. ep. 13. *Herz.*

7. *Sed sane*) sic solet Plinius dubia sua cum venustate aliqua soluere. Simile offert finis lib. VII. ep. 4. *Herz.*

III.

C. PLINIVS CANINIO RVFO SVO S.

Caninium occasione amoenitatum patriae hortatur, vt omissa rei familiaris cura, studiis se litterarum a mortalitate vindicet.

Quid agit Comum, tuae meaeque deliciae? quid suburbanum amoenissimum? quid illa porticus, verna semper? quid πλατανὼν opacissimus? quid Euripus viridis & gemmeus? quid subiectus & seruiens lacus? quid illa mol-

---

1. *Comum tuae meaeque deliciae*) oppidum Insubriae, communis Plinii nostri & Caninii patria.

suburbanum) subaudi praedium.

porticus) haec non infima in suburbiis Romanorum aedificii pars. conf. infra lib. VI. ep. 6. n. 15

verna semper) vel natura, propter aeris teporem; vel arte, ita plantatis fruticibus, vt semper aliquae floreant.

πλατανὼν *opacissimus*) locus platanis consitus. Latine scribunt Petronius Satyr. p. 171. *Rogani ancillam, vt in platanona produceret dominam:* & Martialis lib III. epigr. 19.

Exornant fictae quo platanona ferae.

Euripus) Quid *Euripus* in hortis aut villis fuerit, ex Cicer. lib. II. de Legib. c. 1. constare potest. *Ductus*, inquit, *aquarum, quos isti tubos & euripos vocant.* Incile ergo fuit, amoenitatis caussa factum, quo aqua impelli potuit, vt puto, ad imitationem Euripi Euboici.

gemmeus) i. e. tantos claritatis radios vibrans, sicut gemmae. Sic infra *prata gemmea* lib. V. epist. 6. n. 11. *Herz.*

subiectus) subiacent Sic Tacitus Annal. XV. c. 9. *subiecti campi.* Noster lib. V. ep. 6. n. 20. *subiecta platanis &c.* vnde patet, quod adhibeatur de locis demissioribus. *Herz.*

lis,

lis, & tamen solida, gestatio? quid balineum illud, quod plurimus sol implet & circumit? quid triclinia illa popularia? quid illa paucorum? quid cubicula diurna nocturnaque? Possidentne te, & pes vices partiuntur? An, vt solebas, intentione rei familiaris obeundae, crebris excursionibus auocaris? Si te possident, felix beatusque es: sin minus, vnus ex multis. Quin tu (tempus est enim) humiles & sordidas curas

2

3

gestatio) Quae alias actio est *Gestatio*, heic, & lib. II. epist. 17. locus est, quo veteres valetudinis caussa gestabantur. Lipsius Miscell. epist. 11. ad Ortelium de illa pluribus: etiam Buchnerus ad nostri lib. IX. epist. 7.

balineum sol implet & circumit) i. e. quod pluribus fenestris ambitum solis sequitur. Vid. lib. II. ep. 17. n. 8. Seneca epist. 86. de luxu sui temporis: *Blattaria vocant balnea, si qua non ita aptata sunt, vt totius diei solem fenestris amplissimis recipiant.*

popularia - - paucorum) i. e. triclinia illa, vbi multitudo promiscue solet excipi; & vbi tantum excipiuntur illi, qui paruo comitatu nos visitant. *Herz.*

2. *per vices partiuntur*) i. e. vt iam sis in porticu, iam Euripo, iam gestat one, iam ambulatione te delecteris: quale viuendi institutum erat Spurinnae, teste nostro lib. III. epist. 1. ipsiusque Plinii lib. I. epist. 9. *Herz.*

Si te possident, felix, beatusque es) non quod amoena loca felicem reddant, sed quia studiis aptissima sunt, quibus operam dare Caninium putat, si locis illis immaneat; secus facere, si rei familiari obeundae excurrat.

vnus ex multis) plebeius & vulgaris.

3. *Quin*) Melius sensus patebit, si interrogatiue, sicut noster lib. VII. epist. 3. n. 2. *Quin* etiam

aliis mandas: & ipse te in alto isto pinguique
seceſſu ſtudiis aſſeris. Hoc ſit negotium tuum,
hoc otium; hic labor, haec quies: in his vigi-
4 lia, in his etiam ſomnus reponatur. Effinge
aliquid & excude, quod ſit perpetuo tuum. Nam
reliqua rerum tuarum poſt te alium atque alium
dominum ſortientur: hoc nunquam tuum deſi-
5 net eſſe, ſi ſemel coeperit. Scio quem animum,
quod horter ingenium: tu modo enitere, vt tibi
ipſe ſis tanti, quanti videberis aliis, ſi tibi fueris.
Vale.

---

eſt, *quomodo non.* uid. Voſſ. de art. gram. lib. VII. c. 62. *Herz.*

tempus eſt) i. e. ad ſenectutem propius accedis. *His vere omnia placida & ordinata conuenire, illisque ſeram induſtriam teſtem eſſe ambitionem turpem*, dicit noſter lib. III. epiſt. 1. n. 2 *Herz.*

humiles & ſordidas curas) rei familiaris obeundae.

pinguique ſeceſſu) loco a ſtrepitu vrbano & turba remoto, & idcirco ſtudiis litterarum peridoneo te totum tradis.

4. *quod ſit perpetuo tuum*) Egregia ſententia, qua ad ſcribendum ingenia, aut generatim ad litterarum ſtudia concitantur: cui ſimillimam, aut eamdem potius mutatis verbis, habet lib. II. epiſt. 10. n. 4.

5. *ipſe ſis tanti, quanti*) i. e. vt in tanto pretio te ipſum habeas, in quanto te habebunt alii, ſi ſtudiis te totum trades atque aliquid effinges, quod ſit perpetuo tuum, *Herz.*

IV.

C. PLINIVS POMPEIAE CELERINAE, SOCRVI, S.

Laudata rerum copia in villis socrus suae, & seruorum diligentia, illam ad sua praedia inuitat.

Quantum copiarum in Ocriculano, in Narnienſi, in Carſulano, in Peruſino tuo, in Narnienſi vero etiam balineum, ex epiſtolis meis (nam iam tibi opus non eſt) vna illa breuis & vetus ſufficit. Non, me hercule, tam mea ſunt 2
quae mea ſunt, quam quae tua: Hoc tamen differunt, quod ſollicitius & intentius tui me, quam mei excipiunt. Idem fortaſſe euenit tibi, ſi 3
quando in noſtra diuerteris, quod velim facias: primum vt perinde noſtris rebus, ac nos tuis, perfruaris: deinde, vt mei expergiſcantur aliquando, qui me ſecure ac prope negligenter exſpectant. Nam nitium dominorum apud ſeruos 4
ipſa conſuetudine metus exoleſcit: nouitatibus excitantur, probarique dominis per alios magis quam per ſeipſos laborant. Vale.

---

1. *Ocriculano, Narnienſi, Carſulano*) Praedia ab oppidis vicinis eis Apenninum ad Viam Flaminiam ſitis appellata: Ocriculum ad Tiberim: Narnia ad Narem amnem: inde Menaniam verſus Carſulae. Vid. Strab. lib. V. p. 157. Sed Peruſia Etruriae prope Traſimenum lacum.

4. *conſuetudine metus exoleſcit*) Non ſeruorum modo metus, ſed omnium rerum, audiendi praeſertim ac meditandi conſuetudo vilitatem ac negligentiam parit: contra excitat & intendit nouitas, vt maiori cura atque ſtudio res quaecumque & ſuſcipiantur, & promte quoque peragantur.

V.

C. PLINIVS VOCONIO ROMANO SVO S.

Mores subdolos M. Reguli caussidici Voconio ostendit.

Vidistine quemquam Marco Regulo timidiorem humilioremque post Domitiani mortem? sub quo non minora flagitia commiserat, quam sub Nerone, sed tectiora. Coepit vereri, ne sibi irascerer: nec fallebatur; irascebar. 2 Rustici Aruleni periculum fouerat, exsultauerat morte: adeo vt librum recitaret publicaretque,

---

Epist. V. *Voconio Romano*) cuius laudes infra lib. II. epist. 13. traduntur.

2. *Marco Regulo*) Fraudulentus caussidicus fuit & captator testamentorum, de quo mira noster lib. II. epist. vlt. narrabit. Insanum ingenium ipsi tribuit noster lib. IV. epist. 7. n. 4.

post Domitiani mortem) quum meliores principes in accusatores & delatores animaduerterent.

2. *Rustici Aruleni*) integerrimum virum, Stoicae philosophiae addictum, Domitianus interfecit, quod Paetum Thraseam, a Nerone occisum, laudauerat. Vide Sueton. Domit. c. 10. Tacit. Agric. c. 2. Dion. Cass. lib. LXVII. p. 765.

fouerat) exhortationibus scilicet, consiliis & applausu. Sic enim noster lib. I. ep. 14. n. 1. *adolescentiam meam exhortationibus fouerit. Herz.*

librum) orationem.

recitaret) Moris sc. erat, priusquam quis aliquid publicaret, cogebat vnum alterumue, illisque praesentibus *legebat*. Vid. nostrum lib. III. ep. 15. n. 3, 4. Haec recitatio fiebat interdum, *vt iudicia audirentur*, lib. V. epist. 3. n. 8, 9. *& vt illi, qui recitarat, nullum genus emendandi omitteret* lib. VII. epist. 17, n. 6, 7. Plura vid. apud Voss. de imitat. c. 7. *Herz.*

in

in quo Rusticum insectatur, atque etiam STOICORVM SIMIAM appellat. Adiicit VITELLIANA CICATRICE STIGMOSVM. Agnoscis 3
eloquentiam Reguli. Lacerat Herennium Senecionem tam intemperanter quidem, vt dixerit ei Metius Carus, Quid tibi cum meis mortuis? nunquid ego aut Crasso aut Camerino molestus

---

Vitelliana cicatrice) Tacitus Histor. III. c. 80. de tumultu Vitelliano: *Deliguntur legati ad exercitus, vt praetextu reipublicae concordiam pacemque suaderent. Qui Petilio Cerealí occurrerunt, extremum discrimen adiere, aspernante milite conditiones pacis. Vulneratur praetor Arulenus Rusticus.*

eloquentiam Reguli) Videtur illam verbo *stigmosus* notare, quod inusitatum & contra analogiam latinitatis est. Vt malum oratorem sistit lib. IV. epist. 7. n. 4.

3. *Herennium Senecionem*) Reus fiebat, quod de vita Heluidii libros composuerat. Vide nostrum lib. VII. epist. 19. n. 5. Et hunc Domitianus interfecit, quia post quaesturam nullos honores petierat. Tacit. Agr. c. 2. Dio lib. LXVII. *Cellar. & Herz.*

Metius Carus) pessimus delator sub Domitiano. Vide infra lib. VII. epist. 19. n. 5. & epist. 27. n. 14; & Tacit. in Agric. cap. 45. qui *Carum Metium* vocat inuersis nominibus. Martialis l. b. XII. epigr. 25. in Thelesinum:

Ecce reum Carus te detulit.

quid tibi cum meis mortuis) quos scilicet delationibus meis morti tradidi. Nolebat quippe Metius Carus refricari rem, cuius ceu turpis ipsum conscientia iam arguebat, & ipsum sibi ostendebat. *Infixa enim manet rei auersatio, quam natura damnamus.* Senec. epist. 97. *Herz.*

Crasso aut Camerino) Crassus, frater Pisonis, a Nerone interfectus: Camerinus Scribonianus accusatus repetundarum sub Nerone. De illo Tacitus Hist. lib. I. c. 48; de hoc idem Annal. l. XIII. c. 52. & Hist. l. II. c. 72.

molestus sum) intemperanter sc. lacerando, & tacite te, qui ipsorum delator fuisti, tangendo. *Herz.*

4 sum? quos ille sub Nerone accusauerat. Haec me Regulus dolenter tulisse credebat, ideoque etiam quum recitaret librum, non adhibuerat. Praeterea reminiscebatur, quam capitaliter ipsum me
5 apud centumuiros lacessisset. Aderam Arionillae, Timonis vxori, rogatu Aruleni Rustici. Regulus contra. Nitebamur (nos) in parte causae sententia Metii Modesti, optimi viri: is tunc in exsilio erat, a Domitiano relegatus. Ecce tibi Regulus, Quaero, inquit, Secunde,

---

ille) sc. Regulus.

4. *apud centumuiros*) Centumuirale iudicium cum antiquitus institutum, tum maxime sub Traiano, quod ex nostri epistolis liquet, seuerius exercitatum. Nomen a numero adsessorum habet, sed rotundo, quia plures plerumque fuerunt, & Pompeio Festo auctore CV, ex singulis tribubus, quarum XXXV. erant, tres: noster aliquando CLXXX. numerat, si omnia quatuor consilia (in tot classes enim diuisi erant) in vnum colligantur. Vide lib. VI. epist. 33. Causas, quae heic iudicandae erant, enarrat Cicero lib. I. de Orat. c. 38. Vt exempla ostendunt, hereditatis controuersiae & testamentariae heic agitabantur. Vide Valer. Max. lib. VII. c. 7. & 8. vtrobique n. 1. & lib. IX. cap. vlt. n. 5. Conf. etiam nostrum lib. V. ep. 1. n. 6. Plura de hoc iudicio epist. 18. huius libri n. 3.

5. *Aderam Arionillae*) Alicui adesse est, causam alicuius in iudicio tueri, *eines beyſtand ſeyn*, vt infra lib. V. ep. 4. *Contradixerunt Vicentinorum legati: adfuit Tusculus Nominatus.* Adde Donat. in Terent. prol. Andr. v. 24.

Arionillae Timonis) Neque de Arionilla, neque de hoc Timone in historiis supereſt. Neque de Metio Modesto, qui sequitur, satis. Adi Catanaeum, qui *Vectium Modestum* scripsit.

quid

quid de Modesto sentias. Vides, quod periculum, si respondissem, BENE: quod flagitium, si, MALE. Non possum dicere aliud tunc mihi, quam deos adfuisse. Respondebo, inquam, quid sentiam, si de hoc centumuiri iudicaturi sunt. Rursus ille, Quaero, quid de Modesto sentias. Iterum ego, Solebant testes in reos, non in damnatos, interrogari. Tertio ille, Non iam quid de Modesto, sed quid de pietate Modesti sentias. Quaeris, inquam, quid sentiam? At ego, ne interrogare quidem fas puto, de quo pronuntiatum est. Conticuit: me laus & gratulatio sequuta est; quod nec famam meam aliquo responso, vtili fortasse, inhonesto tamen, laeseram: nec me laqueis tam infidiosae interrogationis inuolueram. Nunc ergo conscientia exterritus apprehendit Caecilium Celerem; mox Fabium Iustum rogat, vt me sibi reconcilient. Nec contentus,

6

7

8

Vides, quod periculum) iram sc. Principis, a quo Modestus in exsilium erat missus: sicut flagitium fuisset, si male de Modesto *optimo viro* dixisset. *Herz.*

centumuiri iudicaturi sunt) i. e. si centumuiris Modesti caussa, quo iure, quaue iniuria electus sit, examinanda demandabitur. *Herz.*

6. *non in damnatos*) in horum numero Modestus est a Domitiano relegatus: igitur ego tanquam testis non interrogandus sum.

7. *ne interrogare quidem fas*) Retorsio. Venabatur periculosum responsionem Regulus: respondet Plinius, & quaerere periculosum esse, quod speciem habeat dubitationis de eo, quod princeps vt certum statuerat.

8. *Caecilium Celerem, mox Fabium Iustum*) alterum gentilem Secundi, vt nomen praefert; alterum amicum, ad quem epistolas dedit libro I. vndecimam, &

peruenit ad Spurinnam. Huic suppliciter (vt est, quum timet, abiectissimus) Rogo, mane videas Plinium domi: sed plane mane; neque enim diutius ferre sollicitudinem possum; & quoquo modo efficias, ne mihi irascatur. Euigilaueram. Nuntius a Spurinna; Venio ad te. Immo ego, Ad te. Coimus in porticum Liuiae, quum alter ad alterum tenderemus. Exponit Reguli mandata, addit preces suas, vt decebat optimum virum pro dissimillimo, parce. Cui ego, Dispicies ipse, quid renuntiandum Regulo putes. Te decipi a me non oportet. Exspecto Mauricum (nondum enim ab exsilio venerat) ideo nihil alterutram in partem respondere tibi

---

lib. VII. secundam. Idem forte est, cui Quintilianus, vel quisquis auctor est, librum de caussis corruptae eloquentiae dicauit.

ad Spurinnam) De Spurinna lege lib. III. epist. 1.

9. *Immo ego, Ad te*) quia Spurinna vir grauis erat & iam prouecta aetate; decentius erat, vt Plinius, minor aetate, ad ipsum iret, quam hic ad Plinium.

in porticum Liuiae) quam Augustus, euersa Pollionis domo, condiderat, Liuiae nomen, non Pollionis, inscribens. *Dio Cass. LIV. p. 537.*

vt decebat optimum rogat enim, & rogare potest efficacissime & audacissime, qui reddit & reddere potest caussas rogandi, vti noster dicit lib. II. epist 13. n. 11. *Herz.*

parce) Aduerbium cum *addit preces*, connectendum, Casaubono monitore, qui ineptum *inquiens*, quod vulgo subiiciunt, expungi iussit.

10. *Exspecto Mauricum*) Iunium Mauricum, de cuius constantia noster lib. IV. epist. 22 Meminit eius & Tacitus Hist. IV. c. 40. & in Agric. c. 45. Frater fuit Aruleni Rustici, vt patet ex epist. 14. huius libri.

possum,

possum, facturus quidquid ille decreuerit. Illum enim esse huius consilii ducem, me comitem, decet. Paucos post dies ipse me Regulus conuenit II in praetoris officio: illuc me persequutus secretum petit. Ait, timere se, ne animo meo penitus haereret, quod in centumuirali iudicio aliquando dixisset, quum responderet mihi & Satrio Rufo, SATRIVS, (&) CVI EST CVM CICERONE AEMVLATIO, ET CONTENTVS NON EST ELOQVENTIA SECVLI NO-

---

huius consilii ducem) consilii de reconciliatione Reguli, quia Maurici & Aruleni damnationem fouerat.

11. *in praetoris officio*) officio, quo praesentiam nostram honoris caussa alicui commodamus. Ita Casaubonus, improbans eos, qui *iudicio* substituunt. *Cellar.* Eadem ratione adhibetur hoc vocabulum a nostro lib. I. epist. 9. n. 2. *officio togae interfui*: it. lib. I. epist. 13. n. 7. *officium audiendi*. Luculentior est locus apud Sueton. Caesar. c. 17. *Nouorum consulum officium*. De cetero certum est, quum hanc epistolam scriberet Plinius, ipsum Praetoris officio defunctum iam fuisse. Vti enim huius epistolae initium docet, Domitianus iam mortuus erat. Praetor vero fuerat Domitiano adhuc viuente, a quo iam occisi & relegati erant Senecio, &c. Vid. lib. III. epist. 11. n. 2. *Herz.*

secretum petit) postulat, vt secreto mecum loquatur. Turnebus lib. IV. Aduers. cap. 4. cum hoc confert illud Suetonii Calig. c. 23 *Auiae Antoniae secretum petenti denegauit, nisi vt interueniret Macro praefectus.*

Satrius & cui est cum Cicerone) Hoc ET Casaubonus interserendum censuit: & sane, quae sequitur responsio, id postulat. Ceterum de Satrio Rufo etiam lib. IX epist. 13. n. 17.

seculi nostri) quae tamen multum recedebat a puritate & nitore temporis, quo *Romana facundia a Cice-*

SATRI-

12 STRI. Respondi, nunc me intelligere maligne dictum, quia ipse confiteretur: ceterum potuisse honorificum existimari. Est enim, inquam, mihi cum Cicerone aemulatio, nec sum contenta
13 tus eloquentia seculi nostri. Nam stultissimum credo, ad imitandum non optima quaeque proponere. Sed tu, qui huius iudicii meministi, cur illius oblitus es, in quo me interrogasti, quid de Metii Modesti pietate sentirem? Expalluit notabiliter, quamuis palleat semper. Haesitabundus inquit, Interrogaui, non vt tibi nocerem, sed vt Modesto. Vide hominis crudelitatem, qui
14 se non dissimulet exsuli nocere voluisse. Subiunxit egregiam caussam. Scripsit, inquit, in epistola quadam, quae apud Domitianum recitata est, REGVLVS OMNIVM BIPEDVM NEQVISSIMVS, quod quidem Modestus verissi-
15 me scripserat. Hic fere nobis sermonis terminus. Neque enim volui progredi longius, vt mihi omnia libera seruarem, dum Mauricus venit. Nec me praeterit esse Regulum δυσκολώτερον.

---

rone exsiluerat, vt Seneca epist. 40. dicit. Hanc eloquentiae deprauationem inuexerat Neronis vanitas, de qua Persius satyra 1. conqueritur. Hinc Seneca epist. 39. dicit: *olim cum latine loqueremur. Herz.*

12. *mihi cum Cicerone*) caute igitur in iudiciis de Plinii stilo loquendum, vt ne ex aetate, qua Plinius vixit, ipsius latinitas suspecta iuuentuti reddatur. *Herz.*

13 *huius iudicii meministi*) iam scilicet, quod olim de me dixisti. *Herz.*

15. *dum Mauricus venit*) restitutus quidem a Nerua. Confer. lib. IV. epist. 22. necdum vero redierat.

δυσκολώτερον) difficilem ad deiciendum euertendum

Est

Est enim locuples, factiosus; curatur a multis, timetur a pluribus, quod plerumque fortius amore est. Potest tamen fieri, vt haec concussa labantur. Nam gratia malorum tam infida est, quam ipsi. Verum, vt idem saepius dicam, ex- 16
specto Mauricum. Vir est grauis, prudens, multis experimentis eruditus, & qui futura possit ex praeteritis prouidere. Mihi & tentandi aliquid & quiescendi illo auctore ratio constabit. Haec 17
tibi scripsi, quia aequum erat te pro amore mutuo non solum omnia mea facta dictaque, verum etiam consilia cognoscere. Vale.

VI.

C. PLINIVS CORN. TACITO SVO S.

Tacitum monet, ipsum exemplo suo in siluis posse studere & venari percommode.

Ridebis, & licet, rideas. Ego ille, quem nosti, apros tres, & quidem pulcherrimos,

---

dumque, quum magnae eius sint opes & factio, quibus munitus erat. Vide Turneb. lib. IV. cap. 4.

curatur a multis) vt nihil mali ipsi accidat, multi sunt, qui prouident, siquc imminere aliquid sentiant, amoliri conantur. *Herz.*

haec concussa labantur) quia lubrico fundamento, factionis gratiae atque fraudibus, non virtuti, sunt imposita. Hinc *semper in auctores redundat timor, nec quisquam metuitur, ipse securus:* dicente Seneca de Ira lib. II. c. 11. Illud HAEC Boxhornius deleuit: alii omnes admittunt.

17 *pro amore*) i. e. loco tui amoris, quo me prosequaris.

1. *Ego ille*) vulgo interponunt *Plinius*, quod glossam sapit Grutero, qui nec in MS. Palat. inuenit: respuit & Barthius Adu. XIX, 25. nec Thomasius admisit.

cepi.

cepi. Ipse? inquis. Ipse: non tamen vt omnino ab inertia mea & quiete discederem, ad retia sedebam: erant in proximo, non venabulum aut lancea, sed stilus & pugillares. Meditabar aliquid enotabamque, vt si manus vacuas, plenas
2 tamen ceras reportarem. Non est, quod contemnas hoc studendi genus. Mirum est, vt animus agitatione motuque corporis excitetur. Iam vndique siluae & solitudo, ipsumque illud silentium, quod venationi datur, magna cogitationis incitamenta sunt. Proinde quum venabere, licebit, auctore me, vt panarium & lagunculam, sic etiam pugillares feras. Experieris non Dianam magis montibus, quam Mineruam inerrare. Vale.

---

ab inertia mea) a studiis litterarum, quae respectu corporis laborum, vt venationes sunt, vel etiam negotiorum in republica inertia, quies (lib. VII. ep. 25. n. 1.) & otium lib. VII. ep. 3. n. 3, 4. vocantur.

non venabulum, sed stilus) sic lib. IX. epist. 36. *Venor aliquando, sed non sine pugillaribus.*

enotabamque) vim huius verbi in praesenti loco deduce ex lib. VI. epist. 16. n. 10. vbi adhibita deprehenditur, quando aliquid oculis nostris iuxta singula aspicimus, & ex illa remissa notas nostras eligimus. Simili ratione noster ex illo, quod meditationis suae materiam fecerat selectiora, quaedam eligens notabat. *Herz.*

plenas tamen ceras) Pugillares tabellae erant cera obductae, in qua stilo scribebatur. Quintilianus X, 3. extr. *Scribitur optime ceris, in quibus facillima est ratio delendi.*

3. *panarium & lagunculam*) vasa alimentorum itineraria & venatoria.

non Dianam magis quam Mineruam) saltus non magis ad venationes, quibus Diana praeesse a veteribus

VII.

VII.

C. PLINIVS OCTAVIO RVFO SVO S.

Negat roganti Octauio, se posse contra Baeticos adesse, ques semper defenderit. Dein Octauii carmina desiderat.

Vide, in quo me fastigio collocaris, quum mihi idem potestatis idemque regni dederis, quod Homerus Ioui optimo maximo

τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πιτνὴς, ἕτερον δ' ἀνένευσεν.

Nam ego quoque simili nutu ac renutu respondere voto tuo possum. Etenim sicut fas est mihi, praesertim te exigente, excusare Baeticis contra vnum hominem aduocationem: ita nec fidei nostrae, nec constantiae, quam diligis, conueniet adesse contra prouinciam, quam tot officiis, tot laboribus, tot etiam periculis meis aliquando deuinxerim. Tenebo ergo hoc temperamentum, vt ex duobus, quorum alterum petis, eligam

credebatur, quam ad litterarum studia, qua Minerua dirigebat, aptos esse.

1. *idem potestatis*] proxime sequentia ostendunt, Octauium Plinio libertatem dedisse, id quod petierat & accipiendi & renuendi. *Herz.*

Homerus) Iliad. π. vers. 250. Sic Silius Italicus IV. v. 812. *Annibal aequatus superis.*

2. *adesse*) vide supra epist. 5 n. 5.

prouinciam, quam tot officiis) vide lib. III. epist. 9. & lib. VII. epist. vlt.

3. *ex duobus*) vt vel adsim contra vnum ex Baeticis, & hoc simul contra omnes Baeticos; vel ab aduocatione contra hunc vnum ex Baeticis in praesenti causa desistam.

id

id potius, in quo non solum studio tuo, verum etiam iudicio satisfaciam. Neque enim tantopere mihi considerandum est, quid vir optimus in praesentia velis, quam quid semper sis proba-
4 turus. Me circa idus Octobres spero Romae futurum, eademque haec praesentem quoque tua meaque fide Gallo confirmaturum: cui tamen nunc iam licet spondeas de animo meo,

ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι εὖσε Κρονίων.

5 Cur enim non vsquequaque Homericis versibus

---

studio tuo) quod Tu (Octaui) habes pro illo, cui contra quemdam ex Baeticis adesse a TE exigor *Herz.*

Neque enim) huius axiomatis vestigium habes & infra lib. III ep. 9. n. 26 *Fides in praesentia eos, quibus resistit, offendit, deinde ab illis ipsis suscipitur laudaturusque. Herz.*

4. *idus*) ad nostram computationem XV Octobris, Conf. Macrobium Saturnal. lib. I. c. 15.

Gallo) id nominis fuit illi, cui Octauius patrocinium quaerebat.

nunc iam) *nunmehro* vid. Tursell. c. CX n. 4.

licet spondeas) vt spondeas. De verbo puro puto *licet* male coniunctionibus annumerato cauteque in concessionibus adhibendo consulendus est Sanctius in Minerua lib. III. cap. 14. & ad eam eruditus commentator. *Herz.*

de animo) sc. ipsum iuuandi.

ἦ, καὶ κυανέῃσιν) Homeri versus 528. ex Iliad. A. latine est: *Dixit, & nigris superciliis annuit Saturnides.*

5. *vsquequaque*) i. e. in hunc vsque diem quacumque occasione. Non solus Plinius vero tantus Homeri erat amator, vt ex ipso passim Homericos intermisceret versus, sed tanta huius poetae erat existimatio, vt ab ipso in scholis fieret auspicium, teste nostro lib. II. epist. 14 n. 2. Hinc tam crebrae tum inter graecos, tum inter

agam

agam tecum? quatenus tu me tuis agere non pateris: quorum tanta cupiditate ardeo, vt videar mihi hac sola mercede posse corrumpi, vt vel contra Baeticos adsim. Paene praeterii, quod minime praetereundum fuit, accepisse me caryotas optimas, quae nunc cum ficis & boletis certandum habent. Vale. 6

---

lati os ad fabulas, prouerbia & sententias alluſiones. *Herz.*

quatenus) tenus qua fine: wie lange. Vid. Sanctii Minerv. lib. IV cap. 4 p. 640. & Voſſ. art. gram. lib. VII. c. 6. p. 373. *Herz.*

me tuis agere non pateris) ſc. verſibus, quos Octauius hactenus edere noluerat. Vide lib. II. ep. 10. ad eumdem.

6. *caryotas*) fructus palmarum. Plinius maior lib. XIII. c. 4. *Cariotae maxime celebrantur & cibo quidem, ſed & ſucco vberrimae.* De arboribus agit, quas Graeci καρυώτας φοίνικας appellant.

boletis) fungorum praeſtantiſſimis, quibus maxime Romani delectabantur, vt ex multis epigrammatis Martialis conſtat. Vide lib. I. epigr. 21. XII. epigr. 48. & XIII. epigr. 48.

certandum habent) Ita Aldus in prima: in altera, *certamen habent*, quod etiam Catanaeus expreſſit. Priore Caſaubonus adfert, & alibi noſtrum ita locutum eſſe, vt ſequente epiſtola n. 12. *enitendum haberemus*: & lib. VIII. epiſt. 14. n. 4. *quae facienda ipſi, ac per vices quasdam, tradenda minoribus haberemus.* Et Dialog. de Orator. c. 36. n. 9. *reſpondendum haberent.*

VIII.

C. PLINIVS POMPEIO SATVRNINO SVO S.

Petit emendationem orationis in patria habitae, quum bibliothecam dicasset, & alimenta ingenuis decreuisset: de cuius editione sollicitius disquirit.

Peropportune mihi redditae sunt litterae tuae, quibus flagitabas, vt tibi aliquid ex scriptis meis mitterem, quum ego id ipsum destinassem: Addidisti ergo calcaria sponte currenti, pariterque & tibi veniam recusandi laboris, & mihi exi-
2 gendi verecundiam sustulisti. Nam nec me timide vti decet eo, quod oblatum est: nec te grauari, quod depoposcisti. Nec est tamen, quod ab homine desidioso aliquid noui operis exspe-

---

1. *calcaria sponte currenti*) quod lib. III. epist. 7. extr. dicit *currentem instigare*. Prouerbium est: vnde Cicero addit, *vt aiunt*, consuetam notam paroemiarum, epistola ad Cassium lib. XV. fam. epist. 15. *Festinaui*, inquit, *vt Caesarem in Italia viderem, eumque ad pacem currentem, vt aiunt, incitarem.* Interdum omisso verbo solum participium ponit, vt ad Atticum lib. XI. I. epist. 45. *Quod me hortaris, vt eos dies consumam in philosophia explicanda; currentem tu quidem; sed &c.* Sumtum est ab Homero, cuius est Iliad. o. v. 293. σπίνδοντα ὀτρύνειν.

veniam) quam ex me petere potuisses, si vltro tibi ex meis scriptis aliquid ad censuram obtulissem. *Herz.*

verecundiam) quam alias adhibere debuissem, si sponte laborem perlegendi meum scriptum in te deuoluissem. *Herz.*

2. *Nec est tamen, quod*) i. e. non tamen est argumentum, propter quod &c.

desidioso) qui nempe non exhibito tibi aliquid de nouo elaboratum, sed quod iam paratum fuit. Sicut eodem vocabulo ludit lib. I. epist. 2. n. 6. *Herz.*

ctes. Petiturus sum enim, vt rursus vaces sermoni, quem apud municipes meos habui, bibliothecam dedicaturus. Memini quidem, te iam 3
quaedam adnotasse, sed generaliter: ideo nunc rogo, vt non tantum vniuersitati eius attendas, verum etiam particulas, qua soles lima, persequaris. Erit enim & post emendationem liberum nobis vel publicare vel continere. Quin- 4
immo fortasse hanc ipsam cunctationem nostram in alterutram sententiam emendationis ratio deducet, quae aut indignum editione, dum saepius retractat, inueniet: aut dignum, dum id ipsum experitur, efficiet. Quamquam huius cunctationis 5
meae causae non tam in scriptis, quam in ipso materiae genere consistunt. Est enim paullo

---

vaces sermoni) vt vacuus sis ab aliis negotiis ad perlegendum hunc meum sermonem.

bibliothecam dedicaturus) praeclarum factum, & principe viro dignissimum, quo plus gloriae meretur, quam vel amplissimis substructionum molibus: & tanto plus commodi reipublicae praestat, quanto praestantior animus est corpore; & litterarum virtutisque studia ceteris mortalium rebus omnibus antistant. Imitatus noster ex Romanis est Asinium Pollionem, de quo auunculus Plinius l. XXXV. c. 2. *Primus*, inquit, *bibliothecam dicando, ingenia hominum rem publicam fecit.*

4. *cunctationem nostram*) dum in edendo hoc sermone moras nectimus, & licet a Te sit perlectus, tamen denuo ad perlegendum mittimus. *Herz.*

saepius retractat) sc. emendatio. Plinius enim sibi persuadere non poterat, non esse & cum multis & saepe tractandum, quod placere & semper & omnibus cupimus lib. VII, epist 17. n, 15. *Herz.*

qua-

quasi glorioſius & elatius. Onerabit hoc mo-
deſtiam noſtram, etiamſi ſtilus ipſe fuerit preſſus
demiſſusque, propterea quod cogimur cum de
munificentia parentum noſtrorum, tum de no-
6 ſtra diſputare. Anceps hic & lubricus locus eſt,
etiam quum illi neceſſitas lenocinatur. Etenim
ſi alienae quoque laudes parum aequis auribus
accipi ſolent, quam difficile eſt obtinere, ne mo-
leſta videatur oratio de ſe aut de ſuis differentis?
Nam cum ipſi honeſtati, tum aliquanto magis
gloriae eius praedicationique inuidemus: atque
ea demum recte facta minus detorquemus & car-
pimus, quae in obſcuritate & ſilentio reponun-
7 tur. Qua ex cauſſa ſaepe ipſe mecum, nobisne
tantum, quidquid illud eſt, compoſuiſſe, an &

---

5. *glorioſius & elatius*) elatius, ſuperbius eſt, vt Nepos Pauſania cap. 1. *victoria elatus:* & cap. 2. *elatius ſe gerere coepit.*

ſtilus preſſus demiſſusque) modeſtus, ſine laude mei beneficii. Vide infra hoc libro epiſt. 22. n. 3.

diſputare) *Putare veteres dicebant, vacantia quaque ex re, ac non neceſſaria aut etiam obſtantia & aliena auferre, & excidere, & quod eſt vtile ac ſine vitio, videtur relinquere*, dicit Gellius noct. attic. lib. VI. c. 6. Hinc is *ſermo, in quo pura diſponuntur verba, ne ſit confuſus, atque vt diluceat, dicitur diſputare*, iuxta Varronem de ling. lat. lib. V. p. m. 56. *Herz.*

6. *lenocinatur*) i. e. de munificentia noſtra & parentum noſtrorum dilucide dicere lubricus eſt locus, etiam quum illi ſermoni neceſſitas adblandiatur, & quaſi videatur ineuitabile huius munificentiae laudem praeterire. Sic infra noſter II. ep. 19. n. 7. *nouitas lenocinatur libro. Herz.*

7. *ſaepe ipſe mecum*) reputo.

aliis

aliis debeamus, vt nobis? Admonet istud quo-
que, quod pleraque, quae sunt agendae rei ne-
cessaria, eadem peracta nec vtilitatem parem, nec
gratiam retinent. At, ne longius exempla repe- 8
tamus, quid vtilius fuit quam munificentiae ra-
tionem etiam stilo prosequi? Per hoc enim ad-
sequebamur, primum vt honestis cogitationibus
immoraremur, deinde vt pulcritudinem illarum
longiore tractatu perui deremus: postremo, vt
subitae largitionis comitem poenitentiam caue-
mus. Nascebatur ex his exercitatio quaedam con-
temnendae pecuniae. Nam quum omnes homines 9
ad custodiam eius natura restrinxerit; nos con-
tra multum ac diu pensitatus amor liberalitatis
communibus auaritiae vinculis eximebat: tan-
toque laudabilior munificentia nostra fore vide-
batur, quod ad illam non impetu quodam, sed
consilio trahebamur. Accedebat his cauſſis, 10
quod non ludos aut gladiatores, sed annuos

Admonet istud quoque] me.

peracta nec vtilitatem) communis haec est humana labes, vt ea, quae in nos recentia viguerunt, & ad imitandum a nobis sunt decreta, interiecto tempore obsolescant, gratiamque nouitatis exuant. Conf. Senec. de benef. lib. II. c. 2. 3. *Herz.*

8. *subitae largitionis*) in beneficio sc. si cum ratione faciendum est, videndum *quando, cui, quemadmodum, quare.* Vide Senec. lib. IV. c 9. de benefic. *Herz.*

10. *non ludos aut gladiatores*) Male locata pecunia, quae in ludos aut gladiatores erogabatur tunc temporis non infrequenter. vid. Tacit. Ann. XIII. c. 13. n. 4. XV. c. 34. n. 2. & alibi. adde nostrum Panegyr. c. 33. n. 1. quorum altera res vana & ad animos corrumpendos nata; altera etiam impia erat. Vide Prudentium extrema

sumtus in alimenta ingenuorum pollicebamur. Oculorum porro & aurium voluptates adeo non egent commendatione, vt non tam incitari de-
11 beant oratione, quam reprimi. Vt vero aliquis libenter educationis taedium laboremque suscipiat, non praemiis modo, verum etiam exquisi-
12 tis adhortationibus impetrandum est. Nam si medici salubres, sed voluptate carentes cibos, blandioribus alloquiis prosequuntur; quanto magis decuit publice consulentem, vtilissimum munus, sed non perinde populare, comitate orationis inducere? praesertim quum enitendum haberemus, vt quod parentibus datur, & orbis probaretur, honoremque paucorum ceteri pa-

---

lib. II. aduersus Symmachum. Quam honestius noster in bibliothecam publicam & alimenta ingenuorum pecuniam suam impendit?

in alimenta ingenuorum) in marmore Mediolanensi de nostro Plinio apud Gruter. p. 1028. DEDIT IN ALIMENT. PVEROR. ET PVELLAR. PLEB. VRB. H-S. --- IN TVTELAM BIBLIOTHECAE H. S. C. Vacuum Veenhusius aliunde complet *HS.* CCC. vnde annuum sumtum in hanc rem impensum cognoscis.

12. *enitendum haberemus*) vide praeced. epist. 7. in fine, & ibi notata.

& orbis probaretur) orbis, id est, ἀτέχνως. Orbus enim, qui liberos amisit: etiam qui non genuit, apud Curt. VI. c. 9. n. 12. Vult vero Plinius dicere: ipsi enitendum fuisse in illa oratione, vt, quod ipse suis parentibus in honorem dedisset, approbaretur ab illis, qui aut liberos plane amisissent, aut dum a filiis suis eiusmodi honore affecti non essent, quasi orbi fuissent, & ceteri hunc honorem, qui paucorum essent, patienter spectarent, (dum scilicet ipsis par honor a suis filiis non con-

tige-

tienter & spectarent & mirarentur. Sed vt 13
hunc communibus magis commodis quam priuatae iactantiae studebamus, quum intentionem adfectumque muneris nostri vellemus intelligi; ita nunc in ratione edendi veremur, ne forte non aliorum vtilitatibus, sed propriae laudi seruisse videamur. Praeterea meminimus, quan- 14
to maiore animo honestatis fructus in conscientia, quam in fama, reponatur. SEQVI enim GLORIA, NON APPETI, DEBET: nec, si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam non meruit, minus pulcrum est. Ii vero, qui 15
benefacta sua verbis adornant, non ideo praedicare, quia fecerint, sed vt praedicarent, feciſſe

---

fingeret) & quia nil plus possent, saltem mirarentur. *Herz.*

& spectarent & mirarentur) Ita Catanaeus: Aldus autem *exspectarent & mererentur*, quem plures editores sequuntur. Quum vero orbis exspectare & mereri id, quod parentibus est, non bene conueniat; alteram lectionem, quae *mirari* habet & *spectare*, praeferendam esse ducimus.

13. *hunc*) honorem. Est vero elliptica loquutio, atque accusatiuus non a verbo *studebamus*, sed a subintellecto *habere* regitur. Adde Vossium de arte grammat. l.b. VII. c. 34. p. m. 413. *Herz.*

adfectumque muneris) Vulgo *effectum*, quod in *affectum* non inscire mutauit Iacobus de Cruce Bononiensis.

14. *honestatis fructus in conscientia*) Pariter Symmachus lib. IX. epist. 115. *In sola conscientia est fructus & ratio virtutis.*

quod gloriam non meruit) Casaubonus *mereri* hoc loco τυγχάνειν, non ἀξιοῦσθαι interpretatur, hoc sensu: quod laudatorem non inueniat.

creduntur. Sic, quod magnificum referente alio fuisset, ipso qui gesserat recensente, vanescit. Homines enim quum rem destruere non possunt, iactationem eius incessunt. Ita si silenda feceris, factum ipsum: si laudanda, quod
16 non fileas ipse, culpatur. Me vero peculiaris quaedam impedit ratio. etenim hunc ipsum sermonem non apud populum, sed apud decuriones habui; nec in propatulo, sed in curia.
17 Vereor ergo, vt sit satis congruens, quum in dicendo adsentationem vulgi acclamationemque defugerim; nunc eadem illa editione sectari: quumque plebem ipsam, cui consulebatur, limine curiae parietibusque discreuerim, ne quam in speciem ambitionis inciderem, nunc eos etiam, ad quos ex munere nostro nihil pertinet praeter exemplum, velut obuia ostentatione conquirere.
18 Habes cunctationis meae causas: obsequar tamen consilio tuo, cuius mihi auctoritas pro ratione sufficit. Vale.

IX.

C. PLINIVS MINVTIO FVNDANO SVO S.

Hortatur ad secessum, propter studia & innocentiam vrbanae vitae praeferendum.

Mirum est, quam singulis diebus in vrbe ratio aut constet aut constare videatur,

---

15. *culpatur*) Ita Gruterus ex MSS. codicibus: vulgo minus apte *culparis*.

Epist. IX. 1. *ratio constet aut constare*) Ratio constat, formula ex rationibus petita, quae *constare* sibi dicuntur, quum plu-

pluribus iunctisque non constet. Nam, si quem interroges, Hodie quid egisti? respondeat, Officio togae virilis interfui; sponsalia aut nuptias frequentaui; ille me ad signandum testamentum, ille in aduocationem, ille in consilium rogauit. Haec quo die feceris, necessaria; eadem, si quotidie feciſſe te reputes, inania videntur, multo magis quum feceſſeris. Tunc enim subit recordatio, quot dies quam frigidis rebus absumsi? Quod euenit mihi postquam in Laurentino meo aut lego aliquid, aut scribo, aut etiam 2 3 4

accepta et expensa bene congruunt. Sic quando singulis diebus fiunt, quae ex officio facienda sunt, recte nobis constat ratio temporis. Adde lib. IX. ep. 2. extr. ac lib. X. ep. 20. n. 3. & cumprimis Panegyr. c. 38. n. 4. vbi negat *liberalitatem* esse, *cui ratio non constet*.

pluribus iunctisque) intellige *diebus*. Ita Barthius ex MS. pro eo, quod vulgatum erat: *constare videatur pluribus, cunctisque non constet*; quod nec bene cohaeret, neque cum mente auctoris satis conuenit. *Cellar*. *Iuncti* vero *dies* sunt continui dies. Sensus igitur: non obseruari, vt etiam continuis diebus assignentur, quae obseruanda & facienda sunt. *Herz*.

2. *Officio togae virilis*) Celebritati ac ritui, quo filius aliquis, XVI vel XVII annos natus, comitantibus paternis amicis, ad praetorem ducebatur, vt virilem togam pro praetexta acciperet. Add. Senec. epist. 4. pr.

in aduocationem) vt coram iudice defensor adsim vid. supra epist. 7. n. 2.

3. *quum feceſſeris*) in secessum aut villam te studiorum & otii causſa contuleris.

frigidis rebus) inanibus, quae nullum fructum sicut calor facit, producunt. Conf. lib. IV. ep. 17. n. 4. *Herz*.

4. *in Laurentino meo*) praedio ad oppidum Laurentum, cuius copiosam descriptionem vide lib. II. ep. 17.

corpori vaco, cuius fulturis animus sustinetur.
5 Nihil audio quod audisse, nihil dico quod dixisse poeniteat: nemo apud me quemquam (sinistris sermonibus) carpit; neminem ipse reprehendo, nisi vnum me, quum parum commode scribo: nulla spe, nullo timore sollicitor, nullis
6 rumoribus inquietor. Mecum tantum & cum libellis loquor. O rectam sinceramque vitam! o dulce otium, honestumque, ac paene omni negotio pulcrius! o mare, o littus, verum secretumque μουσεῖον! quam multa inuenitis, quam
7 multa dictatis? Proinde tu quoque strepitum istum inanemque discursum, & multum ineptos labores, vt primum fuerit occasio, relinque, te-
8 que studiis vel otio trade. Satius est enim, vt

---

corpori vaco) a laboribus vacuus sum ad corpus reficillandum.

cuius fulturis) si animo succurrere volumus, necesse est, vt corpus curemus.

5. sinistris sermonibus) Inclusa haec glossema videntur, etiam abfunt a codice, quem Barthius Aduers. XII, 9. laudauit. *Sinistri sermones* explicantur: *praui, peruersi sermones*. Neutiquam vero desumta est haec loquendi ratio ab auspiciis (quippe vbi sinistrum erat, laetum s. bonum:) sed a furibus, quippe qui sinistra ad furta vti soleat. Hinc Ouidio: *nata ad furta sinistra*. Herz.

carpit) sc. famam.

6. inuenitis - - dictatis) i. e. vestrum silentium, vestra quies multas inuentiones suppeditat: Vti supra ep. 6. *solitudo magnum cogitationis incitamentum est*.

7. discursum) dum scilicet iam huic officio, iam alii interesse debes.

studiis vel otio trade (Barthianus liber: *studiis velut otio redde*. Nihil muto.

Atti-

Attilius noster eruditissime simul & facetissime dixit, otiosum esse, quam nihil agere. Vale.

X.

C. PLINIVS ATRIO CLEMENTI SVO S.

Euphratem philosophum laudat, quem vt audiat Atrius hortatur, doletque non crebrius se per occupationes illum audire posse.

Si quando vrbs nostra liberalibus studiis floruit, nunc maxime floret. Multa claraque exempla sunt. Sufficerit vnum, Euphrates phi-

---

8. *Attilius noster*) Attilius forte Crescens, qui & amicus Plinii coniunctissimus, & facetiis quoque iucundus fuit. Vide infra lib. VI. epist. 8.

otiosum esse, quam nihil agere,) Satius est, litteris in secessu operam dare, quam inania in vrbe agere. Confer Scipionis apophthegma apud Cicer. Offic. III. c. 1.

Epist. X. *Atrio Clementi*) Prius nomen variat in libris, Attius, Arrius, Atrius. Fuit & illo tempore *Arretinus Clemens* apud Tacitum Hist. IV. c. 68. Catanaeus ad illum Clementem refert, cui Martialis epigramma XCIII. libri X. inscripsit.

1. *liberalibus studiis*) ad haec referebantur: grammatica, geometria, musica, astronomia. Confer Senecam ep. 88. Videtur vero Plinius vocabulum *liberalis* latius sumere, ita vt *liberalia studia* hoc in loco sint omnis generis studia, quae homine libero nullique in negotiis publicis officio adstricto digna sunt. *Herz.*

Euphrates philosophus) Stoicus, Eusebio in Chronicis, quâ mortem eius memorat, quam voluntariam senex admisit, hausto veneno, idque indulgente Hadriano imperatore. *Xiphilin. in Hadr.* De cetero, non obscura adsunt vestigia, ex quibus coniicio, hunc Euphratem esse eumdem cum illo Euphrate Apollonii hoste, cuius apud Philostratum fit mentio, in vit. Apoll. vt & epistolis, praecipue 50. *Herz.*

2 losophus. Hunc ego in Syria, quum adolescentulus militarem, penitus & domi inspexi, amarique ab eo laborani, etsi non erat laborandum. Est enim obuius & expositus, plenusque huma-
3 nitate quam praecipit. Atque vtinam sic ipse, quam spem tunc ille de me concepit, impleuerim, vt ille multum virtutibus suis addidit! at ego nunc illas miror, quia magis intelligo:
4 quamquam ne nunc quidem satis intelligo. Vt enim de pictore, sculptore, fictore, nisi artifex iudicare, ita, nisi sapiens, non potest perspicere
5 sapientem. Quantum mihi tamen cernere datur, multa in Euphrate sic eminent & elucent, vt mediocriter quoque doctos aduertant & ad-

---

2. *in Syria*) vt tribunus militum. conf. lib. III. ep. 11. n. 5. Sine dubio vero respicit Plinius ad bellum Iudaicum, quod administrabat Vespasianus, teste Tacito Hist. I. c. 10. n. 5. Syria vero & Iudaea dicitur. Pomp. Mela I. c. 11. Vespasiano vero in Aegyptum venienti adhaerebat Euphrates, teste Philostrato lib. I. c. 27. *Id.*

domi) i. e. inter priuatos parietes, vbi simulatio, quam foras prodeuntes assumere solent, cessat. *Herz.*

obuius & expositus) facilis adfatu, & humanus. *Cellar.* Hinc aulae etiam studiosius se insinuabat, teste Philostrat. lib. V. c. 31. *Herz.*

3. *virtutibus suis*) praelucendo sc. vt imitarer. Plane alia de ipso ceu hoste vere philosophantium labes apud Apollonium epist. 1-8. Machinationes ipsius contra Apollonium vid. ap. Philostrat. Vit. Ap. lib. VI. c. 7. 13. lib. VIII. c. 3.

at ego nunc illas miror) Ita Catanaeus, & Aldus in posteriore (1518) & Veenhusius cum Thomasio: alii, & Aldus in prima: *aut ego nunc &c.*

5. *aduertant & adficiant*) ad se convertant & in sui admirationem.

ficiant.

ficiant. Disputat subtiliter, grauiter, ornate: frequenter etiam Platonicam illam sublimitatem & latitudinem effingit. Sermo est copiosus & varius: dulcis in primis, & qui repugnantes quoque ducat & impellat. Ad hoc, proceritas corporis, decora facies, demissus capillus, ingens & cana barba. Quae licet fortuita & inania putentur, illi tamen plurimum venerationis adquirunt. Nullus horror in cultu, nulla tristitia, multum seueritatis: reuerearis occursum, non reformides. Vitae sanctitas summa, comitas par. Infectatur vitia, non homines: nec castigat errantes, sed emendat. Sequaris monentem 6 7

Platonicam sublimitatem & latitudinem) Illa ingenii acumen; hac eloquentiae copia significatur, quae tanta in Platone fuit, vt a πλατὺς *latus*, διὰ τὴν πλατύτητα τῆς ἑρμηνείας, *propter latitudinem & vbertatem orationis* nomen habuisse quibusdam visus fuerit, vt Laertius in Vita tradidit. Huc ergo noster verbo *latitudinis* videtur respexisse.

Sermo est copiosus) pro more sophistarum, quibus ipsum adnumerat Apollon. ep. 2.

6. *ingens barba*) Hinc Apollonius ep. 3. *barbam candidam eamque maximam huic Euphratae fuisse, praeterea nihil.*

7. *Nullus horror in cultu*) Ita etiam MSS. libri, Gutero & Barthio testantibus. *Horror in cultu*, sordidus habitus est & victus, quem philosophi de industria adfectabant, vt solam virtutem aestimare viderentur. Quidam legunt *vultu*, quod displicet Barthio, quia vultus horror mox voce *occursus* significatur.

nulla tristitia, multum seueritatis) Seueritas ipsius magna est, ita tamen, vt ne metrum transcendat, qui excessus vocatur tristitia.

Vitae sanctitas) quae tamen in citatis Philostrati locis alibi sistitur.

attentus & pendens: & persuadere tibi, etiam
8 quum persuaserit, cupias. Iam vero liberi tres,
duo mares, quos diligentissime instituit. Socer
Pompeius Iulianus, cum cetera vita, tum vel hoc
vno magnus & clarus, quod ipse prouinciae prin-
ceps inter altissimas conditiones generum, non
honoribus principem, sed sapientia, elegit.
9 Quamquam quid ego plura de viro, quo mihi
frui non licet? An vt magis angar, quod non
licet? Nam distringor officio vt maximo, sic
molestissimo. Sedeo pro tribunali, subnoto
libellos, conficio tabulas: scribo plurimas, sed

---

etiam quum persuaserit) Casaubonus mauult *quum non persuaserit*; quod Gruterus improbat, quia non solum contra antiquos libros sit, verum etiam gratia pereat, si quid interposueris. Tam dulcis est ipsius sermo, vt finitum denuo incipi cupias.

8. *cetera*) i. e. in. Singularem huius adiectiui in vsu esse, probat thesaurus latinitatis.

prouinciae princeps) Syriae puto, cuius supra mentio facta est. Inde autem a Pompeii victoria, Romana in hac gente nomina obtinuerunt.

inter altissimas conditiones generum) Vulgo *hunc inter &c.* Sed illud *hunc* Aldina neutra, neque codex Palatinus admittit. *Altissimae conditiones* autem sunt pingues & opulentae, hominum tum auctoritate, tum opibus & potentia pollentium.

9. *An*) scil. plura dicere debeo, vt magis dolore afficiar, quia non licet frui.

officio maximo, molestissimo) praefectura aerarii, vti ex sequentibus apparet. Adde lib. V ep. 15. n. 5. item lib. X, ep. 20.

tribunali) fiscales enim causae apud eos agebantur. Quod ex Vlpiano probat Brissonius selectar. antiq. ex iur. ciu. lib. III. c. 19.

tabulas) in quas referebantur, quae ad pecuniam illit-

illitteratissimas litteras. Soleo nonnunquam 10
(nam id ipsum quando contingit!) de his occupationibus apud Euphratem queri. Ille me consolatur; adfirmat etiam esse hanc philosophiae, & quidem pulcerrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promere & exercere iustitiam; quaeque ipsi doceant, in vsu habere. Mihi tamen hoc vnum non persuadet, 11
satius esse ista facere, quam cum illo dies totos audiendo discendoque consumere. Quo magis te, cui vacat, hortor, quum in vrbem proxime veneris (venias autem ob hoc maturius) illi te

---

publicam spectabant. Vid. Tacit. Annal. XIII. c. 28.

illitteratissimas litteras) inelegantes, indoctas, quibus satis erat, officii rationes expressisse. Imitatus est Sidonius lib. IV. epist. 3. extr. qui & eiusdem libri epist. 17. ineunte *litteratas litteras* dixit eruditas atque excultas.

10 *id ipsum quando contingit!*) quam raro contingit, querentis potius, quam interrogantis sensu. Ita Aldina vtraque editione, & prioribus Basileensibus scriptum est: ceteris *quandoque*, quod vulgo interpretantur *interdum*, *nonnunquam*, *raro*; sed dubium, an suffragante antiquitate, cui aliud significat, vt Gronouius ad Liuium l. XXIV. & XXX. Sanctius Minerua l. III. 14. & ibi Perizonius, amicus noster, offenderunt: quibus, si vis, adiungere potes, quae Curis P. sterioribus de hoc verbo in appendice commentati sumus. Qui secus sentit, potest forsan ad Senecam lib. I. Quaest. Nat. c. 1. extr. pronocare, si salua ibi scriptura est: nobis tutius antiquas editiones sequi, quam vulgarem vocis *Quandoque* interpretationem; quae propter *nonnunquam*, quod praecessit, videtur etiam ταυτόλογον aliquid continere.

quaeque ipsi doceant, in vsu habere) quae doceant philosophi de officiis, re & vsu exercere; seu doctrinam & praecepta ad res ac vitam conferre.

12 expoliendum limandumque permittas. Neque enim ego (vt multi) invideo aliis bonum, quo ipse careo; sed contra sensum quemdam voluptatemque percipio, si ea, quae mihi denegantur, amicis video superesse. Vale.

XI.

C. PLINIVS FABIO IVSTO SVO S.

De infrequentia epistolarum expostulat.

Olim nullas mihi epistolas mittis. Nihil est, inquis, quod scribam. At hoc ipsum scribe, nihil esse, quod scribas: vel solum illud, vnde incipere priores solebant, SI VALES, BENE EST; EGO VALEO. Hoc mihi sufficit; est
2 enim maximum. Ludere me putas? Serio peto. Fac sciam quid agas: quod sine sollicitudine summa nescire non possum. Vale.

XII.

C. PLINIVS CALESTRIO TIR SVO S.

Deflet Corellii voluntariam mortem, qua rectorem vitae suae & optimum amicum amiserit.

Iacturam grauissimam feci, si iactura dicenda est tanti viri amissio. Decessit Corellius Rufus, & quidem sponte: quod dolorem meum

---

Epist. XI. 1. *priores*) maiores, antiqui, vt Cicero & paullo minores. Verbo *priores* sic etiam Tacitus vtitur Ann. lib. III. c. 55. n. 5. & Agr. lib. I. c. 2.

Si vales) Seneca epist. 15. ineunte: *Mos antiquis fuit, vsque ad meam seruatus aetatem, primis epistolae verbis adiicere: si vales, bene est.* Adde Symmach. l. III. ep. 40.

Epist. XII. 1. *tanti viri amisso*) mors. Vide ad l. III. epist. 7. n. 3. *Cellar.* De cetero ratio, cur non velit iacturam vocare, potest esse illa, quae habetur l. II. ep. 1. n. 10. *Herz.*

exul.

exulcerat: Est enim luctuosissimum genus mortis, quae non ex natura, nec fatalis videtur. Nam vtcumque in illis, qui morbo finiuntur, 2
magnum ex ipsa necessitate solatium est; in iis vero, quos accersita mors aufert, hic insanabilis dolor est, quod creduntur potuisse diu viuere. Corellium quidem summa ratio, quae sapientibus pro necessitate est, ad hoc consilium compulit; quamquam plurimas viuendi causas habentem, optimam conscientiam, optimam famam, maximam auctoritatem; praeterea filiam, vxorem, nepotem, sorores, interque tot pignora, veros amicos. Sed tam longa, tam 4
iniqua valetudine conflictabatur, vt haec tanta pretia viuendi mortis rationibus vincerentur. Tertio & tricesimo anno (vt ipsum praedicantem audiebam) pedum dolore correptus est. Patrius hic illi; nam plerumque morbi quoque per successiones quasdam, vt alia, traduntur. Hunc abstinentia, sanctitate, quoad 5

---

nec fatalis) Fatalis mors, quae ex natura & temperamento est. Vide, quae ad Eutropium l. I, c. 10. n. 3. notauimus: & adde Tacit. Annal. lib. II. c. 71. n. 2.

3. *summa ratio*) ex Stoicorum opinione. Vere enim non summa, sed insana ratio est, vitam sibi propter dolores auferre.

inter tot pignora) filiam, vxorem, nepotem, sorores, quos iam memorauerat. Non enim soli liberi *pignora*, sed alii etiam cognati & omnes cari. Ita saepe apud Tacitum. Vide XV. c. 57. n. 2. & XVI. c. 26. n. 4.

5. *sanctitate*) castitate. *Barth.* Sic Tacit. Ann. XIV. c. 60. de ancillis Octauiae, quod *perstiterint sanctitatem suae dominae tueri. Herz.*

viridis aetas, vicit & fregit: nouissime cum se-
nectute ingraueſcentem, viribus animi ſuſtine-
6 bat. Quum quidem incredibiles cruciatus &
indigniſſima tormenta pateretur, (iam enim do-
lor non pedibus ſolis, vt prius, inſidebat, ſed
omnia membra peruagabatur,) veni ad eum
Domitiani temporibus, in ſuburbano iacentem.
7 Serui e cubiculo receſſerunt. Habebat enim
hoc moris, quoties intraſſet fidelior amicus:
quin etiam vxor (quamquam omnis ſecreti capa-
8 ciſſima) digrediebatur. Circumtulit oculos, &,
Cur, inquit, me putas hos tantos dolores tamdiu
ſuſtinere? vt, ſcilicet, iſti latroni vel vno die
ſuperſim. Dediſſes huic animo par corpus, fe-
ciſſet quod optabat. Adfuit tamen deus voto,
cuius ille compos, vt iam ſecurus liberque mori-

---

6. *in ſuburbano iacentem*) in praedio vrbi vicino decumbentem.

8 *vt iſti latroni ſuperſim*) Domitiano. In votis enim habebat tam diu viuere, donec tyranni interitum videret.

Dediſſes huic animo par corpus) Si dediſſes &c. quo cum Catanaeus illud Martialis confert III. 38.

Audieris, dices eſſe Maronis opus.

hoc eſt, ſi audietis.

feciſſet quod optabat) Barthius: *occidiſſet Domitianum.* Mollius Catanaeus: *ſuperuiviſſet Domitiano.* Ceterum verba, *Dediſſes &c.* Boxhornius & Veenhuſius Corellio tribuunt, vt ſermonem continuatum: Thomaſius Plinio, iudicium de Corellii virtute ferenti. Quod ſi hoc eſt, Barthii de caede ſententia non vana eſt: ſin illud, *feciſſet* cum euentu collatum non vltra vitae prolongationem extendi poteſt.

ſecurus liberque) ſub Traiano principe, libertate

turus,

turus, multa illa vitae, sed minora, retinacula abrupit. Increuerat valetudo, quam temperantia 9
mitigare tentauit; perseuerantem constantia
fugit. Iam dies alter, tertius, quartusa, abstinebat cibo. Misit ad me vxor eius Hispulla
communem amicum C. Geminium cum tristissimo nuntio, destinasse Corellium mori: nec aut
suis aut filiae precibus flecti; solum superesse
me, a quo reuocari posset ad vitam. Cucurri: 10
peruueneram in proximum, quum mihi ab eadem
Hispulla Iulius Atticus nuntiat, nihil iam ne me
quidem impetraturum: tam obstinate magis ac
magis induruisse. Dixerat sane medico admouenti cibum, κέκρικα, quae vox quantum admirationis in animo meo, tantum desiderii reliquit.

---

per Neruam restituta. Diocletiano enim superuixisse, exa. 11. huius epistolae, & ex lib. IX. epist. 13, n. 6. manifestum est,

multa illa vitae retinacula) cognationem, amicos, conscientiam, quae retinere eum in vita potuissent: sed *minora* erant & imbecilliora, quam vt contra moriendi consilium valerent.

9. *perseuerantem constantia fugit*) non potuit vlterius pati, quamuis contra niteretur. *Catan.*

abstinebat cibo) cuius generis voluntariam mortem etiam Pomponius Atticus apud Corn. Nepotem subiit.

10. κέκρικα) hoc est, *decreui*, vt de Didone poeta Aeneid. IV. v. 475. *Decreuitque mori.*

Catanaeus κέκμηκα legit, quod est, *defessus sum*, viuendo nempe; seu, taedet vitae. Sed praestat alterum, quod Aldus habet, & H. Stephanus, quem ad hunc locum legisse non poenitebit

quantum admirationis) quae oriebatur, quod licet Corellius maximas viuendi rationes haberet, retinacula tamen haec abrumpebat, *Herz.*

Cogito

11 Cogito, quo amico, quo viro caream. Impleuit quidem annum septimum & sexagesimum, quae aetas etiam robustissimis satis longa est: scio. euasit perpetuam valetudinem: scio. decessit superstitibus suis, florente republica, quae illi 12 omnibus suis carior erat: & hoc scio. Ego tamen, tanquam & iuuenis, & fortissimi, morte doleo: doleo autem (licet me imbecillum putes) meo nomine. Amisi enim, amisi vitae meae testem, rectorem, magistrum. In summa, dicam, quod recenti dolore contubernali meo Caluisio dixi; Vereor ne negligentius viuam. 13 Proinde adhibe solatia mihi: non haec, SENEX ERAT, INFIRMVS ERAT (haec enim noui); sed noua aliqua, sed magna, quae audierim nunquam, legerim nunquam. Nam quae audiui, quae legi, sponte succurrunt, sed tanto dolore superantur. Vale.

XIII.

C. PLINIVS SOSIO SENECIONI SVO S.

Et ingeniorum suis temporibus prouentum laudat, & auditorum negligentiam vituperat.

Magnum prouentum poetarum annus hic attulit. Toto mense Aprili nullus fere

---

11. *longa est: scio*) *De scio* huius ordinis & structurae, vide lib. IX. epist. 21. n. 2.

florente republica) sub imperio Traiani.

12. *vitae meae testem, rectorem, magistrum*) Lege lib. IV. epist. 17. n. 6. vbi haec explicantur.

ne negligentius viuam) erepto, qui dux et moderator meorum consiliorum erat. Aut: ne propter luctum & moerorem curas consuetas & labores negligam.

Epist. XIII. 1. *prouentum poetarum*) Elegans translatio, sic dies,

dies, quo non recitaret aliquis. Iuuat me quod vigent ſtudia, proferunt ſe ingenia hominum & oſtentant: tametſi ad audiendum pigre coitur. Plerique in ſtationibus ſedent, tempusque audiendi fabulis conterunt, ac ſubinde ſibi nuntiari iubent, an iam recitator intrauerit, an dixerit praefationem, an ex magna parte euoluerit librum: tum demum, ac tunc quoque lente cunctanterque, veniunt: nec tamen permanent, ſed 2

---

annum ingenia proferre, vt terra fruges. Ita Nepos Attico c. 12 n. 4. *elegantiſſimum poetam noſtram tuliſſe aetatem.* Virgilius Aen I. v. 605.

quae te tam laeta tulerunt Saecula?

Et Seneca epiſt. 90. *Lycurgum ſi eadem aetas tuliſſet.* In quibus *ferre* eſt inſtar agri proferre fructum.

recitaret aliquis) In vſu habebant poetae aliique eruditi, vt, ſi quem librum compoſuerant, antequam edebatur, vel amicis conuocatis, vel publice promiſcuis auditoribus praelegerent, eorumque cenſura ſaltem, ex ſignis vultuque obſeruata, vterentur. Id *recitare* appellabant. Vide ſupra lib. I. epiſt. 3 n. 4. & lib. VIII. epiſt. 12. n. 1. & alibi.

proferunt ſe ingenia) in notitiam ſe adducunt, nituntur celebriora fieri. Sic lib. IX. noſter epiſt. 13. n. 2. *pulcra materia ſe proferendi.* Et Tacitus XVI. c. 29. *quia protulerit ingenium.*

2. *in ſtationibus ſedent*) Locus publicus *ſtationes*, quo ciues poſt negotia conuenirent confabulandi cauſſa. Noſter lib. II. epiſt. 9. n. 5. *ambio domos, ſtationesque circumeo.* Iuuenalis Satyr. XI. v. 4.

Conuentus, thermae, ſtationes, omne theatrum.

Fuerunt autem pleraeque circa Forum, & vnae in primis celebres *Stationes municipiorum*, de quibus Plinius auunculus H. N. lib. XVI. c. 44.

ſubinde) frequenter, crebro, ſed cum interuallo. Adde lib. II. epiſt. 7. n. 6.

ante

ante finem recedunt, alii dissimulanter & furtim,
3 alii simpliciter & libere. At hercule memoria
parentum Claudium Caesarem ferunt, quum in
palatio spatiaretur, audissetque clamorem, caus-
sam requisisse; quumque dictum esset, recitare
Nonianum, subitum recitanti inopinatumque
4 venisse. Nunc otiosissimus quisque multo ante
rogatus, & idemtidem admonitus, aut non venit,
aut, si venit, queritur se diem, quia non perdide-
5 rit, perdidisse. Sed tanto magis laudandi pro-
bandique sunt, quos a scribendi recitandique stu-
dio haec auditorum vel desidia vel superbia non
6 retardat. Equidem prope nemini defui. erant
sane plerique amici. Neque enim quisquam est
7 fere qui studia, vt non simul & nos amet. His
ex caussis longius, quam destinaueram, tempus
in vrbe consumsi. Possum iam repetere secessum,
& scribere aliquid quod non recitem; ne videar,
quorum recitationibus adfui, non auditor fuisse
sed creditor. Nam vt in ceteris rebus, ita in
audiendi officio perit gratia, si reposcatur. Vale.

3. *Nonianum*) Non dubium, fuisse M. Seruilium Nonianum, qui consul fuit extremis fere Tiberii temporibus. De eo videat P. Plinius maior XXVIII. c. 2. extr. & auctor dialogi de caus. corruptae eloq. c. 23.

4. *quia non perdiderit, perdidisse*) non perdiderit nugis & confabulationibus; putare se perdidisse audiendo, quae pro inutilibus haberet, licet vtilissima vere sint, atque etiam saluberrima.

6. *nemini defui*) omnes aut plurimos audiui.

7. *repetere secessum*) villam & secretum illud museum, de quo supra epist. 9. dixerat.

non auditor, sed creditor) i. e. ne videar, me ipsorum

XIV.

XIV.

C. PLINIVS IVNIO MAVRICO SVO S.

Maurico suades, vt fratris filiam despondeat Aciliano, quem diligentissime commendat.

Petis, vt fratris tui filiae prospiciam maritum: quod merito mihi potissimum iniungis. Scis enim quantopere summum illum virum suspexerim dilexerimque: quibus ille adolescentiam meam exhortationibus fouerit, quibus etiam laudibus, vt laudandus viderer, effecerit. Nihil est quod a te mandari mihi aut maius aut 2
gratius, nihil quod honestius a me suscipi possit, quam vt eligam iuuenem, ex quo nasci nepotes Aruleno Rustico deceat. Qui quidem diu quae- 3
rendus fuisset, nisi paratus & quasi prouisus esset Minutius Acilianus: qui me vt iuuenis iuuenem (est enim minor pauculis annis) familiarissime diligit, reueretur vt senem. Nam ita a me for-

---

recitationibus interfuisse, vt hoc officium mihi recitatiro reddant. *Herz.*

Epist. XIV. *Maurico suo*) de quo & fratre eius Aruleno Rustico plura hoc libro epist. 5. n. 10. & 16. exposita videre potes.

1. *summum illum virum*) Arulenum Rusticum, a Domitiano interfectum.

3. *Minutius Acilianus*) Palat. cod. *Minutius Aemilianus Acilianus*: vnde Grutero videtur posterius cognomen adoptionis esse. Catanaeo est idem, qui lib. VII. epist. 22. laudatur, *Cornelius Minutianus*, quod certo adfirmare non ausim.

formari & instituí) Idem vtrumque valent, nempe quod vulgo *informari* dicimus. Coniunxit & Seneca principio epistolae 112: *Cupio mehercule amicum tuum formari, vt desideras, & institui.*

mari

mari & inſtitui cupit, vt ego a vobis ſolebam.
4 Patria eſt ei Brixia, ex illa noſtra Italia, quae multum adhuc verecundiae, frugalitatis, atque etiam
5 ruſticitatis antiquae retinet ac ſeruat. Pater Minutius Macrinus, equeſtris ordinis princeps, quia nihil altius voluit: adlectus a diuo Veſpaſiano inter praetorios, honeſtam quietem huic noſtrae, ambitioni dicam an dignitati? conſtantiſſime
6 praetulit. Habet auiam maternam Serranam Proculam, e municipio Patauino. Noſti loci mores. Serrana tamen Patauinis quoque ſeueritatis exemplum eſt. Contigit & auunculus ei P. Acilius, grauitate, prudentia, fide prope

---

vt ego a vobis) Maurico & Aruleno fratribus, qui aetate Plinium praeceſſerunt.

4. *Brixia, ex illa noſtra Italia*) Transpadana, quae etiam Plinii patriam, Comum, continebat.

ruſticitatis antiquae) ſimplicitatis & integritatis. Cicero pro Roſc. Am. c. 27. extr. *Vita ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parſimoniae, diligentiae, iuſtitiae magiſtra eſt.*

5. *adlectus inter praetorios*) Exhauſtos ſuperiori tyrannide ordines Veſpaſianus ſuppleuit, qua lege etiam Macrino, vt praetoriis ornamentis vteretur, conceſſum fuit.

ambitioni dicam an dignitati?) Honores, quales Plinius in vrbe gerebat, pleni moleſtiarum erant, & plerumque ambitione inquieti.

6. *e municipio Patauino*) Ipſum Patauium, oppidum Venetiae, hac periphraſi ſignificatur.

P. Acilius) Acilius Glabrio, vir conſularis, a Domitiano, vt Suetonius cap. 10. auctor eſt, interemtus fuerat: cuius forte filius aut agnatus eſt, quem heic noſter vt praeſentem & ſuperſtitem laudat.

ſingu-

singulari. In summa, nihil erit in domo tota, quod non tibi, tanquam in tua, placeat. Aciliano vero ipsi plurimum vigoris & industriae, quamquam in maxima verecundia. Quaesturam, tribunatum, praeturam honestissime percucurrit, ac iam pro se tibi necessitatem ambiendi remisit. Est illi facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa: est ingenua totius corporis pulcritudo, & quidam senatorius decor. Quae ego nequaquam arbitror negligenda. debet enim hoc castitati puellarum quasi praemium dari. Nescio, an adiiciam, esse patri eius amplas facultates. Nam quum imaginor vos, quibus quaerimus generum, silendum de facultatibus puto: quum publicos mores atque etiam leges ciuitatis

7 8 9

---

7. *percucurrit*) Vid. lib. VI. epist. 6. n. 2.

necessitatem ambiendi remisit) quia iam tum quaesturam, tribunatum, praeturam gessit, subleuat te labore ambiendi, quem alias pro genero fratris tui debebas suscipere.

8. *multo rubore suffusa*) Virtutis & ingenuitatis signum in facie. Eumenius panegyrico Constantii c. 19. *In ipso, Caesar, tuo vultu videbant omnium signa virtutum, in fronte grauitatis, in oculis lenitatis, in rubore verecundiae, in sermone iustitiae.*

9. *vos, quibus generum*) Vos, id est, te & fratrem mortuum, cuius proprie gener futurus erat. In cuius tamen locum Mauricus, vt decet patruum, officio atque cura successerat.

leges ciuitatis) Legem equestris census, quae & theatralis dicebatur, olim sancitam, a Domitiano renouatam (Sueton. 8.) intelligit, quam & Iuuenalis Satyr. III. v. 155. notat, *Cuius res legi non sufficit.*

Erat autem census ille quadragies sestertium, infra

intueor,

intueor, quae vel in primis census hominum spectandos arbitrantur, ne id quidem praetereundum videtur. Et sane de posteris, & his pluribus, cogitanti, hic quoque in conditionibus deligendis ponendus est calculus. Tu fortasse me putes indulsisse amori meo, supraque ista, quam res patitur, sustulisse: at ego fide mea spondeo, futurum, vt omnia longe ampliora, quam a me praedicantur, inuenias. Diligo quidem adolescentem ardentissime, sicut meretur: sed hoc ipsum amantis est, non onerare eum laudibus. Vale.

XV.

C. PLINIVS SEPTICIO CLARO SVO S.

Septicium, qui ad coenam vocatus non venerat, in iii damni dati iocabundus vocat.

Hcus tu, promittis ad coenam, nec venis. dicitur ius, ad assem impendium reddes, nec id modicum. Paratae erant lactucae singu-

---

quem cuius opes erant, ad equestres honores adspirare non poterat, adde huius libri ep. 19.

de posteris cogitanti) In caussa matrimoniali, vbi ad posteros respicitur, est quoque ratio census non negligenda, quo liberi aliquando parentum dignitatem tueri possint.

10. *Diligo quidem adolescentem*) Qui tot honoribus functus erat, *adolescentem* appellat, more Romanorum, quibus adolescentes erant vsque ad annum XXXVI & vltra aliquando. Vide Manut. ad Cic. lib. II. famil. epist. 1. extr.

Epist. XV. 2. *lactucae singulae, cochleae ternae*) His & quae sequuntur, coena veterum describitur, vt intelligas, quae singula singulis hospitibus, quae terna aut bina fuissent lac,

lae, cochleae ternae, ouа bina, alica cum mulso & niue. (nam hanc quoque computabis, immo hanc in primis, quae perit in ferculo) oliuae Baeticae, cucurbitae, bulbi, alia mille non minus lauta. Audisses comoedum, vel lectorem, vel lyristen, vel, quae mea liberalitas, omnes. At tu apud nescio quem, ostrea, vuluas, echinos, 3
Gaditana maluisti. Dabis poenas, non dico

---

apposita. Frugalem autem hanc coenam fuisse, ex Martialis epigrammate 53. libri XIII. apparet:

Dum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebit,
Et cochleas tibi lubet: perdere nolo famem.

cum mulso & niue) Mulsum bibebant veteres, (vid. Plin. mai. VII. c. 27.) & quo gratior potio esset, niue frigidiorem reddebant, quam Seneca Nat. Quaest. IV. extr. *niuatam potionem* vocat.

oliuae Baeticae) Oliuae prouentus in Baetica Hispaniae, Columella auctore lib. V. c 8. Quod & ex Martialis versu lib. XII. epigr. 99. liquet:

Baetis oliuifera crinem redimite corona.

Sic fluuium, qui interluit prouinciam, & nomen dat, adloquitur. Frustra ergo scripturam aliqui sollicitant.

comoedum, vel lectorem, vel lyristen) Symphoniam epulis adhibitam fuisse, res notissima est, & vsu hodieque approbata: *lector* autem sine *anagnostes* librum vel poeticum vel historicum praelegebat coenantibus, cuius consuetudinis exemplum lib. III. ep. 5. adfertur de Plinii maioris coena: ab hoc dimissus *comoedus* erat, qui gestu finul exprimeret, quae conuiuis recitabat.

3. *ostrea, vuluas*) Vulua suilla veterum mensarum deliciae, adeo vt censoria lege, sumtus minuendi caussa, interdici oportuerit. Vide Horat. I ep. 15. v. 41. ac ibi Torrentium & Plinium, nostri auunculum, lib. VIII. c. 51.

Gaditana) delicias ex Gadibus Hispaniae insula. Aldus legit *echinos Gaditanos*. Qui separant, cum Casaubono plerique de cantu & gesticulatione intelligunt; quas,

quas. Dure fecisti: inuidisti, nescio an tibi, certe mihi, sed tamen & tibi. Quantum nos
4 Iussissemus, risissemus, studuissemus! Potes apparatius coenare apud multos: nusquam hilarius, simplicius, incautius. In summa, experire. Et nisi postea te aliis potius excusaueris, mihi semper excusa. Vale.

XVI.

C. PLINIVS EVRICIO SVO S.

Saturnini stilum elegantissimum laudat, eiusque libros, vt legantur, commendat.

Amabam Pompeium Saturninum, hunc dico nostrum: laudabamque eius ingenium, etiam antequam scirem, quam varium, quam flexibile, quam multiplex esset: nunc vero to-
2 tum me tenet, habet, possidetque. Audiui causas agentem acriter & ardenter, nec minus polite & ornate: siue meditata siue subita proferret. Adsunt aptae crebraeque sententiae,

---

quibus Gaditanae puellae praeeminebant. Vide Martial. l. V. ep. 79. v. 26. et Iuuenal. Sat. XI. v. 162.

4. *mihi semper excusa*) Hoc est: Permittam, vt mihi, vocanti te, semper excuses, nec vnquam ad me venias; si, vbi semel veneris, non iucundas atque gratas meas coenas expertus fueris.

Epist. XVI. 1. *hunc dico nostrum*) Singularis vis in pronomine, quo vel amicitia significatur; vel, quod magis placet, communis patria, regio Transpadana, nisi simul discrimen ab aliis huius nominis exprimitur.

tenet, habet, possidet) Iuris veteris formula, in stipulatione Aquiliana obseruata. Vide Leg. XVIII. Digest. de Acceptilatione.

grauis

grauis & decora constructio, sonantia verba & antiqua. Omnia haec mire placent, cum impetu quodam & flumine praeuehuntur: placent si retractentur. Senties quod ego, quum orationes eius in manus sumseris; quas facile cuilibet veterum, quorum est aemulus, comparabis. Idem tamen in historia (tibi) magis satisfaciet vel breuitate, vel luce, vel suauitate, vel splendore etiam & sublimitate narrandi. Nam in concionibus eadem, quae in orationibus, vis est: pressior tamen, & circumscriptior, & adductior. Praeterea facit versus quales Catullus (meus) aut

2. *constructio*) ordo & compositio verborum.

sonantia verba & antiqua) Antiquitas puritatem indicat; sonus illum selectum verborum, quem artificium *iunctura*e, vt rhetores vocant, commendat.

flumine) ita Palat. cod. & Aldina editio, ac Sichardi Basileensis, quod cum sequente verbo magis congruit, etiam Grutero iudice, quam *fulmine*, quod alii legunt.

retractentur) domi priuata cogitatione repetantur. *Herz.*

3. *cuilibet --- comparabis*) hanc cum dativo constructionem habes & in Panegyr. c. 44. n. 4. it. ep. 22. n. 6. huius libri. *Herz.*

4. *tibi magis satisfaciet*) Inclusum *tibi* neutra Aldinarum agnoscit, neque veteres Basileenses.

in concionibus) in orationculis historiae insertis, vt sunt sane multae apud Sallustium, Liuium, Curtium, Tacitum, & alios.

in orationibus) iustis & longis, vt forenses sunt, & quibus in senatu, aut cum populo agitur.

5. *Catullus meus aut Caluus*) Inclusum *meus* abest ab Aldinis & Basileensibus. Si genuinum est, ad patriam referatur, quia Catullus Veronensis aeque Transpada-

Caluus. quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris! Inserit sane, sed data opera mollius leniusque, duriusculos quosdam: & hoc, 6 quasi Catullus (meus) aut Caluus. Legit mihi nuper epistolas, quas vxoris esse dicebat. Plautum vel Terentium metro solutum legi credidi; quae siue vxoris sunt, vt affirmat, siue ipsius, vt negat, pari gloria dignus est, qui aut illa componat, aut vxorem, quam virginem accepit, 7 tam doctam politamque reddiderit. Est ergo mecum per diem totum: eumdem antequam scribam, eumdem quum scripsi, eumdem etiam quum remittor, non tamquam eumdem, lego. Quod 8 te quoque vt facias, & hortor & moneo. Neque enim debet operibus eius obesse, quod vi-

---

nus, ac Plinius noster, erat. Alter est *C Licinius Calvus*, orator & poeta, de quo supra ad huius libri epist. 2. n. 2. plura diximus. Adde lib. IV. epist. 27.

amaritudinis) Aculeos, quibus pungit poeta, interpretatur Gronouius.

mollius leniusque) Veteres editiones, quas saepe laudamus, *mollius leuiusque*; Catanaeus cum sequacibus, *molliusculos leniusculosque*, vel *leniusculosque*. Non autem verosimile est, tria nostrum in *usculos* finita verba, per se non gratissima, coniunxisse. Praestat ergo antiquos libros sequi, vt tamen *lenius* pro *leuius* accipiamus

7. *Est ergo mecum*) non Saturninus, sed scripta eius Metonymia. *Mecum*, in manibus meis, aut ante oculos.

remittor) Si liber fio a negotiis, passiuum hoc eodem significatu vid. infra VII, 9, 9. *Herz*

non tamquam eumdem) quia semper aliquid noui in operibus eius inuenio.

8. *quod viuit*) quod recens & superstes est, quasi sola antiqua sint admiranda.

uit.

uit. An si inter eos, quos nunquam vidimus, floruisset, non solum libros eius, verum etiam imagines conquireremus; eiusdem nunc honor praesentis & gratia, quasi satietate, languescet? At hoc praui malignumque est, non admirari hominem admiratione dignissimum, quia videre, alloqui, audire, complecti, nec laudare tantum, verum etiam amare contingit. Vale. 9

XVII.

C. PLINIVS CORN. TITIANO SVO S.

Capitonem commendat, quod mortuo amico statuam posuerit, & clarorum hominum imagines domi habeat.

Est adhuc curae hominibus fides & officium: sunt qui defunctorum quoque amicos agant, Titinius Capito ab imperatore nostro impetrauit, vt sibi liceret statuam L. Syllani in foro

---

Epist. XVII. *Titiano*) Variant mire in hoc nomine libri: *Titiani* vero notum iis temporibus, ad quem etiam epist. 32. libri IX. data est.

1. *qui - - amicos agant*) ipso actu praestent, quod sint amici. Sic Tacit. Hist. l. c. 30. imperatoris amicum agere. *Herz.*

Titinius Capito) vir clarus & seculi sui ornamentum, vt noster eum laudat l. VIII. ep. 12. Vide ibi plura.

ab imperatore nostro impetrauit) Ius ponendae statuae imperatores ad se vocauerant. Sic infra l. II. ep. 7. n. 1. *Heri a senatu Vestricio Spurinna principe auctore, triumphalis statua decreta est.* Suetonius Calig. c. 34. *Vetuit posthac viuentium cuiquam vsquam statuam aut imaginem, nisi consulto se & auctore, poni.* Et lege I. Cod. de statuis & imaginibus, negantur statuae iudicibus *extra imperiale beneficium.*

Lucii Syllani) Catanaeo videtur is *Silanus* esse, quem

ponere. Pulcrum & magna laude dignum, amicitia principis in hoc vti, quantumque gratia
3 valeas, aliorum honoribus experiri. Est omnino Capitoni in vsu claros viros colere. Mirum est, qua religione, quo studio imagines Brutorum, Cassiorum, Catonum, domi, vbi potest, habeat. Idem clarissimi cuiusque vitam egregiis carminibus exornat. Scias ipsum plurimis virtutibus
4 abundare, qui alienas sic amat. Redditus est L. Syllano debitus honor, cuius immortalitati Capito prospexit pariter & suae. neque enim magis decorum & insigne est, statuam in foro populi Romani habere, quam ponere. Vale.

XVIII.

C. PLINIVS SVETONIO TRANQVILLO SVO S.

Suetonio actionem ex somnii monitu dissuadenti, de somniorum etiam contrario euentu respondet: saltem stropham aliquam pollicetur.

Scribis, te perterritum somnio vereri, ne quid aduersi in actione patiaris: rogas, vt dilatio-

---

Nero Barium Apuliae relegauit, post immisso centurione interfecit. Vid. Tacit. XVI, 9.

3. *Brutorum, Cassiorum, Catonum*) Nota & clarissima nomina. L. Brutus, regum expulsor; M. & D. Bruti, C. Caesaris interfectores: C. Cassius itidem percussor Caesaris: Cassius Chaerea, Caligulae interemtor: & incluti Catones, Censorinus ac Vticensis. Singuli defensores libertatis, vt inde coniiciat Catanaeus, latenter Titinium libertatis amatorem a Plinio laudari.

Epist. XVIII. 1. *in actione*) forensi disceptatione, pro Suetonio suscipienda.

nem

nem petam, & pauculos dies. Certe proximum excusem, difficile est: sed experiar.

- - κὰι γὰρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν.

Refert tamen, euentura soleas, an contraria 2
somniare. Mihi reputanti somnium meum, istud quod times tu, egregiam actionem portendere videtur. Susceperam caussam Iulii Pastoris, quum 3
mihi quiescenti visa est socrus mea aduoluta genibus, ne agerem, obsecrare. Et eram acturus adolescentulus adhuc: eram in quadruplici iudicio, eram contra potentissimos ciuitatis, atque

---

proximum) sc. diem, quo minus ad actionem comparere debeam. Sic supra epist. 7. *Excusare aduocationem. Herz.*

κὰι γὰρ τ' ὄναρ) Homer. Iliad. A. v. 63. *somnium ex Ioue est.*

2. *Refert*) i. e. ad interpretationem somnii hoc confert, vt inquiras, euentura soleas, an contraria somniare. *Herz.*

euentura) vera, quibus euentus respondet.

3. *Iulii Pastoris*) Forte is est, ad quem Martial's scripsit epigr. 23. lib. IX.

adolescentulus adhuc) ea tamen aetate, vt socrum & vxorem haberet. Vide supra ad epist. 14. n. 10.

in quadruplici iudicio) Centumuirali, vt ex clausula epistolae apparet: de quo supra aliquid ad epist. 5. n. 4. diximus. Vocatur & alibi *quadruplex*, lib. IV. epist. 24. n. 1. scilicet propter *quatuor consilia* & tribunalia, l. VI. ep. 23. n. 3. quorum locum Quintilianus l. XII. c. 5. extr. nominat *Iuliam basilicam*. De Trachallo enim, vocalissimo aduocato scribit: *Quum in basilica Iulia diceret primo tribunali, quatuor autem iudicia, vt moris est, cogerentur, atque omnia clamoribus fremerent; & auditum eum, & intellectum, & quod agentibus*

etiam Caesaris amicos: quae singula excutere mentem mihi post tam triste somnium poterant.
4 Egi tamen, λογισάμενος illud,

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης.

Nam mihi patria (& si quid carius patria) fides videbatur. Prospere cessit: atque adeo illa actio mihi aures hominum, illa ianuam famae pate-
5 fecit. Proinde dispice, an tu quoque sub hoc exemplo somnium istud in bonum vertas: aut, si tutius putas, illud cautissimi cuiusque praeceptum, QVOD DVBITAS, NE FECERIS;
6 id ipsum rescribe. Ego aliquam stropham inueniam: agamque caussam tuam, vt ipsam agere, quum tu voles, possis. Est enim sane alia ratio tua, alia mea fuit. Nam iudicium centumuirale

---

ceteris contumeliosum fuit, laudatum quoque ex quatuor tribunalibus memini. Adde nostrum lib. V. ep. 21. pr.

4. λογισάμενος) cogitans, reputans, Graeco verbo, citra necessitatem vsus est, quia mox Graeco versu (Iliad. M. v. 243.) vsurus erat, qui hunc sensum refert, *optimum augurium esse pro patria pugnare.*

mihi patria fides videbatur) Fides, quam dederam Iulio Pastori, tam cara & sancta mihi erat, quam vel patria potest esse: vel si quid patria carius.

Quod dubitas, ne feceris) Hoc philosophi dicunt, ex conscientia dubia nihil agendum esse.

6. *aliquam stropham*) dolosam excusationem, fallaciam. Atque ita Latine quoque Martialis vsus est lib. III. epigr. 7. & lib. XI. epigr. 8. Ab *vertendo* appellatur, quod Graece est στρέφειν.

caussam Tuam) propter absentiam in die, qui actioni destinatus est. *Herz.*

differri

differri nullo modo; istud aegre quidem, sed tamen potest. Vale.

XIX.

C. PLINIVS ROMANO FIRMO SVO S.

Firmo, municipi suo, trecenta sestertia offert ad censum equestrem explendum.

Municeps tu meus, & condiscipulus, & ab ineunte aetate contubernalis: pater tuus & matri & auunculo meo, mihi etiam, quantum aetatis diuersitas passa est, familiaris: magnae & graues caussae, cur suscipere & augere dignitatem tuam debeam. Esse autem tibi centum millium censum satis indicat, quod apud nos decurio es. Igitur, vt te non decurione solum, verum etiam equite Romano perfruamur, offero tibi ad implendas equestres facultates CCC 2

---

istud aegre) tuum iudicium, quod pro caussa tua inibis, quando, quod apud centumuiros ex ea agendum est, feliciter expediuero.

Epist XIX. 1. *Municeps tu meus*] Ita recte Aldus & alii antiqui: quod perperam postea in *Municeps tuus* contractum fuit.

2. *centum millium censum*) centum sestertia, seu centies millia sestertium, siue vicies & quinquies millia denarium.

decurione) Decuriones, publici consilii caussa conscripti municipiorum senatores, quorum census heic definitur. Conf. Brissonii select. ant. lib. IV. c. 13.

ad implendas equestres facultates CCC) Equester census erant quadringenta sestertia. Plinius alter lib. XXXIII, 2. *Constitutum, ne cui ius id* (gestandi annuli) *esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, auoque paterno sestertia CCCC census fuisset, & lege Iulia theatrali in XIV ordini-*

3 millia nummum. Te memorem huius muneris amicitiae nostrae diuturnitas spondet. Ego ne illud quidem admoneo, quod admonere deberem, nisi te scirem sponte facturum, vt dignitate
4 a me data quam modestissime vtare. Nam sollicitius custodiendus est honor, in quo etiam beneficium amici tuendum est. Vale.

XX.

C. PLINIVS COR. TACITO SVO S.

Tacitum consulit, amplum & copiosum dicendi genus, an breuius & circumscriptius magis probet.

Frequens mihi disputatio est cum quodam docto homine & perito, cui nihil aeque in
2 causis agendis vt breuitas placet. Quam ego custodiendam esse confiteor, si caussa permittat.

---

bus sedendi. Et sine notulis numerorum plenis verbis Martialis lib. IV. epigr. 67.

Praetorem pauper centum sestertia Gaurus
Orabat cara notus amicitia:
Dicebatque, suis haec tantum deesse trecentis,
Vt posset domino plaudere iustus eques.

Haec nostrae monetae comparata, si denarius & drachma idem sunt, efficiunt quadringenta sestertia 12500 vallenses siue thaleros.

3. *modestissime vtare*) (tamquam alieno beneficio, sine elatiore animo. Aldus & alii interponunt, *vt a me data*, quod manifestum glossema est, vel ex prioribus verbis repetitum. Idcirco expunctum editione Sichardi & nupera Thomasiana: Genuensi vncinis inclusum, vt solent, quae suspectae fidei sunt.

Epist. XX. 1 *nihil aeque, vt.* Aduerbium *Aeque* non solum cum copulatiuis *Ac, Et, Atque*, aut cum comparante *Quam*, verum etiam cum *Vt* eleganter componitur.

alioqui

alioqui praeuaricatio est, transire dicenda; praeuaricatio etiam, cursim & breuiter attingere, quae sint inculcanda, infigenda, repetenda. Nam plerisque longiore tractu vis quaedam & 3
pondus accedit. Vtque corpori ferrum, sic oratio animo non ictu magis quam mora imprimitur. Hic ille mecum auctoritatibus agit, ac mihi ex 4
Graecis orationes Lysiae ostentat: ex nostris Gracchorum Catonisque, quorum sane plurimae sunt circumcisae & breues: ego Lysiae Demosthenem, Æschinem, Hyperidem, multosque præ-

---

Cicero pro domo sua cap. 11. *Pompeius aeque, vt vnusquisque vestrum, pro salute mea laborauit.* Tibullus lib. IV. eleg. 12.

Ne tibi sim, mea lux, aeque tam feruida cura,
Vt videor paucos ante fuisse dies.

Sic etiam *perinde, vt*, Cic. IX. ep. 15. sect. 1.

4. *orationes Lysiae*) Syracusani, sed Athenis versati, de quo Fabius lib. X. cap. 1: *His*, inquit, hoc est, Demosthene, Æschine & Hyperide, *aetate Lysias maior, subtilis atque elegans, & quo nihil, si oratori satis sit docere, perfectius. Nihil enim est inane, nihil arcessitum; puro tamen fonti, quam magno flumini, propior.* Vera haec esse, Orationes, quae supersunt XXXIV, documento sunt.

Gracchorum Catonisque) Tiberii & Caii Gracchorum fratrum, tumultu, sed non vno tempore, occisorum, de quorum eloquentia Cicero I. de Orat. c. 9. *Cato* heic laudatus, Censorinus est, sua aetate eloquentissimus. Vid. Cic. de Clar. Orat. c. 17.

Hyperidem) Ita optimi libri, & Aldus: quidam *Periclem*. Vterque summus orator: de altero Quintilianus lib. X. c. 1. *Dulcis inprimis & acutus Hyperides.* Cicero I. de Orat. c. 13. eumdem cum Demosthene coniungit, eosque *perfectos in dicendo & perpolitos* praedicat.

terea, Gracchis, & Catoni, Pollionem, Caesarem, Caelium, in primis Marcum Tullium, oppono, cuius oratio optima fertur esse quae maxima. Et, hercule, vt aliae bonae res, ita bonus liber melior est quisque quo maior. Vides, vt statuas, signa, picturas, hominum denique multorumque animalium formas, arborum etiam, si modo sint decorae, nihil magis quam amplitudo commendet: idem orationibus euenit: quin etiam voluminibus ipsis auctoritatem quamdam & pulcritudinem adiicit magnitudo. Haec ille, multaque alia, quae a me in eamdem sententiam solent dici, vt est in disputando incomprehensibilis & lubricus, ita eludit vt contendat, hos ipsos, quorum orationibus nitar, pauciora dixisse quam ediderint. Ego contra puto. Testes sunt multae multorum orationes, & Ciceronis pro Murena, pro Vareno: in quibus breuis & nuda quasi subscriptio quorumdam criminum solis titulis indicatur. Ex his apparet, illum permulta dixisse; quum ederet, omisisse. Idem pro Cluentio ait, se totam caussam veteri instituto solum peroraſſe, & pro Cornelio quatriduo egisse: ne dubitare

Pollionem, Caesarem, Caelium) Quintilianus lib. XII. cap. 10. *Hinc vim Caesaris, indolem Caelii, - - diligentiam Pollionis reperiemus.* Asinius Pollio, C. Iulius Caesar, & M. Caelius Rufus, cuius est octauus liber epistolarum inter Ciceronianas. De singulis etiam Dialog. de caussis corr. eloq. c. 17. consulatur.

6. *incomprehensibilis*) Columella praefat. lib. X. *incomprehensibilis arenae paruitas.*

7. *pro Vareno*) intercidit haec oratio.

8. *pro Cornelio quatriduo egisse*) Fragmenta actionis possi-

possimus, quae per plures dies, vt necesse erat, latius dixerit, postea recisa ac purgata, in vnum librum, grandem quidem, vnum tamen, coarctasse. At aliud est actio bona, aliud oratio. 9
Scio nonnullis ita videri, sed ego (fortitan fallor) persuasum habeo, posse fieri, vt sit actio bona, quae non sit bona oratio: non posse non bonam actionem esse, quae sit bona oratio. Est enim oratio actionis exemplar, & quasi ἀρχέτυπον. Ideo 10
in optima quaque mille figuras extemporales inuenimus: in his etiam, quas tantum editas scimus, vt in Verrem, ARTIFICEM QVEMNAM?

---

pro C. Cornelio, maiestatis reo, apud Asconium Pedianum supersunt, qui & illud de *quatriduo* in fine argumenti adnotauit.

in vnum librum) Collectores fragmentorum Ciceronis I & II. orationem pro Cornelio distinguunt, quod etiam Priscianus lib X & XVIII fecit.

9. *vt sit actio* obseruans scilicet omnia, quae contra aduersarium possunt proferri, licet non fiat more diducto oratorum. *Herz*

non posse non bonam) Haec verba vsque *Est enim*, absunt a multis nouitiis editionibus; exprimuntur autem Aldina vtraque, & antiquis Basileensibus; & ipsa vis oppositionis, vt sit efficacior, videtur requirere.

ἀρχέτυπον Latine scriptum *archetypum* exstat l. V. ep. 10. Primitiuum exemplar est, ad quod res conformatur. Paullo enim post: *Actio sit absolutissima, quae maxime orationis similitudinem expresserit.*

10. *mille figuras extemporales*) innumeros modos dicendi elegantiores, nec praemeditatos.

quas tantum editas scimus) non actas, sed tantum publicatas. *Catan.*

vt in Verrem) orat. VI. cap. 3.

RECTE ADMONES. POLYCLETVM ESSE DICEBANT. Sequitur ergo, vt actio sit absolutissima, quae maxime orationis similitudinem expresserit, si modo iustum & debitum tempus accipiat: quod si negetur, nulla orationis, ma-
11 xima iudicis culpa est. Adsunt huic opinioni meae leges, quae longissima tempora largiuntur, nec breuitatem dicentibus, sed copiam, hoc est, diligentiam, suadent: quam praestare, nisi in angustissimis causis, non potest bre-
12 uitas. Adiiciam, quod me docuit vsus, magister egregius; frequenter egi, frequenter iudicaui, frequenter in consilio fui. Aliud alios mouet; ac plerumque paruae res maxime trahunt. Varia sunt hominum iudicia, variae voluntates: inde qui eamdem caussam simul audierunt, saepe diuersum, interdum idem, sed
13 ex diuersis animi motibus sentiunt. Praeterea suae quisque inuentioni fauet, & quasi fortissimum complectitur, quum ab alio dictum est, quod ipse praeuidit. Omnibus ergo dandum
14 est aliquid quod teneant, quod agnoscant. Dixit aliquando mihi Regulus, quum simul adessemus,

---

11. *leges, quae longissima tempora*) XX dierum scilicet. Hi enim accusatori ad accusandum dabantur: totidem ad respondendum defensori, quod Asconius in Verrinam de Praet. Vrbana tradidit.

12. *vsus, magister*) Vide lib. VI. epist. 29. n. 4.

maxime trahunt) Vulgo *maximas trahunt*. Aldus; *maxime trahuntur*, sanus in priore: in altera prauatus. *Trahunt*, id est, mouent, adficiunt iudicem.

14. *quum simul adessemus*) vna caussam ageremus. Vide supra epist. 5. n. 5.

Tu

Tu omnia, quae sunt in caussa, putas exsequenda: ego iugulum statim video, hunc premo. (Premit sane quod eligit, sed in eligendo frequenter errat.) Respondi, posse fieri, vt genu 15
esset, aut tibia, aut talus, vbi ille iugulum putaret. At ego, inquam, qui iugulum perspicere non possum, omnia pertento, omnia experior, πάντα denique λίθον κινῶ. Vtque in agricultura 16
non vineas tantum, verum etiam arbusta, nec arbusta tantum, verum etiam campos curo & exerceo: vtique in ipsis campis non far aut siliginem solam, sed ordeum, fabam, ceteraque legumina fero: sic in actione plura quasi semina latius spargo, vt, quae prouenerint, colligam. Neque enim minus imperspicua, incerta fallacia- 17
que sunt iudicum ingenia, quam tempestatum terrarumque. Nec me praeterit, summum oratorem Periclem sic a comico Eupolide laudari,

---

iugulum statim video, hunc premo) argumentum caussae praecipuum inuado, & maxime vrgeo.

15. πάντα λίθον κινῶ) *omnem lapidem moueo.* Adagium Graecum, cuius originem Erasmus in Chiliad. prodit. Idem refert, quod omnia experiri, nihil intentatum relinquere.

17. *imperspicua*) ita vt necesse sit, omnia deducta oratione dilucide sistere, & collustrare. *Herz.*

a comico Eupolide) Eupolis, Εὔπολις, poeta comicus, Aristophani aequalis, Eusebio auctore, circa initia belli Peleponnesiaci, in quo miles obiit, Hellesponto submersus, vt Suidas referr. Eadem, quae Graece noster, ex eodem Tullius de Clar. Orator. cap. 9. recenset: *De Pericle scripsit Eupolis, cum delectatione aculeos etiam reliquisse in animis eorum, a quibus esset auditus.* Quae possunt instar interpretationis esse.

---πρὸς δέ γ' αὖ τοῦτῳ τάχ' ἡ
Πειθώ τις ἐπεκάθητο τοῖσι χείλεσιν.
Οὗτος ἐκήλει, τὴν μόνος τῶν ῥητόρων.
Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

18 Verum huic ipsi Pericli nec illa πειθώ, nec illud ἐκήλει breuitate, vel velocitate, vel vtraque (differunt enim) fine facultate summa contigisset. nam delectare, persuadere, copiam dicendi spatiumque desiderant: reliquere vero aculeum in audientium animis is demum potest, qui non 19 pungit, sed infigit. Adde, quae aeque de eodem Pericle comicus alter,

Ἧρχεπ', ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα.

Non enim amputata oratio & abscissa; sed lata, & magnifica, & excelsa tonat, fulgurat, omnia 20 denique perturbat ac miscet. Optimus tamen modus est: quis negat? sed non minus non seruat modum, qui infra rem, quam qui supra:

πρὸς) *ad haec Dea persuasionis insidebat labiis. Sic demulcebat, & vnicus rhetorum relinquebat aculeum in illis, qui audiebant. Herz.*

18. πειθὼ, ἐκήλει) Dea quasi persuasionis, Suada, Suadela. Cicero iterum de Clar. Orat. cap. 15. Πειθὼ *quam vocant Graeci, cuius effector est orator, hanc Suadam appellauit Ennius, ---quam deam in Pericli labris scripsit Eupolis fessitauisse.* Alterum sonat *demulcebat.*

infigit) hoc vero non ictu magis quam mora imprimitur. vid. n. 3. *Herz.*

19. *comicus alter*) Aristophanes in Acharnensibus, cuius versus a nostro laudatus, hoc Latine sonat:

Fulgurabat, tonabat, commouebat Graeciam.

quod mox eisdem paene verbis ipse Plinius interpretatus est.

qui

qui astrictius, quam qui effusius dicit. Itaque 21
audis frequenter, vt illud IMMODICE ET REDVNDANTER, ita hoc IEIVNE ET INFIRME. Alius excessisse materiam, alius dicitur non implesse, aeque vterque: sed ille imbecillitate, hic viribus peccat. quod certe etsi non limitioris, maioris tamen ingenii vitium est. Nec vero quum haec dico, illum Homericum ἀμυστροεπῆ 22
probo, sed hunc,

Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίοισιν:

non quia non & ille mihi validissime placeat, παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως. Si tamen detur electio, illam orationem similem niuibus hibernis, id est, crebram, assiduam & largam, po-

21. *ille imbecillitate, hic viribus*) Contra consuetudinem *ille* ad propinquius, *hic* ad remotius refertur. Sic etiam *hic, illic*, lib. II. epist. 14. n. 2. permutantur. Atque ita interdum boni scriptores. Liuius XXX, 30. in Hannibalis oratione: *Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria: haec in tua; illa in deorum manu est.* Nec Cicero ab hac structu a abhorruit, vt Sanctius in Minerua II, 9. ostendit, & ibi Cl Perizonius. Adde Ouid. Trist. I. eleg 2. v. 24.

maioris ingenii vitium est.) Ita MSS. & Aldina aliaeque antiquiores editiones; recentes *indicium*, Catanaeum sequutae.

22. *illum Homericum ἀμυστροεπῆ*) sine modo verba fundentem. Thersiten intelligit, qui ita vocatur Iliad. B. v. 212.

sed hunc) Vlyssem, cui poeta Iliad Γ. v. 222. tribuit, quae noster laudat, *verba imbribus niualibus similia hibernis.*

ille mihi validissime placeat) Menelaus, de quo ita Homerus eodem libro v. 214. iudicat, *pauca quidem, sed valde argute* locutum esse.

stremo

23 stremo diuinam & coelestem, volo. At est gratior multis actio breuis. Est (quidem) sed inertibus, quorum delicias desidiamque, quasi iudicium, respicere ridiculum est. Nam si hos in consilio habeas, non solum satius est breuiter
24 dicere, sed omnino non dicere. Haec est adhuc sententia mea, quam mutabo, si dissenseris tu, sed plane, cur dissentias, explices rogo. Quamuis enim cedere auctoritati tuae debeam, rectius tamen arbitror in tanta re, ratione, quam au-
25 ctoritate superari. Proinde, si non errare videor, id ipsum, quam voles breui epistola, sed tamen scribe. (confirmaueris enim iudicium meum) si erraueró, longissimam para. Num corrupi te, qui tibi, si mihi accederes, breuis epistolae necessitatem, si dissentires, longissimae, imposui? Vale.

XXI.

C. PLINIVS PLINIO PATERNO SVO S.

Seruos consilio Paterni emtos, decentes esse scribit: vt frugi sint, optat.

Vt animi tui iudicio, sic oculorum plurimum tribuo: non quia multum (ne tibi placeas) sed quia tantum, quantum ego, sapis: quam-
2 quam hoc quoque multum est. Omissis iocis,

---

23. *Est quidem*) inclusum *quidem* Aldus & veteres alii non agnoscunt.

25. *si erraueró*) Ita veteres editiones: etiam, Grutere teste, codex Palatinus.

Epist. XXI. *Paterno suo*) An forte auarus ille, in quem Martialis lib. XII. epigr. 53. scripsit? saltem eiusdem familiae oportet fuisse.

credo

credo decentes esse seruos, qui sunt emti mihi ex consilio tuo: superest, vt frugi sint: quod de venalibus, melius auribus, quam oculis, iudicatur. Vale.

XXII.

C. PLINIVS CATILIO SEVERO SVO S.

Aristonis, quem laudat, diuturna valetudine in vrbe se detineri scribit, in Laurentinum studiorum caussa redituros, quamprimum is conualuerit.

Diu iam in vrbe haereo, & quidem attonitus. Perturbat me longa & pertinax valetudo Titi Aristonis, quem singulariter & miror & diligo. Nihil est enim illo grauius, sanctius, doctius: vt mihi non vnus homo, sed litterae ipsae omnesque bonae artes in vno homine summum periculum adire videantur. Quam peritus ille & priuati iuris & publici? quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet? nihil est, quod discere velis, quod ille docere non possit. mihi certe, quoties aliquid abditum quaero, ille thesaurus est. Iam quanta sermonibus eius fides? quanta auctoritas? quam pressa & decora cunctatio? quid est quod non statim sciat? & tamen plerumque haesitat: dubitat,

2. *melius auribus*) ex fama, quales se alibi gesserint. Epist. XXII. *Catilio Seuero*) Hic Syriae praefectus fuit ineunte Hadriani imperio: extremo illo, praefectus vrbi. Vide Spartian cap. 5. extr. & 24.

1. *Titi Aristonis*) T. Saluii Aristonis, celebris sub Traiano iurisconsulti, cuius in Digestis quoque mentio fit, vt Lege 39 Mandati, & Lege 6. de legatis praestandis.

3. *quam pressa*) modesta, demissa. Sic supra ep. 8. n. 5. *stilus pressus demissusque*.

bitat, diuersitate rationum: quas acri magnoque iudicio ab origine cauſſisque primis repetit,
4 diſcernit, expendit. Ad haec quam parcus in victu? quam modicus in cultu? Soleo ipſum, cubiculum eius, ipſumque lectum, vt imaginem
5 quandam priſcae frugalitatis, adſpicere. Ornat haec magnitudo animi, quae nihil ad oſtentationem, omnia ad conſcientiam refert: rectèque facti, non ex populi ſermone mercedem, ſed ex
6 facto petit. In ſumma, non facile quis quemquam ex iſtis, qui ſapientiae ſtudium habitu corporis praeferunt, huic viro compararit. Non quidem gymnaſia ſectatur aut porticus, nec diſputationibus longis aliorum otium ſuumque delectat: ſed in toga negotiisque verſatur: muſ-
7 tos aduocatione, plures conſilio iuuat. Nemini tamen iſtorum caſtitate, pietate, iuſtitia, fortitu-

4. *priſcae frugalitatis*) quam Seneca epiſt. 86. commendat, & exemplo illuſtrat.

6. *praeferunt*) Ita veteres libri, eodem ſenſu, quo alii *prae ſe ferunt*, ſubſtituere. *Praeferunt*, id eſt, qui oſtentant ſe habitu etiam philoſophos. Hoc enim magis ad laudem Ariſtonis, quod omnes illos & habitu philoſophos ſuperet. *Herz.*

Non quidem gymnaſia aut porticus) loca publica frequenti populo celebrata, quibus philoſophi quoque oſtentandae doctrinae cauſſa ſe immittebant. Alioqui gymnaſia non litterarum ſtudiis, ſed corporis exercitationibus deſtinata erant.

in toga negotiisque verſatur) ciuilibus officiis intereſt. Toga enim ciuis ſignum.

7. *Nemini tamen iſtorum*) philoſophorum, qui habitu corporis ſapientiam prae ſe ferunt.

dine,

dine, etiam primo loco cesserit. Mirareris, si interesses, qua patientia hanc ipsam valetudinem toleret, vt dolori resistat, vt sitim differat, vt incredibilem febrium ardorem immotus opertusque transmittat. Nuper me paucosque mecum, 8
quos maxime diligit, aduocauit: rogauitque, vt medicos consulteremus de summa valetudinis, vt, si esset insuperabilis, sponte exiret e vita: sin tantum difficilis & longa, resisteret maneretque. Dandum enim precibus vxoris, dandum filiae 9
lacrymis, dandum etiam nobis amicis, ne spes nostras, si modo non essent inanes, voluntaria morte desereret. Id ego arduum in primis, & praecipua laude dignum puto. Nam impetu 10
quodam & instinctu procurrere ad mortem, commune cum multis: deliberare vero & causas eius expendere, vtque suaserit ratio, vitae mortisque consilium suscipere vel ponere, ingentis est animi. Et medici quidem secunda nobis 11
pollicentur: superest, vt promissis deus adnuat, tandemque me hac sollicitudine exsoluat, qua liberatus, Laurentinum meum, hoc est, libellos & pugillares, studiosumque otium repetam.

---

primo loco) quem in militia Romana occupabant fortissimi. Caes. B. Gall. lib. V. c. 43. *Herz.*

8. *sponte exiret e vita*) morte voluntaria, vt post paullo explicatur. Conf. Senec. ep. 58.

10. *ratio*) quippe quae sapientibus, pro necessitate est lib. I. ep. 12. n. 3. *Herz.*

vitae mortisque consilium suscipere vel ponere) Ex Stoica disciplina consilium & sententia.

11. *Laurentinum meum*) praedium, de quo l. II. ep. 17.

Nunc

Nunc enim nihil legere, nihil scribere aut adsi-
12 denti vacat, aut anxio libet. Habes quid timeam, quid optem, quid etiam in posterum destinem: tu quid egeris, quid agas, quid velis agere, inuicem nobis, sed laetioribus epistolis, scribe. Erit confusioni meae non mediocre solatium, si tu nihil quereris. Vale.

XXIII.

C. PLINIVS POMPEIO FALCONI SVO S.

Consulenti, an tribunum pl. causas agere deceat, respondet, se, quum tribunus esset, abstinuisse propter certas, quas adfert, rationes.

Consulis, an existimem te in tribunatu causas agere decere. Plurimum refert, quid esse tribunatum putes: inanem vmbram, & sine honore nomen, an potestatem sacro sanctam, &

---

12. *confusioni meae*) moerori & perturbationi. Sic lib. III. epist. 10. *Veritus sum, ne vos festis diebus confunderem, si in memoriam grauissimi luctus reduxissem.* Confunderem, h. e. turbarem & tristes efficerem.

Epist. III. 1. *in tribunatu*) officio tribunitio.

decere) ita Catanaeus: *debere* Aldus, minus commode.

inanem vmbram) num inanem vmbram. Erat quidem tribunatus priuatorum sub principibus vere vmbra, & sine potestate summa, quam principes perpetuam receperant; tamen non sine honore, qui relinquebatur, vt imago esset reipublicae: nec cetera negabantur, sed tamquam a principe penderent, penes quem erat vere tribunitia potestas: tantum vero illius apud priuatum collegam, quantum, qui summus erat, concedebat. Vid. Sueton. Aug. 27. Tacit. annal. III. c. 56. n. 2. & XIII. c. 28. n. 1.

sacro-sanctam) quam auctoritatem Tribunis plebis quam

quam in ordinem cogi vt a nullo, ita ne a se quidem deceat. Ipse quum tribunus essem, errauerim fortasse, qui me esse aliquid putaui, sed tamquam essem, abstinui cauillis agendis: primum, quod deforme arbitrabar, cui adsurgere, cui loco cedere omnes oporteret, hunc omnibus sedentibus stare: & qui iubere posset tacere quemcumque, huic silentium clepsydra indici: & quem interfari nefas esset, hunc etiam conuicia audire: & si inulta pateretur, inertem: si vlciscereturet, insolentem videri. Erat hic quoque aestus ante oculos, si forte me appellasset vel ille cui adessem, vel ille quem contra intercederem, auxilium fer-

---

Valerius & M. Horatius Coss. conciliauerant. Teste Liuio lib. III. & Dione lib. LIII. *Herz.*

in ordinem cogi impediri, ad certas leges adstringi.

2. *qui me esse aliquid*) Modesta extenuatio: aut respectu superioris collegae, qui Princeps erat, de se tam presse loquitur.

tacere) formulae ipsorum erant: *se intercedere, se non passuros.* Vid. Brisson. de form. l. III. p. 272. *Herz.*

silentium clepsydra) Aduocatis certum tempus ad dicendum definiebatur clepsydra: quo praeterito, silere necesse erat. Vide lib. VI. epist. 2. n. 5. & 7.

conuicia) ab illis, contra quos egisset. *Herz.*

3. *Erat hic quoque aestus ante oculos*) Haec quoque sollicitudo obuersabatur animo. *Aestus* enim est mentis agitatio, vt proprie maris.

si forte me appellasset) Appellare est superiorem potestatem inuocare, vt auxilium contra ordinarium iudicem ferat. Atque id ius tribuni plebis habebant, vt appellarentur, si quis praetoris & adsessorum iudicio non adquieisceret.

auxilium ferrem, an) auxiliumne ferrem, vel, vtrum rem,

rem, an quiescerem sileremque, & quasi eiurato
4 magistratu priuatum ipse me facerem. His ra-
tionibus motus, malui me tribunum omnibus
5 exhibere, quam paucis aduocatum. Sed tu
(iterum dicam) plurimum interest, quid esse tri-
bunatum putes: quam personam tibi imponas,
quae sapienti viro ita aptanda est, vt perferatur.
Vale.

XXIV.

C. PLINIVS BEBIO HISPANO SVO S.

Hispano Tranquillum commendat in emendo agello.

Tranquillus, contubernalis meus, vult eme-
re agellum, quem venditare amicus tuus
2 dicitur. Rogo cures, quanti aequum est, emat.
ita enim delectabit emisse: nam mala emtio
semper ingrata est, eo maxime, quod exprobrare
3 stultitiam domino videtur. In hoc autem agello
(si modo adriserit pretium) Tranquilli mei sto-
machum multa sollicitant, vicinitas vrbis, op-
portunitas viae, mediocritas villae, modus ruris,
4 qui auocet magis quam distringat. Scholasticis
porro, vt hic est, sufficit abunde tantum soli, vt

---

seu num auxilium ferrem, consueta ellipsi, vt sub initium huius epistolae: *inanem vmbram, an* &c. Recentes quidam & *auxilium* male, nec Aldus aut Basil. illud & admittunt.

5. *vt perferatur*) vt ad finem cum honore geratur tribunatus.

Epist. XXIV. 2. *semper ingrata*) in perpetuum ingrata & cum poenitentia coniuncta.

3. *stomachum sollicitant*) inuitant emtorem, adliciunt, vt adpetat.

4. *Scholasticis porro*) Multi addunt *studiosis*, Aldus rele-

releuare caput, reficere oculos, reptare per limitem, vnamque semitam terere, omnesque viticulas suas nosse & numerare arbusculas possint. Haec tibi exposui, quo magis scires quantum ille esset mihi, quantum ego tibi debiturus, si praediolum istud, quod commendatur his dotibus, tam salubriter emerit, vt poenitentiae locum non relinquat. Vale.

LIBER II.

I.

C. PLINIVS VOCONIO ROMANO SVO S.

Verginii Rufi, V. CL. funus praedicat, ipsumque laudibus pro merito ornat.

Post aliquot annos insigne, atque etiam memorabile populi Romani oculis spectaculum exhibuit publicum funus Verginii Rufi, ma-

---

dominis: vtrumque ex glossa videtur natum, ideoque delendum Casaubono censore. Neque vetustiores editiones habent, vt Gruterus adnotauit.

5. *salubriter emerit*) aequo & vili pretio, non maiori. Martialis lib. X. extr. *pretio paret salubri.* Add. Salmas. in Solin. cap. 1.

Epist. I. 1. *publicum funus*) solemnissimum, comitante senatu & omnibus magistratibus. Cicero pro Milone cap. 13. requirit *imagines, exsequias, pompam, laudationem.* Atque haec decreto senatus, & publico sumtu. Vid. Tacit. VI. ann. c. 11. extr. & adde Kirchman. lib. I. c. 4.

Verginii Rufi) Tacitus semper *Verginius:* etiam Dio; & vetus inscriptio apud Lipsium in Taciti XV, 23.

L. VERGINIO RVFO COS.

vnde praenomen quoque eius cognoscitur, quod quibusdam dubium est.

ximi

2 ximi & clarissimi ciuis, & perinde felicis. Triginta annis gloriae suae superuixit. Legit scripta de se carmina, legit historias, & posteritati suae interfuit. Perfunctus est tertio consulatu, vt summum fastigium priuati hominis impleret,
3 quum principis noluisset. Caesares, quibus suspectus, atque etiam inuisus virtutibus fuerat, euasit. reliquit incolumem Optimum atque

---

2. *gloriae suae superuixit*) viuus praesensit ex illa gloria, quae aliis post mortem demum contingere solet: atque ita *posteritati* quasi *interfuit*, praecognoscens honorificam illius de se existimationem. Sed haec meritissimis praemia: ignauis omnia contraria, de quibus eleganter Seneca ep. 66. extr. *Qui latitant & torpent, sic in domo sunt, tamquam in conditiuo. Horum licet in limine ipso nomen marmori inscribas, mortem suam anteceserunt.*

tertio consulatu) primo, cum Memmio Regulo, *Tacit. XV*, 23. secundo, cum Titiano Othonis fratre, *Idem I. Hist.* 77. tertio, cum Nerua, cui immortuus est. *Xiphil. in Traiano post init.*

priuati hominis) Priuatus in historia Augusta omnis, qui non est princeps seu imperator. Passim sic apud Eutropium, vt lib. VII. c. 10. n. 2. & c. 11. n. 2. VIII. c. 1. n. 2. &c. 2. n. 15. c. 4. n. 2. IX. c. 9. n. 6. c. 16. n. 6, 9.

quum principis noluisset) oblatum a militibus post Neronis mortem Verginio imperium. *Tacit. I. Hist. c. 8. n. 4.* Adde infra lib. VI. epist. 10.

3. *Caesares euasit*) Neronem, Domitianum & intermedios.

inuisus virtutibus) propter virtutes. Nam, vt noster Panegyr. c. 68. ait, *a malo principe tamquam successor timetur, quisquis est dignior.* Syntaxis rationem illustrat Buchnerus ex Nepotis Chabr. 3, 1. *Hoc ille nuntio Athenas rediit*; & aliis exemplis.

reliquit incolumem Optimum) Catanaeus Traianum intelligit, qui sane *Optimi* cognomen, vt in Panegyrico ami-

amicissimum, tamquam ad hunc ipsum honorem publici funeris reseruatus. Annum tertium & 4
octogesimum excessit in altissima tranquillitate, pari veneratione. Vsus est firma valetudine: nisi quod solebant ei manus tremere, citra dolorem tamen: aditus tantum mortis durior longiorque, sed hic ipse laudabilis. Nam quum 5
vocem praepararet, acturus in consulatu principi gratias, liber, quem forte acceperat grandiorem, & seni & stanti ipso pondere elapsus est. Hunc dum consequitur colligitque, per laeue & lubricum pauimentum, fallente vestigio, cecidit, coxamque fregit, quae parum apte collocata, re-

---

c. 88. est, ex merito, senatu decernente, recepit. Sed Nerua superstite & mortuus & publico funere elatus fuit, quia tum *a Tacito consule*, vt epistola narrat, *laudatus est*, qui suffectus in Verginii defuncti locum fuerat, suumque consulatum & iniit & finiuit Nerua imperante. Adi Lipsium in Vita Taciti. Ergo *Nerua* est, quem *incolumem Optimum* heic laudat noster Plinius.

ad hunc ipsum honorem reseruatus) Sichardus *reseruatum* legit, vt ad principem referatur: Aldus *reseruatus*, quod & Palat. codex confirmat. Dicitur nempe Verginius in boni principis imperium seruatus, vt splendidiori funere efferretur, quod malo imperante haud consequuturus fuisset.

5. *quum vocem praepararet*) quum orationem meditaretur domi.

acturus in consulatu principi gratias) In consulatu suo III Verginius principi Neruae, eidemque in consulatu collegae, gratias publice acturus erat propter seruatam rempublicam.

consequitur) sic exercitus fugientem hostem consequi passim dicitur. *Herz.*

6 luctante aetate, male coiit. Huius viri exse-
quiae magnum ornamentum principi, magnum
seculo, magnum etiam foro & rostris attule-
runt. Laudatus est a consule Cornelio Tacito:
nam hic supremus felicitati eius cumulus acces-
7 sit, laudator eloquentissimus. Et ille quidem
plenus annis abiit, plenus honoribus, illis etiam
quos recusauit: nobis tamen quaerendus ac de-
siderandus est, vt exemplar aeui prioris: mihi
vero praecipue, qui illum non solum publice,
sed etiam priuatim quantum admirabar, tantum
8 diligebam; primum quod vtrique eadem regio,
municipia finitima, agri etiam possessionesque
coniunctae: praeterea quod ille tutor mihi re-

---

male coiit) Coire vulnus dicimus, quando summa eius labra coniunguntur. Propertius lib. III. eleg. 24.

Vulnera & ad sanum nunc coiere mea.

Et Claudianus lib. II. in Eutrop. v. 15.

Ne coeat frustra mox eruptura cicatrix.

6. *laudatus est a consule*) a successore & in locum defuncti consulis suffecto. *Laudare* autem singulari vsu ad funera defertur, quum defuncti laudes & merita praedicantur. Sic de funere Paulli, Romani consulis, Cannensi praelio peremti, lib. X. v. 568. Silius:

- - iamque Hannibal vnus
Sat decoris laudator erat.

7. *illis etiam quos recusauit*) Imperium & augustam dignitatem, exstincto Nerone, recusauit, vt supra dictum. At vero & hi honores susceptis & gestis adnumerantur, & tanto dignius, quanto maioris animi est imperium recusare, quam accipere.

8. *vtrique eadem regio*) Insubria.

municipia finitima) Quia Comensis noster erat Plinius: non dubitatur, Mediolanensem Verginium fuisse,

lictus, adfectum parentis exhibuit. Sic candidatum me suffragio ornauit: sic ad omnes honores meos ex secessibus aduecurrit, quum iampridem eiusmodi officiis renuntiasset: sic illo die, quo sacerdotes solent nominare, quos dignissimos sacerdotio iudicant, me semper nominabat. Quin etiam in hac nouissima valetudine veritus, ne forte inter quinqueuiros crearetur, qui minuendis publicis sumtibus iudicio senatus constituebantur, quum illi tot amici senes consularesque superessent, me huius aetatis, per quem excusaretur, elegit, his quidem verbis, ETIAMSI FILIVM HABEREM, TIBI MANDAREM. Quibus ex caussis necesse est, tamquam immaturam mortem eius in sinu tuo

quia nullum ex Insubriae municipiis Nouocomo est propinquius.

aduecurrit) Vide lib. VI. epist. 6. n. 2.

eiusmedi officiis) commendationibus, quibus amicos in petendis & capessendis honoribus iuuare aequum & solemne erat.

illo die, quo sacerdotes) augures. Nam & auguratus *sacerdotium* vocabatur. Vide infra lib. IV. epist. 8. n. 1. & Cic. II. Philipp. 32.

9. *inter quinqueuiros*) Quinqueuiri non vnius generis erant, sed varias propter caussas creabantur, vt: *Quinqueuiri diuidundo agro*, apud Liuium VI. c. 21. *Quinqueuiri mensarii*, quibus res foenebris curae erat, apud eumd. VII, 21. Et *Quinqueuiri cis Tiberim & vltra Tiberim*, qui pro magistratu nocturno tempore fungerentur, apud eumdem XXXIX, 14. extr. & Lege 2. §. 31. ff. de orig. Iuris. His accedunt *Quinqueuiri minuendis publicis sumtibus*, quos Plinius hoc loco nominat, & forte alii propter alias caussas extra ordinem constituti.

desleam: si tamen fas est aut flere, aut omnino mortem vocare, qua tanti viri mortalitas magis
11 finita quam vita est. Viuit enim, viuetque semper, atque etiam latius in memoria hominum & sermone versabitur, postquam ab oculis recessit.
12 Volui tibi multa alia scribere, sed totus animus in hac vna contemplatione defixus est. Verginium cogito, Virginium video, Verginium iam vanis imaginibus, recentibus tamen, audio, adloquor, teneo: cui fortasse ciues aliquos virtutibus pares & habemus & habebimus: gloria neminem. Vale.

II.

C. PLINIVS PAVLLINO SVO S.

Accusat Paullinum negligentiae litterarum.

Irascor: nec liquet mihi an debeam, sed irascor. Scis, quam sit amor iniquus interdum, impotens saepe μικρολογος semper. Haec tamen

---

11. *Viuit enim, viuetque*) Ad eumdem modum Velleius II, 66. de Cicerone: *Viuit viuetque per omnium seculorum memoriam.* Nec fefellit augurium.

postquam ab oculis recessit) quia sincerius de virtute mortuorum, quam viuentium, iudicatur, praesertim a posteris, quiescente tum inuidia, quae viuos plerumque exercet.

Epist. II. *Paullino*) Valerio Paullino, cuius lib. IV. epist. 9. sub. fin. mentionem facit. Hic, (nisi pater eius est) a Tacito laudatur Hist. III. 42. extr. & 43.

1 *Irascor*) Signum summae familiaritatis haec adlocutio. Sic Catullus ad Cornificium carm. XXXVIII. *Irascor tibi*: & Statius in Siluis lib. IV. extremo: *irascor tibi Griphe*, vbi Barthium videas.

μικρολογος) parua de caussa expostulans, facile irascibilis. Sic Lucianus in Fugitiuis, sui temporis pseu-

caussa

cauſſa magna eſt, neſcio an iuſta: ſed ego tamquam non minus iuſta quam magna ſit, grauiter iraſcor, quod a te tamdiu litterae nullae. Exorare me potes vno modo, ſi nunc ſaltem plurimas & longiſſimas miſeris. Haec mihi ſola excuſatio vera, ceterae falſae videbuntur. Non ſum auditurus, NON ERAM ROMAE, vel OCCVPATIOR ERAM. Illud enim nec dii ſinant, vt, INFIRMIOR. Ipſe ad villam partim ſtudiis, partim deſidia fruor: quorum vtrumque ex otio naſcitur. Vale

III.

C. PLINIVS NEPOTI SVO S.

Iſaeum rhetorem laudat, & Nepotem, vt audiat illum, adhortatur.

Magna Iſaeum fama praeceſſerat, maior inuentus eſt. Summa eſt facultas, copia,

---

dophiloſophis tribuit τὸ ὀξύχολον καὶ μικρολόγον, hoc eſt, vehementem & leuis cauſſae perturbationem.

3. *ad villam*) in villa. Sic Cicero I. Philipp. cap. 7. *Pecunia vtinam ad Opis* (aedem) *maneret*, hoc eſt, in aede ſeu templo deae Opis, vbi publica pecunia adſeruabatur.

Epiſt. III. 1. *Iſaeum fama praeceſſerat*) Fama eloquentiae Iſaei rhetoris magna Romae erat, antequam ipſe eo ex Aſia, vt putatur, veniret. Idem Archiae, poetae Antiocheno, contigerat, *cuius aduentus ita celebrabatur, vt famam ingenii exſpectatio, exſpectationem ipſius aduentus admiratioque ſuperaret*, vt Cicero pro illo cap. 3. tradidit. Iſaei facundiam Iuuenalis quoque his verbis Satyr. III. v. 74. laudauit:

ſermo
Promtus & Iſaeo torrentior,

id eſt, vehementior, vberior: niſi de antiquiore Iſaeo, Demoſthenis praeceptore, intelligas. Vetus tamen

vbertas: dicit semper ex tempore, sed tamquam diu scripserit. sermo Graecus, immo Atticus. praefationes tersae, graciles, dulces; graues in-
2 terdum & erectae. Poscit controuersias plures, electionem auditoribus permittit, saepe etiam partes: surgit, amicitur, incipit. statim omnia, ac paene pariter, ad manum: sensus reconditi, occurrant verba: sed qualia? quaesita & exculta. multa lectio in subitis, multa scriptio elucet.
3 Proœmiatur apte, narrat aperte, pugnat acriter, colligit fortiter, ornat excelse: postremo docet, delectat, adficit; quid maxime, dubites. cre-

---

Scholiastes de nostro interpretatur. Plura de Isaeo habes apud Philostrat. vit. Soph. lib. I. n. 20.

ex tempore - - diu scripserit) Philostratus l. c. testatur, quod orationes elaboratas, tamquam sub manu & ex tempore notae essent, recitarit, quum tamen ab aurora in meridiem vsque illis conficiendis incubuerit. *Herz.*

2. *Poscit controuersias*) Sophistarum enim erat, quo famam sibi conciliarent, materias sibi poscere, de quibus ex tempore dicebant: qua de re plura apud Philostratum loco cit. exempla. *Herz.*

saepe etiam partes) scilicet *permittit*, vt ipsi, qui materiem proposuere, partium numerum etiam & ordinem definiant, quo illam ab Isaeo disponi & elaborari velint. Prior Aldina *partis*, vt ad *electionem* referatur.

surgit, amicitur) Aliter Aldus, quamquam non sine deprauationis signo. Si nostra scriptura, quae a Catanaeo est, obtinebit; sensus erit, quaestione ab aliis proposita, surgere Isaeum ad declamandum, pallio, vt mos Graecis erat, amiciri, incipere, sine mora & meditationis interuallo. Tum statim omnia quasi succurrere, & ad manum esse, &c.

3. *quid maxime, dubites*) Varie haec a diuersis distinguuntur. Plures etiam *quod* legunt: nos *quid* cum bra

bra ἐνθυμήματα (καὶ νοήματα) syllogismi circumscripti & effecti: quod stilo quoque adsequi magnum est. Incredibilis memoria: repetit altius quae dixit ex tempore, ne verbo quidem labitur. ad tantam ἕξιν studio & exercitatione peruenit. nam diebus & noctibus nihil aliud agit, nihil audit, nihil loquitur. Annum sexagesimum excessit, & adhuc scholasticus tantum est. quo genere hominum nihil aut simplicius, aut sincerius, aut melius. nos enim, qui in foro verisque litibus terimur, multum malitiae, quamuis nolimus, addiscimus. Schola & auditorium, vt ficta caussa, ita res inermis, innoxia est: nec minus felix, senibus praesertim. Nam quid in senectute felicius, quam quod dulcissimum est in

4

5

6

Sichardo & Thomasio, quia statim *quod stilo* subsequitur, ne idem *quod* ingrate recurrat; licet nullam illi rationem attulerint. Nostrae distinctionis hic sensus est: docet, delectat, adficit. quod ex his maxime praestet, dubites, quia aequaliter omnia.

ἐνθυμήματα καὶ νοήματα) Dubius & vexatus locus. Quibusdam prior vox abest: pluribus posterior: sunt libri, quibus coniunguntur. Sed sic *circumscripti* non erunt arcte concluſi, quia enthymemata etiam tales syllogismi sunt; sed iusta periphrasi circumducti & amplificati, nec ab *effectis*, seu elaboratis differunt, quemadmodum nec enthymemata & noemata nostro videntur diuersa esse.

effecti) absoluti. confer. infra lib. VIII. epist. 4. n. 7. *Herz.*

4. ἕξιν) habitum & facultatem.

5. *scholasticus tantum*) tantum in vmbra & fictis caussis versatus; non in veris litibus.

7 inuenta? Quare ego Isaeum non disertissimum tantum, verum etiam beatissimum iudico, quem tu nisi cognoscere concupiscis, saxeus, ferreusque
8 es. Proinde si non ob alia, nosque ipsos, at certe vt hunc audias, veni. Numquamne legisti, Gaditanum quemdam Titi Liuii nomine gloriaque commotum ad visendum eum ab vltimo terrarum orbe venisse, statimque, vt viderat, abiisse? ἀριλόκαλον, illitteratum, iners, ac paene etiam turpe est, non putare tanti cognitionem, qua nulla est iucundior, nulla pulcrior, nulla deni-
9 que humanior. Dices, Habeo hic quos legam, non minus disertos. Etiam: sed legendi semper occasio est, audiendi non semper. praeterea multo MAGIS, vt vulgo dicitur, VIVA VOX ADFICIT. Nam licet acriora sint quae legas, altius tamen in animo sedent quae pronuntiatio, vultus, habitus, gestus etiam dicentis adfigit.
10 Nisi vero falsum putamus illud Aeschinis: qui quum legisset Rhodiis orationem Demosthenis,

---

8. *Gaditanum quemdam*) ex Gadibus, insula Hispaniae. Hieronymus epist. 103. ad Paullinum cap. 1. numero pluratiuo: *Ad T. Liuium, lacteo eloquentiae fonte manantem, de vltimis Hispaniae Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus; & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit.*

ἀριλόκαλον) alienum ab homine honestarum rerum studioso.

9. *magis viua vox adficit*) Ibidem Hieronymus c. 2. *Habet nescio quid latentis energiae viua vox, & in aures discipuli de auctoris ore transfusa fortius sonat.*

10. *qui quum legisset Rhodiis*) Hieronymus c. 1. aliter quodammodo & plenius; *Aeschines, quum Rhodi exsu-*

admi-

admirantibus cunctis: adieciſſe fertur, Τί δὲ εἰ αὐτὸς τὰ ῥήματα βοῶντος ἀκηκόειτε; & erat Aeſchines, ſi Demoſtheni credimus, μεγαλοφωνότατος: fatebatur tamen longe melius eadem illa pronuntiaſſe ipſum qui pepererat. Quae omnia huc tendunt, vt audias 11
Iſaeum: vel ideo tantum, vt audieris. Vale.

IV.

C. PLINIVS CALVINAE S.

Caluinam hortatur, ne dubitet hereditatem adire: ſe enim ſoluiſſe creditoribus pro patre.

Si pluribus pater tuus, vel vnicuilibet alii, quam mihi, debuiſſet, fuiſſet fortaſſe dubitandum, an adires hereditatem etiam viro grauem: quum vero ego adductus adfinitatis officio, 2
dimiſſis omnibus, qui, non dico moleſtiores, ſed diligentiores erant, creditor ſolus exſtiterim:

---

laret, & legeretur illa Demoſthenis oratio, quam aduerſus eum habuerat; mirantibus cunctis atque laudantibus, ſuſpirans ait: Quid ſi ipſam audiſſetis beſtiam ſua verba reſonantem?

τὰ αὐτὸς ῥήματα βοῶντος) incluſa Aldus non habet: agnoſcit ea Sichardus & interpretatur Hieronymus.

μεγαλοφωνότατος) maxime vocalis. Perit autem huius verbi argumentum, niſi ipſe Aeſchines Demoſtheneam orationem praelegiſſet, quod addo, quia ex Hieronymi ambiguo verbo *legeretur*; non Aeſchinem, ſed alium legiſſe, fortaſſe aliquis probauerit.

Epiſt. IV. 1. *vnicuilibet alii, quam*) Sichardiana & quae ſequuntur, *alii plus, quam mihi*. Sed ſine neceſſitate *plus* interponitur, quod nec Aldina *agnouit*.

2. *dimiſſis omnibus*) Dimittere aliquem eſt ei ſatisfacere, *eiuen abfinden*. *Thomaſ.*

quumque viuente eo habenti tibi in dotem centum millia contulerim, praeter eam summam, quam pater tuus quasi de meo dixit (erat enim soluenda de meo) magnum habes facilitatis meae pignus: cuius fiducia debes famam defuncti pudoremque suscipere; ad quod ne te verbis magis quam rebus horter, quidquid mihi pater
3 tuus debuit, acceptum tibi ferri iubeo. Nec est, quod verearis, ne sit mihi ista onerosa donatio. sunt quidem omnino nobis modicae facultates, dignitas sumtuosa reditus propter conditionem agellorum, nescio minor an incertior: sed quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur: ex qua
4 velut e fonte, liberalitas nostra decurrit. quae tamen ita temperanda est, ne nimia profusione inaresçat; sed temperanda in aliis, in te vero facile ratio constabit, etiamsi modum excesserit. Vale.

V.

C. PLINIVS LVPERCO SVO S.

Partem orationis, qua bibliothecam patriae dedicauerat, Luperco perpoliendam mittit, vt superflua abscindat, nec vero omnes tollat digressiones.

Actionem & a te frequenter efflagitatam, & a me saepe promissam exhibui tibi, non ta-

---

centum millia) nummum vel sestertium. Summa, si nostrae monetae comparetur, circiter 3000 thalerorum, aut paullo amplius.

acceptum tibi ferri iubeo) Volo, vt procurator meus id rationibus ita ferat, vt tibi me donasse scribat. Qua de caussa mox *donatio* appellatur. De forma *acceptum ferre* pro *referre*, quam nonnulli repudiant, vide quae Curis Posterior. lib. I. diximus.

Epist. V. 1. *Actionem*) Orationem, quam habuit apud men

men totam. adhuc enim pars eius perpolitur. Interim quae absolutiora mihi videbantur, non 2
fuit alienum iudicio tuo tradi. His tu, rogo, intentionem scribentis accommodes. Nihil enim adhuc inter manus habui, cui maiorem sollicitudinem praestare deberem. Nam in ceteris 3
actionibus existimationi hominum diligentia tantum & fides nostra; in hac etiam pietas subiicietur. Inde & liber creuit, dum ornare patriam & amplificare gaudemus, pariterque & defensioni eius deseruimus & gloriae. Tu tamen 4
haec ipsa, quantum ratio exegerit, reseca. Quoties enim ad fastidium legentium deliciasque respicio, intelligo nobis commendationem (etiam) ex ipsa mediocritate libri petendam. Idem ta- 5
men qui a te hanc austeritatem exigo, cogor id quod diuersum est, postulare, vt in plerisque frontem remittas. Sunt enim quaedam adole-

municipes suos, quum bibliothecam dedicaret. Vid. lib. I. epist. 8.

2. *intentionem scribentis*) eam curam, quam ego in scribendo adhibui, tu accommodes in emendando.

3. *in ceteris actionibus*) in causis forensibus tantum industria & integritas iudicio hominum exponitur, an clientis causam cum fide & industria egerit.

pietas) amor & adfectus erga patriam.

4. *ex ipsa libri*) ita vt quo maiori mediocritate liber ganderet, eo dignior esset commendatione. *Herz.*

commendationem etiam) Boxhornius *etiam* inclusit vncis, vt suspectum: nec habet Sichardus: Aldus & illius loco. Et sane breuitati Plinianae congruenter abesse potest.

5. *frontem remittas*) in laetitiam resoluaris. Nam seueriores sunt fronte contractiore. Maior Plinius XI.

scentium auribus danda, praesertim si materia non refragetur. nam descriptiones locorum, quae in hoc libro frequentiores erunt, non historice tantum, sed prope poetice profequi
6 fas est. Quod tamen si quis exstiterit, qui putet nos lautius feciſſe, quam orationis seueritas exigat: huius (vt ita dixerim) triſtitiam reliquae partes actionis exorare debebunt. Adnixi certe sumus, vt, quamlibet diuersa genera lectorum, per plures dicendi species teneremus.
7 Ac sicut veremur, ne quibusdam pars aliqua secundum suam cuiusque naturam non probetur: ita videmur posse confidere, vt vniuersitatem omnibus varietas ipsa commendet. nam &
8 in ratione conuiuiorum, quamuis a plerisque cibis singuli temperemus, totam tamen coenam laudare omnes solemus: nec ea, quae stomachus

---

c. 37. (sect. 51.) *Frons homini triſtitiae, hilaritatis, clementiae, seueritatis index.*

6. *exorare debebunt*) conciliare, placare, satisfacere. Vid. lib. II. epist. 2.

quamlibet diuersa) vtcumque diuersa sunt lectorum genera & ingenia. Nititur illis, quae supra lib. I. ep. 20. n. 12.

7. *videmur posse confidere, vt commendet*) Rara syntaxis, *confido, vt*, quia id verbi infinitiuum plerumque poscit, vt *Confido, te iam valere*, Cic. VI. ad Attic. epist. vltima: vel *fore, vt*, v. gr. *Confido fore, vt alio genere litterarum vtamur*, Idem ad Plancum, quae penultima est libri vltimi ad Atticum.

8. *singuli temperemus*) accusatiuus obiecti, quod temperamus, per elegantiam esto missum: subintelligi potest: *stomachum*. *Herz.*

noster

noster recusat, adimunt gratiam illis, a quibus capitur. Atque haec ego sic accipi volo, non tamquam adsequutum esse me credam, sed tamquam adsequi laborauerim. fortasse non frustra, si modo (tu) curam tuam admoueris, interim istis, mox iis quae sequuntur. Dices, te non posse satis diligenter id facere, nisi prius totam actionem cognoueris. Fateor: in praesentia tamen & ista tibi familiariora fient, & quaedam & his talia erunt, vt per partes emendari possint. Etenim si auulsum statuae caput aut membrum aliquod inspiceres, non tu quidem ex illo posses congruentiam aequalitatemque deprehendere, posses tamen iudicare, an id ipsum satis elegans esset. Nec alia ex caussa principia librorum circumferuntur, quam quia existimatur pars aliqua etiam siue ceteris esse perfecta. Longius me prouexit dulcedo quaedam tecum loquendi: sed iam finem faciam, ne modum, quem etiam orationi adhibendum puto, in epistola excedam. Vale. 9 10 11 12 13

gratiam) amoenitatem. Sic lib. I. ep. 2. n. 6. *gratia nouitatis. Herz.*

a quibus capitur) adficitur, delectatur. Sic Nepos Attico c. 4. n. 1. *captus adolescentis & humanitate & doctrina.*

11. *auulsum statuae caput aut membrum*) vi aut casu abruptum seu decussum. Nec ita fixa antiquitas statuarum capita erant, quin tolli facile possent, & cum aliis permutari. Vid. Sueton. Tiber. c 58. & Calig. c. 22.

12. *principia librorum*) fragmenta, & quidem ea, quae initium fuerunt alicuius libri. *Herz.*

VI.

C. PLINIVS AVITO SVO S.

Exemplo sordidi simul & sumtuosi hominis Auitum monet, vt sordium & luxuriae societatem fugiat.

Longum est altius repetere, nec refert, quemadmodum acciderit, vt homo minime familiaris coenarem apud quendam, vt sibi videbatur, lautum & diligentem: vt mihi, sordidum simul
2 & sumtuosum: nam sibi & paucis optima quaedam; ceteris, vilia & minuta ponebat. vinum etiam paruulis lagunculis in tria genera descripserat, non vt potestas eligendi, sed ne ius esset recusandi: & aliud sibi & nobis, aliud minoribus amicis (nam gradatim amicos habet), aliud suis
3 nostrisque libertis. Animaduertit, qui mihi proximus recumbebat, &, an probarem, interrogauit. Negaui. Tu ergo, inquit, quam consuetudinem sequeris? Eadem omnibus pono. Ad coenam enim, non ad notam, inuito: cunctis-

---

Epist. VI. *Auito suo*) optimae indolis iuueni, vt sub finem epistolae laudat. Ergo videtur Iubius Auitus fuisse, cuius mortem, antequam aedilitatem iniret, acerbe deflet noster l. VIII. ep. 23. Fuit & Iulius Auitus, in naui exstinctus, quum ex quaestura decederet, lib. V epist. 9.

1. *diligentem*) subsequens coenae selectus vult, vt hoc vocabulum idem sit quod *delicatus*. Sic apud Tacitum Hist. IV. c. 72 *dilectus* pro *delectus*. *Herz.*

2. *descripserat*) sine dubio ex mathematicorum scholis haec phraseologia est desumta, apud quos describere est *partiri*, *diuidere*. Sic Tacitus Germ. c. 23. *descripta seruorum ministeria*. *Herz.*

3. *ad coenam, non ad notam*) Ad originem verborum haec referenda. *Coena a κοινος communis* appel-

que

que rebus exaequo, quos mensa & toro aequaui. Etiamne libertos? Etiam. Conuictores enim 4
tunc, non libertos, puto. Et ille, Magno tibi constat. Minime. Qui fieri potest? Potest.
quia scilicet liberti mei non idem, quod ego, bibunt, sed idem ego, quod liberti. Et hercule, si 5
gulae temperes, non est onerosum, quo vtaris ipse, communicare cum pluribus. Illa ergo reprimenda, illa quasi in ordinem redigenda est, si sumtibus parcas, quibus aliquanto rectius tua continentia, quam aliena contumelia, consulas.
Quorsum haec? Ne tibi optimae indolis iuueni 6
quorumdam in mensa luxuria specie frugalitatis imponat. Conuenit autem amori in te meo, quoties tale aliquid inciderit, sub exemplo praemonere, quid debeas fugere. Igitur memento, 7
nihil magis esse vitandum, quam istam luxuriae & sordium nouam societatem: quae cum sint

---

latur: *Nota* est character, quo discriminamus. Sic infra epist. 12. huius libri *notatus* a *senatu*, est discretus & distinctus, tamquam indignus honoribus.

quos mensa & toro) Toro, lecto tricliniari.

4. *liberti mei non idem, quod ego*) Elegantissima ἀντιμεταβολή.

5. *rectius tua continentia*) si continens eris, & gulae emperabis, rectius in sumtibus faciendis consilium capies, quam si aliena contumelia intempestiuos sumtus probro tibi reddens, te ad minuendos sumtus redigere debeat. *Herz.*

6. *in mensa luxuria*) Ita Modius ex membranis, approbante Grutero. Vulgo *immensa* vno verbo.

7. *nouam*) adeoque inuisam. Res enim nouae inter Romanos erant, quae ordinem publicum turbabant. *Herz.*

tur-

turpissima discreta ac separata, turpius iungun-
tur. Vale.

VII.

C. PLINIVS MACRINO SVO S.

Narrat, triumphalem statuam Spurinnae ob res bene gestas: etiam filio eius defuncto aliam solatii caussa positam esse.

Heri a senatu Vestricio Spurinnae, principe auctore, triumphalis statua decreta est: non ita, vt multis, qui nunquam in acie steterunt, nunquam castra viderunt, nunquam denique tubarum sonum, nisi in spectaculis, audierunt: verum vt illis, qui decus istud sudore &
2 sanguine & factis adsequebantur. Nam Spurinna Bructerum regem vi & armis induxit in

---

Epist. VII. 1. *Vestricio Spurinnae*) An ei, qui dux in bello Othoniano fuit? Vide Tacit. Hist. II, 11, 18, 36. Aetatis caussa potest esse, quia vegeta valetudine LXXVII. annum superauit, vt noster lib. III. epist. 1. memorauit.

principe auctore) Vide dicta ad lib. I. epist. 17. n. 1.

triumphalis statua) ab habitu & ornamentis triumphalibus dicta. Huius materia argentum pictum fuit, auctore Plinio XXXIII. c. 9.

non ita, vt multis) Olim summis viris & praeclare meritis hae statuae ponebantur, triumphis aequiparandae: sed quum Domitianus, Nero, ac similes imperarent, is honor etiam libertis & impuris hominibus est redditus. Iuuenalis Satyr I. v. 129.

triumphales, inter quas ausus habere.
Nescio quis titulos Aegyptius atque Arabarches.

2. *Bructerum regem*) Bructeri, Germaniae populus inter Luppiam & Amisiam amnes, *Tacit. Annal. I. c.* 60. Inde pulsi ab aliis suae nationis, Chamauis & Angriuariis, & paene excisi, *Idem Germ.* 33. De reductione regis

regnum:

regnum: ostentatoque bello, ferocissimam gentem (quod est pulcerrimum victoriae genus) terrore perdomuit, & hoc quidem virtutis praemium; illud solatium doloris accepit, quod filio eius Cottio, quem amisit absens, habitus est honor statuae. Rarum id in iuuene; sed pater hoc quoque merebatur, cuius grauissimo vulneri magno aliquo fomento medendum fuit. Praeterea Cottius ipse tam clarum specimen indolis dederat, vt vita eius breuis & angusta debuerit hac veluti immortalitate proferri. nam tanta ei sanctitas, grauitas, auctoritas etiam, vt posset senes illos prouocare virtute, quibus nunc ho- 3 4

silent historiae. Videntur autem reliqui ex clade suo regi aliquid imputasse, ideoque expulisse, quem Spurinnae ductu Traianus restituerit. Sedes illorum post cladem illam incertior, *Cluuer. Germ. Antiq. III*, 13. & suo tempore Hercyniam accoluisse Claudianus auctor est IV. Consul. Honor. v. 449.

venit accola siluae Bructerus Hercyniae.

Sed latissime tum illa silua patebat, & Frehero ac Cluuerio illa pars intelligitur, quam *Westerwald* vocamus.

3. *quem amisit absens*) Eleganter *amittere* de obitu cognatorum. Sulpicius Ciceron. lib. IV. fam. epist. 5. *Malum est liberos amittere.* Suetonius Aug. c. 8. *Quadrinus patrem amisit.* Adde supra lib. I epist. 12. n. 1.

cuius grauissimo vulneri) Nec minus scite *vulnus* de morte. Infra l. VIII. ep. 5. ineunte: *Graue vulnus Matrinus noster accepit. Amisit vxorem singularis exempli.*

4. *specimen indolis dederat*) Sic & lib. III. epist. 11. *id primum non nullius indolis dedi specimen.* Hoc est documentum, vnde praeclara indoles cognoscitur.

debuerit proferri) aequum iustumque fuerit, vt memoria illius per statuam conseruetur.

nore

5 nore adaequatus est. Quo quidem honore, quantum ego interpretor, non modo defuncti memoriae & dolori patris, verum etiam exemplo prospectum est. acuent ad bonas artes iuventutem adolescentibus quoque (digni sint modo) tanta praemia constituta: acuent principes viros ad liberos suscipiendos & gaudia ex superstitibus, & ex amissis tam glorioſa solatia. His ex causſis statua Cottii publice laetor, nec priuatim minus. Amaui consummatissimum iuuenem tam ardenter, quam nunc impatienter requiro. Erit ergo pergratum mihi hanc effigiem eius subinde intueri, subinde respicere, sub hac consistere, 7 praeter hanc commeare. Etenim si defunctorum imagines domi positae dolorem nostrum leuant, quanto magis eae, quibus in celeberrimo loco non modo species & vultus illorum, sed honor etiam & gloria refertur? Vale.

---

5. *acuent ad bonas artes*) incitabunt, stimulabunt. Praemia enim honoris sunt maxima virtutis & bonarum artium incitamenta.

6. *requiro*) Sic de mortuo *quaerendus* l. II. ep. 1. n. 7. *subinde intueri*) saepe, non semel, sed repetito per interualla adspectu. Vide supra l. I. ep. 13. n. 2.

7. *in celeberrimo loco*) in foro, pro rostris, aut simili illustri loco, vbi statuae poni solebant. Auunculus nostri lib. XXXIV. c. 4. *Iam omnium municipiorum foris statuae ornamentum esse coepere.*

refertur) sistitur, & ad memoriam reuocatur. Sic lib. V. ep. 16. n. 9.

VIII.

VIII.

C. PLINIVS CANINIO SVO S.

Queritur de negotiorum multitudine, propter quae non possit, Caninii exemplo, in secessu studiis & aliis oblectamentis operam dare.

Studes? an piscaris? an venaris? an simul omnia? possunt enim omnia simul fieri ad Larium nostrum. nam lacus piscem, feras siluae, quibus lacus cingitur, studia altissimus iste secessus affatim suggerunt. Sed siue omnia simul, 2
siue aliquid facias, non possum dicere, Inuideo: angor tamen non & mihi licere, quae sic concupisco, vt aegri vinum, balinea, fontes. Nunquamne hos arctissimos laqueos, si soluere negatur, abrumpam? Nunquam, puto nam veteribus negotiis noua accrescunt, nec tamen priora peraguntur: tot nexibus, tot quasi catenis maius in dies occupationum agmen extenditur. Vale. 3

1. *Studes*) STVDERE simpliciter pro *litteris & optimis disciplinis studere*, familiare auctoribus, qui post Augusti tempora scripserunt. Vide nostrum lib. II. ep. 13. n. 5. & lib. IV. ep. 13. n. 3. Sic & Seneca ep. 94. *Non est, quod post cibum studeas.* Et Quaest. natur. VII, 3. *apud Chaldaeos studuisse.* Auctor de causs. corr. eloq. c. 21. n. 13. *Videtur inter Menenios & Appios studuisse.* Suetonii & Quintiliani exempla vide in Curis nostris Posterior. c. 4.

ad Larium nostrum) Larium lacum, cui Comum, patria nostri, adiacet: vnde *Lago di Como* nunc vocatur.

3. *occupationum agmen*) Sic lib. IX. ep. 25. n. 1. *turba negotiorum.*

IX.

C. PLINIVS APOLLINARI SVO S.

Euricium candidatum Apollinari commendat, vt ab illo in petitione iuuetur.

Anxium me & inquietum habet petitio Sexti Euricii mei. adficior cura, & quam pro me sollicitudinem non adii, quasi pro me altero patior: & alioquin meus pudor, mea existimatio, mea dignitas in discrimen adducitur. Ego 2 Sexto latum clauum a Caesare nostro, ego quaesturam impetraui: meo suffragio peruenit ad ius tribunatus petendi, quem nisi obtinet in senatu, vereor, ne decepisse Caesarem videar. 3 Proinde adnitendum est mihi, vt talem eum iudicent omnes, qualem esse princeps mihi credidit. Quae causa si studium meum non incitaret, ad-

---

Epist. IX. *Apollinari*) ad quem & epist. 6. lib. V. perscripta est. Videtur is esse, de quo ad librum suum Martialis IV, 87. *Vt docto placeas Apollinari.*

petitio Sexti Euricii) Ad Euricium est etiam lib. I. ep. 16. qui nisi hic ipse, saltem pater eius videtur esse, qui postea n. 4. laudatur. *Petitio* est honorum legitima captatio, vt praeturae: hoc loco, tribunatus.

pro me altero) pro amico coniunctissimo. Sic Cicero ad Caesarem lib. VII. epist. 5. meunte: *Vide, quam mihi persuaserim, te me esse alterum.*

2. *latum clauum*) ius senatoriae dignitatis, quod non sine consensu principis impetrabatur, in vestimento etiam notatum, quum ad rempubl. capessendam se accingerent. Adi Rubenium de Re Vest. I. c. 14.

vereor) dum Caesari commendatum reddidi, quem senatus repudiat. *Herz.*

iutum

iutum tamen cuperem iuuenem probissimum, grauissimum, eruditissimum, omni denique laude dignissimum, & quidem cum tota domo. Nam 4
pater eius Euricius (Clarus) vir sanctus, antiquus, disertus, (atque) in agendis caussis exercitatus, quas summa fide, pari constantia, nec verecundia minore defendit. Habet auunculum C. Septicium, quo nihil verius, nihil simplicius, nihil candidius, nihil fidelius noui. Omnes me 5
certatim, & tamen aequaliter amant: omnibus nunc ego in vno referre gratiam possum. Itaque prenso amicos, supplico, ambio domos, stationesque circumeo: quantumque vel auctoritate vel gratia valeam, precibus experior. Te quoque 6
obsecro, vt aliquam oneris mei partem susciпere tanti putes. Reddam vicem, si reposces: reddam & si non reposces. Diligeris, coleris, frequentaris: ostende modo velle te, nec deerunt, qui, quod tu velis, cupiant. Vale.

4. *Euricius Clarus*) Aldus & Sichardus: *Euricius, clarus vir.* Veenhus. & Thom. *clarus* expungunt: Catanaeus & Boxhornius, vt edidimus; quos Gellius iuuat, qui VI. c. 6. extr. *Erucium Clarum* praefectum vrbi laudat. Nomina autem *Erucius & Euricius* saepe, etiam in nostro, permutantur. Inclusum *atque* Sich. non habet.

C. Septicium) Vide lib. I. epist. 1.

5. *prenso amicos*) Studium illorum describitur, qui vel pro se, vel pro aliis suffragia corrogabant. *Prenso* Grut. ex antiquis libris: vulgo *prendo*.

stationesque circumeo) Vide lib. I. epist. 13. n. 2. & ibi notata.

quantumque --- experior) sic lib. I. ep. 17. n. 3. *Herz.*

6. *coleris, frequentaris*) a clientibus & amicis.

X.

X.

C. PLINIVS OCTAVIO SVO S.

Octauium ad carminum suorum editionem, saltem ad recitationem, adhortatur.

Hominem te patientem, vel potius durum ac paene crudelem, qui tam insignes libros
2 tamdiu teneas! Quousque & tibi & nobis inuidebis, tibi, maximam laudem; nobis, voluptatem? Sine per ora hominum ferantur, iisdemque, quibus lingua Romana, spatiis peruagentur. magna etiam longaque exspectatio est: quam
3 frustrari adhuc & differre non debes. Enotuerunt quidam tui versus, & inuito te claustra tua fregerunt: hos nisi retrahes in corpus quandoque, vt errones, aliquem, cuius dicantur, inue-
4 nient. Habe ante oculos mortalitatem: a qua adserere te hoc vno monimento potes. nam

---

Epist. X. *Octauio suo*) Octauio Rufo, poetae, cum quo versibus iocatur lib. I. epist. 7. eiusdemque ibi carmina n. 5. flagitat.

1. *Hominem te patientem*) Exclamatio, vt principio etiam lib. IV. ep. 21. Atque ita Palatinus codex, & olim cusi: vt non sit, quod quisquam cum Catanaeo *Nominem* malit. Commodius per interrogationem subintellecto verbo: *vocabo*.

3. *Enotuerunt*) a quodam tibi subtracti in notitiam venerunt & diuulgati sunt.

retrahes in corpus quandoque) colliges & in volumen aliquando compones. *Quandoque*, id est, aliquando, ollim, *künftig einmal*. Sic Sylla de Caesare diuinauit apud Suetonium c 1. *quandoque optimatium partibus exitio futurum*. Adde sis Curas nostras Posterior. in Append.

4. *nam cetera, fragilia & caduca*) Adde I. I. ep. 3 n. 4.

cetera,

cetera, fragilia & caduca, non minus quam ipsi homines, occidunt desinuntque. Dices, vt soles, Amici mei viderint. Opto equidem amicos 5
tibi tam fideles, tam eruditos, tam laboriosos, vt tantum curae intentionisque suscipere & possint & velint: sed dispice, ne sit parum prouidum, sperare ex aliis, quod tibi ipse non praestes. Et 6
de editione quidem interim, vt voles: recita saltem, quo magis libeat emittere: vtque tandem percipias gaudium, quod ego olim pro te non temere praesumo. Imaginor enim, qui concur- 7
sus, quae admiratio te, qui clamor, quod etiam silentium maneat. quo ego, quum dico vel recito, non minus quam clamore delector; sit modo silentium acre & intentum & cupidum vlteriora audiendi. Hoc fructu tanto, tam pa- 8
rato, desine studia tua infinita ista cunctatione

---

6. *recita saltem*) *De recitandi* verbo supra ad lib. I. ep. 13. n. 1. diximus: adnotare licet ex hoc loco, quae num. 7. de concursu, admiratione, clamore & silentio intento traduntur.

olim pro te non temere praesumo) certa animi fiducia anticipo, & cogitatione repraesento, antequam exsistat. Proprie enim *praesumo* est antecapio, praeoccupo, vt l. VI. ep. 10. n. 5. *heredum officia praesumere*, hoc est, dum viuimus, disponere de sepultura & monimento nostro. Ad id vero, quod animi fiducia fit & cogitatione, eleganter adhibetur. Itaque l. IX. ep. 3. pr. *bonae mansuraeque famae praesumtione perfruitur.* Vbi Buchnerum consulas. Et l. III ep. 1. n. 13. *voto & cogitatione praesumo.* Et Seneca ep. 107. *Effugere ista non potes, contemnere potes: contemnes autem, si saepe cogitaueris, & futura praesumseris.*

frau-

fraudare: quae quum modum excedit, verendum est, ne inertiae & desidiae, vel etiam timiditatis nomen accipiat. Vale.

XI.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Narrat, se actore & Tacito, Africae proconsulem Marium, repetundarum reum, a senatu damnatum esse.

Solet esse gaudio tibi, si quid actum est in senatu dignum ordine illo. Quamuis enim quietis amore secesseris, insidet tamen animo tuo maiestatis publicae cura. Accipe ergo quod per hos dies actum est, personae claritate famosum, seueritate exempli salubre, rei magnitudine aeternum. Marius Priscus, accusantibus Afris, quibus proconsul praefuit, omissa defensione, iudices petiit. Ego & Cornelius Tacitus adesse prouincialibus iussi, existimauimus fidei nostrae conuenire, notum senatui facere, excessisse Priscum immanitate & saeuitia crimina, quibus dari iudices possent: quum ob innocentes condemnandos, interficiendos etiam, pecunias accepisset. Respondit Fronto Catius, deprecatus-

Epist. XI. 1. *maiestatis publicae*) auctoritatis & dignitatis. Cicero de Orat. II. c. 39. *Maiestas est amplitudo ac dignitas ciuitatis.*

2. *iudices petiit*) Caussa Marii in senatu tractabatur, quia maiorum criminum reus erat, quam vt ordinariis legibus per iudices cognosci potuisset.

3. *Fronto Catius*) Nisi *Catii* cognomen forsan alium signat, Cornelium Frontonem puto intelligi, principem in caussis agendis, sub Hadriano, eumdemque Marci

que

que est, ne quid vltra repetundarum legem quaereretur, omniaque actionis suae vela vir mouendarum lacrymarum peritissimus, quodam velut vento miserationis impleuit. Magna contentio, magni vtrimque clamores: aliis cognitionem senatus lege conclusam, aliis liberam solutamque dicentibus: quantumque admisisset reus, tantum vindicandum. Nouissime consul designatus Iulius Ferox, vir rectus & sanctus, Mario quidem iudices interim censuit dandos: euocandos autem, quibus diceretur innocentium poenas vendidisse. Quae sententia non praeualuit modo, sed omnino post tantas dissensiones fuit sola frequens: adnotatumque (est) experimentis, quod fauor & misericordia acres & vehementes primos impetus habent, paullatim consilio & ratione, quasi restincta, considunt. Vnde euenit, vt quod multi clamore permixto tuentur, nemo tacentibus ceteris dicere velit. pateſcit enim, quum separaris a turba, contemplatio rerum, quae turba teguntur. Venerunt qui adesse erant iussi, Vitellius Honoratus, & Flauius Martianus, ex quibus Honoratus trecentis millibus exsilium equitis Romani,

4 5 6 7 8

Antonini in eloquentia Latina praeceptorem. Vid. Xiphil. in Hadr. & Capitolin. in Marco c. 2.

5. *iudices dandos*) quippe qui dabantur in lite dubia. De formulis, quibus a Praetore dabatur iudex, vid. Brisson. form. lib. V. p. m. 373. & 421. *Herz.*

diceretur vendidisse) intellige, Marius.

8. *trecentis millibus*) sestertium. Summa 9375 im-

septemque amicorum eius vltimam poenam: Martianus vnius equitis Romani septingentis millibus plura supplicia arguebatur emisse. erat enim fustibus caesus, damnatus in metallum,
9 strangulatus in carcere. Sed Honoratum cognitioni senatus mors opportuna subtraxit: Martianus inductus est absente Prisco. itaque Tutius Cerealis consularis iure senatorio postulauit, vt Priscus certior fieret: siue quia miserabiliorem, siue quia inuidiosiorem fore arbitrabatur, si praesens fuisset: siue (quod maxime credo) quia aequissimum erat commune crimen ab vtroque defendi: & si dilui non potuis-
10 set, in vtroque puniri. Dilata res est in proximum senatum, cuius ipse conspectus augustissi-

---

perialium thalerorum, si certum est, octo denarios conficere vnum huiusmodi imperialem nummum.

vltimam poenam) necem, quam l. VIII. ep. 14. n. 24. vocat *vltimum supplicium*. Est & apud Curtium l. VI. c. 7. n. 31. *supplicium vltimum*, sed Macedonum more non simplicem necem, verum cum cruciatu coniunctam videtur significare.

9. *inductus est*) Ita Grut. ex Pal. codice, & Sichardus: & noster infra l. V. epist. 4. n. 2. *vt Nominatus inducretur*, supple, *in senatum*, quod plene scripsit sub initium epistolae proxime sequentis. Alii *introductus est*, quemadmodum Cicero in Catil. III. c. 4. *Introduxi Vulturcium*: item, *introducti Galli*, puta in senatum. Sed praestat alterum, antiquis libris non minus, quam Pliniano stilo comprobatum.

iure senatorio) Capito Ateius apud Gellium lib. IV. c. 10. *Erat ius senatori, vt sententiam rogatus, diceret ante, quidquid vellet aliae rei, & quoad vellet*. Plura ibi Gellius. Id *aliae rei* Gronouius ex MSS. tuetur.

mus

mus fuit. Princeps praesidebat (erat enim consul) ad hoc Ianuarius mensis cum (propter) cetera, tum praecipue senatorum frequentia celeberrimus, praeterea caussae amplitudo, auctaque dilatione exspectatio & fama, insitumque mortalibus studium magna & inusitata noscendi, omnes vndique exciuerat. Imaginare 11
quae sollicitudo nobis, qui metus, quibus super tanta re in illo coetu, praesente Caesare dicendum erat. Equidem in senatu non semel egi: quinimmo nusquam audiri benignius soleo: tunc me tamen, vt noua omnia nouo metu permouebant. Obuersabatur praeter illa, quae su- 12
pra dixi, caussae difficultas: stabat modo consularis, modo septemuir epulonum, iam neu-

10. *Princeps praesidebat*) Traianus, licet annus incertus sit propter prauatos fastos consulares, in quibus, qui heic designati consules dicuntur, non apparent, nisi quid ex eo potest colligi, quod Cerealis, tum consularis, anno V Traiani traditur consulatum gessisse.

Ianuarius mensis) Quod consules imperium illo mense inibant, frequentia senatorum celebrabatur, etiam illorum, qui alio tempore extra vrbem agebant. Symmachus lib. I. ep. 7. *Primores Kalendas Ianus aperibat: frequens senatus matutine in curiam veneramus.*

12. *stabat*) ante oculos, in mente obuersabatur, occurrebat animo.

septemuir epulonum) Magna dignitate erant, qui sacris epulis prosiciebant, antea triumuiri, post septemuiri. Liuius lib. XXXIII. c. 42. pr. *Romae eo primum anno triumuiri epulones facti.* Gellius lib. I. c. 12. *Cuius pater flamen, aut augur aut XVuir sacris faciundis, aut qui Vlluir epulonum aut salius est.* Antiqua inscriptio apud Gruter. p. 227. n. 1.

COLLEG. VII. VIR. EPVLON.

13 trum. Erat igitur perquam onerosum, accusare damnatum: quem vt premebat atrocitas criminis, ita quasi peractae damnationis miseratio tuebatur. Vtcumque tamen animum cogitatio-
14 nemque collegi. coepi dicere non minore audientium adsensu, quam sollicitudine mea: dixi horis paene quinque. nam duodecim clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additae quatuor. adeo illa ipsa, quae dura & aduersa dicturo videbantur, secunda dicenti fuerunt.
15 Caesar quidem mihi tantum studium, tantam etiam curam (nimium est enim dicere sollicitudinem) praestitit, vt libertum meum post me stantem, saepius admoneret, voci laterique consulerem: quum me vehementius putaret intendi, quam gracilitas mea perpeti posset. Respondit mihi pro Martiano Claudius Mar-
16 cellinus. Missus deinde senatus, & reuocatus

---

iam neutrum) vtroque honore propter crimina exutus, consulari dignitate & septemuiratu.

14. *duodecim clepsydris*) Ita Ald. & Sich. & cod. Palatinus. Vulgo *decem*; Catan. *viginti*. Incertum ergo, quis clepsydrae modulus fuerit. Si *decem* legendum, tres clepsydrae conficiunt vnam horam: sin *viginti*, quinque ad horam requirentur. Adde de *clepsydra* lib. I. ep. 23. n. 2.

15. *lateri consulerem*) Dolent enim latera ex nimio aut continuo clamore. Cicero de Orat. III. cap. 2. de Crasso: *latus ei dicenti condoluisse audiebamus*. Contra sub persona validioris Catonis, de Senect. cap. 5. *Quum ego, V & LX annos natus, legem Voconiam voce magna & bonis lateribus suadissem*. Adde infra lib. IV. epist. 7. n. 4. & Cicer. de Clar. Orator c. 91.

in

in posterum. neque enim (iam) inchoari potuit actio, nisi (vt) noctis interuentu scinderetur. Postero die dixit pro Mario Saluius Libera- 17
lis, vir subtilis, dispositus, acer, disertus: in illa vero caussa omnes artes suas protulit. Respondit Cornelius Tacitus eloquentissime, &, quod eximium orationi eius inest, σεμνῶς. Dixit pro 18
Mario rursus Fronto Catius insigniter: vtque iam locus ille poscebat, plus in precibus temporis, quam in defensione consumsit. Huius actionem vespera inclusit: non tamen sic, vt abrumperet. itaque in tertium diem probationes exierunt. Iam hoc ipsum pulcrum & antiquum, senatum nocte dimitti, triduo vocari, triduo contineri. Cornutus Tertullus cos. designatus, 19
vir egregius, & pro veritate firmissimus, censuit septingenta millia, quae acceperat Marius, aerario inferenda: Mario vrbe Italiaque interdicendum: Martiano hoc amplius, Africa. In fine sententiae adiecit, quod ego & Tacitus iniuncta aduocatione diligenter fortiterque functi essemus, arbitrari senatum, ita nos fecisse, vt dignum mandatis partibus fuerit. Adsenserunt consules 20

16. *in posterum*) subaudi *diem*, quam vocem Sichardus apposuit: ceteri negligunt.

neque enim iam) inclusum *iam* abest Sichardi libro: etiam *vt* post *nisi*. Posteriori consentit Aldus; non autem priori.

17. σεμνῶς) grauiter & digne.

19. *iniuncta aduocatione*) demandata accusatione; siue actione pro Africanis. His enim aduocati erant noster ac Tacitus: non Mario.

designati, omnes etiam consulares vsque ad Pompeium Collegam: ille & septingenta millia, quae acceperat Marius, aerario inferenda, & Martianum in quinquennium relegandum: Marium repetundarum poenae, quam iam passus
21 esset, censuit relinquendum. Erant in vtraque sententia multi, fortasse etiam plures in hac vel solutiore vel molliore. nam quidam ex illis quoque, qui Cornuto videbantur adsensi, hunc qui
22 post ipsos censuerat, sequebantur. Sed quum fieret discessio, qui sellis consulum adstiterant, in Cornuti sententiam ire coeperunt, tum illi, qui se Collegae adnumerari patiebantur, in diuersum transierunt: Collega cum paucis relictus. multum postea de impulsoribus suis, praecipue de Regulo, questus est, qui se in sententia, quam ipse dictauerat, deseruisset. Est alioqui Regulo tam mobile ingenium, vt plurimum audeat, plurimum
23 timeat. Hic finis cognitionis amplissimae, super-

---

20. *Pompeium Collegam*) Proprium nomen *Collega*, non officii. In fastis consul scribitur sub Domitiano.

22. *discessio*) quando discrepantia sententiarum, tunc iubebatur totus senatus in hanc illamue partem discedere. adde lib. VIII. ep. 14. n. 19. *Herz.*

plurimum audeat, plurimum timeat) vid. lib. I. ep. 5. *Herz.*

23. *cognitionis amplissimae*) Cognitio, iudicium extraordinarium: Iurisdictio, ordinarium. Illa senatus aut principis est; haec, iudicum ordinariorum. Suetonius Claud. c. 15. *negans cognitionis rem, sed ordinarii iuris esse.* Idem Nerone c. 15. *iurisdictionem* quoque, & *cognitionem* distinguit.

est

est tamen λειτούργιον non leue, Hostilius Firminus, legatus Marii Prisci, qui permistus caussae, grauiter vehementerque vexatus est. Nam & rationibus Martiani, & sermone, quem ille habuerat in ordine Leptitanorum, operam suam Prisco ad turpissimum ministerium commodasse, stipulatusque de Martiano quinquaginta millia denarium probabatur: ipse praeterea accepisse sestertium decem millia, foedissimo quidem (titulo) nomine vnguentarii, qui titulus a vita hominis comti semper & pumicati non abhorrebat.

λειτούργιον) negotium publicum. *Steph.*

legatus Marii) Legatus non orator, sed adiunctus rectori prouinciae, aut duci supremo copiarum.

rationibus Martiani) calculo & computationi septingentorum millium, quibus innocentium ille poenas vendiderat.

stipulatus de Martiano) obligasse Martianum nomine Marii de parte summae ex septingentis millibus. *habe sich angeloben lassen*, quod Mario de summa pacta quinquaginta millia denarium, siue 6250 vnciales nummos (thaleros) soluere velit.

sestertium decem millia) CCCXII & dimidium vncialium nummum.

foedissimo titulo, nomine vnguentarii) nomine donationis a prouincialibus legato factae ad vnguenta. Ita Lipsius ad Taciti Hist. III. c. 50. interpretatur, cui donarium *vnguentarium* est, sicut *clauarium* c. l. Taciti. *Foedum* autem tum per se vocatur, quia turpe viro vnguentis nitere: tum modo exactionis, quia non voluntaria donatio erat, sed coacta & imperata. Ceterum vncis concluſa vox *titulo* videtur Grutero inducenda, vtpote satis sequenti *nomine* expressa. Addo, quod statim, *qui titulus*, subiicitur. Ingrata autem huiusmodi repetitio.

comti semper & pumicati) ornati & delicatuli. *Pu-*

24 Placuit, censente Cornuto, referri de eo proximo
senatu. tunc enim, casu incertum, an conscien-
25 tia, abfuerat. Habes res vrbanas: inuicem rusti-
cas scribe, quid arbuscula tuae, quid vineae, quid
segetes agunt: quid oues delicatissimae? In sum-
ma, nisi aeque longam epistolam reddes, non est
quod postea, nisi breuissimam, exspectes. Vale.

XII.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Euentum caussae Firmini legati, quam superiori epistola notauerat, perscribit.

Λειπόγιον illud, quod supersesse Marii Prisci
caussae proxime scripseram, nescio an satis
2 circumcisum, tamen & abrasum est. Firminus
inductus in senatum respondit crimini noto: se-
quutae sunt diuersae sententiae consulum desi-
gnatorum. Cornutus Tertullus censuit ordine

---

micare enim laeuigare est & polire. Imitatur nostrum, vt alibi saepe, Sidon. Apollinaris l. VIII. ep. 3. *In medio nationum*, inquit, *delibutarum, atque inter satrapas regum tiaratorum myrrhatos, pumicatos, malobathratos.*

24. *referri*) solemnis formula in foro Romano, quando aliquid proponebatur. vid. Brisson. l. II. p. 165. Herz.

25. *quid segetes agunt*) Omnes antiqui *agunt*, quod interrogatiue capiendum est. Veenhus. *agant*, dubitanter.

Epist. XII. 1. Λειπόγιον) ministerium exiguum.

circumcisum, abrasum) Tralate illud iustam perfectamque mali emendationem; hoc minus accuratam, deletionem tamen significat.

2. *crimini noto*) noto ex superiori epistola.

mouen-

mouendum: acutius Nerua, in sortitione prouinciae rationem eius non habendam. quae sententia, tamquam mitior, vicit, quum sit alioqui durior tristiorque. Quid enim miserius, quam 3
exsectum & exemtum honoribus senatoriis, labore & molestia non carere? quid grauius, quam tanta ignominia adfectum, non in solitudine latere, sed in hac altissima specula conspiciendum se monstrandumque praebere? Praeterea, 4
quid publice minus aut congruens aut decorum? notatum a senatu in senatu sedere? ipsisque illis, a quibus sit notatus, aequari? submotum a proconsulatu, quia se in legatione turpiter gesserat, de proconsulibus iudicare? damnatumque sordium, vel damnare alios vel absoluere? Sed hoc 5

---

acutius Nerua) Nerua alius ab imperatore: *acutius* aduerbium.

in sortitione prouinciae) quia sorte legebantur prouinciarum praesides. Hoc sortiendi iure Firminus in perpetuum priuatus est.

3. *exsectum*) Malunt *exutum*, vt honestius, P. Faber, Gruterus, Buchnerus.

altissima specula) curia, senatu, gradu senatorio. Symmach. l. c. 20. *in specula honorum locatus.*

4. *decorum? notatum*) Ita MS. Palat. & Aldus, probante Grutero: vulgo *decorum, quam notatum.* De verbo *notare* supra ad libri huius epist. 6. n. 3.

a proconsulatu) a proconsulari prouincia, seu imperio proconsulari.

damnatumque sordium) foedae illius auaritiae, qua magni viri indecore agunt & infra dignitatem suam.

pluribus visum est. numerantur enim sententiae, non ponderantur: nec aliud in publico consilio potest fieri, in quo nihil est tam inaequale, quam aequalitas ipsa. nam quum sit impar pru-
6 dentia, par omnium ius est. Impleui promissum, priorisque epistolae fidem exsolui, quam ex spatio temporis iam recepisse te colligo. nam & festinanti & diligenti tabellario dedi: nisi quid
7 impedimenti in via passus est. Tuae nunc partes, vt primum illam, deinde hanc remunereris litteris, quales isthinc redire vberrimae possunt. Vale.

XIII.

C. PLINIVS PRISCO SVO S.

Prisco copiarum rectori Voconium Romanum commendat.

Et tu occasiones obligandi me auidissime amplecteris, & ego nemini libentius debeo.

---

5. pluribus visum est) maiori parti senatorum. Quidam ante *visum* interponunt *lenius*, vel *leuius*: sed sine fide veterum librorum.

numerantur enim sententiae) Symmachus lib. IV. c. 27. *Lex curiae, vt maioris numeri antistet auctoritas.* Hinc saepe, quod peius est, decernitur. Nam, vt Seneca de Vita Beata c. 2. dixit, *non tam bene cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant.*

inaequale, quam aequalitas) nihil tam iniquum, quam aequale omnibus senatoribus ius suffragandi, quum inaequalis eorum prudentia sit.

6. *fidem exsolui*) praestiti, quod superiori epistola promiseram.

Epist. XIII. *Prisco*) Sunt qui Neratium Priscum intelligunt, iuris consultissimum virum, ideoque in Pandectis saepe, & a Spartiano in Hadr. c. 18. laudatum: praeterea etiam tantae virtutis, vt Traianus hunc sibi

Duabus

Duabus ergo de causis a te potissimum petere constitui, quod impetratum maxime cupio. Regis exercitum amplissimum; hinc tibi beneficiorum larga materia, longum praeterea tempus, quo amicos tuos exornare potuisti. Conuertere ad nostros, nec hos multos. Malles tu quidem multos, sed meae verecundiae sufficit vnus aut alter, ac potius vnus. Is erit Voconius Romanus: pater ei in equestri gradu clarus, clarior vitricus, immo pater alius. nam huic quoque nomini pietate successit. Mater e primis citerioris Hispaniae. Scis quod iudicium prouinciae illius, scis quanta sit grauitas: (ipse) flamen proxime fuit. Hunc ego, quum simul studeremus, arcte familiariterque dilexi: ille meus in vrbe, ille in secessu contubernalis: cum hoc seria, cum hoc iocos miscui. Quid enim aut illo fidelius amico, aut sodale iucundius? mira in sermone, mira

2 3 4 5 6

successorem destinasse opinio fuerit. Ei enim dixisse fertur: *Commendo tibi prouincias, si quid mihi fataliter contigerit.* Saltem curam prouinciarum eidem commendauit, si negligentior forte in eis tuendis successor fuerit. An vero idem sit Neratius Marcellus (de quo noster lib. III. ep. 8.) vt videtur Cataneo, non ausim adfirmare.

4. *Voconius Romanus*) ad quem exstat lib. I. epist. 5. Laudatur etiam lib. X. ep. 3.

huic quoque nomini pietate) Ita Gruterus ex Palatino. Vulgo *nomine & pietate* fuit editum.

ipse flamen) Flamen *Dialis* forte, qui maximae dignationis erat. Quamquam & Martialis ac Quirinalis patricii generis erant: ceteri, plebeii. Vide Festum. Pronomen *ipse*, quod vncinis concluſit Boxhornius, abest ab Aldina & Sichardiana.

7 etiam in ore ipso vultuque suauitas. Ad hoc ingenium excelsum, subtile, dulce, facile, eruditum in causis agendis. Epistolas quidem scri-
8 bit, vt Musas ipsas Latine loqui credas. Amatur a me plurimum, nec tamen vincitur. Equidem iuuenis statim iuueni, quantum potui per aetatem, auidissime contuli, & nuper ab optimo principe trium liberorum ei ius impetraui. quod quamquam parce & cum delectu daret, mihi tamen,
9 tamquam eligeret, indulsit. Haec beneficia mea tueri nullo modo melius, quam vt augeam, possum, praesertim quum ipse illa tam grate interpretetur, vt dum priora accipit, poste-
10 riora mereatur. Habes qualis, quam probatus carusque sit nobis. quem rogo, pro ingenio, pro fortuna tua exornes. In primis ama hominem. nam licet tribuas ei quantum amplissimum potes, nihil tamen amplius potes amicitia tua: cuius esse eum vsque in intimam familiaritatem capacem, quo magis scires, breuiter tibi studia, mores, omnem denique vitam eius ex-
11 pressi. Extenderem preces, nisi & tu rogari diu nolles, & ego tota hac epistola fecissem. Rogat enim & quidem efficacissime, qui reddit causas rogandi. Vale.

---

8. *ab optimo principe*) a Traiano, ita bono, vt *optimi* cognomen mereretur, *Panegyr.* c. 88.

trium liberorum ius) Ius, quo foecundi parentes in honorum petitione & causa hereditaria vtebantur, ad steriles aut infelices bonitate principum prorogari poterat. Vide infra lib. VII. ep. 16. n. 2. & lib. X. epist. 95. & Dionem lib. LV. sub initium, & cumprimis Paullum lib. IV. recept. sent. tit. 9. extr.

XIV.

XIV.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Centumuirales cauſſas, tamquam obſcuras, & ab adoleſcentulis profanatas, grauiter notat.

Verum opinaris: diſtringor centumuiralibus cauſſis, quae me exercent magis, quam delectant. ſunt enim pleraeque paruae & exiles. raro incidit vel perſonarum claritate vel negotii magnitudine inſignis. Ad hoc, perpauci, cum 2
quibus iuuet dicere: ceteri, audaces, atque etiam magna ex parte adoleſcentuli obſcuri a declamando huc tranſeunt. tam irreuerenter & temere, vt mihi Attilius noſter expreſſe dixiſſe videatur, ſic in foro pueros a centumuiralibus cauſſis auſpicari, vt ab Homero in ſcholis. Nam hic quoque, vt illic, primum coepit eſſe quod

---

Epiſt. XIV. 1. *centumuiralibus cauſſis*) Vide lib. I. epiſt. 5. n. 4. & epiſt. 18. n. 3.

2. *a declamando*) ſtatim a ſchola. Emendatio Gronouii, pro qua vulgo *ad declamandum*, quod falſum. Declamationes enim ad vmbram & ſcholas pertinent; non ad forum & centumuirale iudicium. Videtur praepoſitioni littera ſequentis verbi prima ex errore acceſſiſſe, cuius gratia poſtmodum & caſus mutari debuit.

Attilius noſter) Vide ad lib. I epiſt. 9. extrem.

ab Homero in ſcholis) Pueris praelectus Homerus, vt cum lingua tam exempla virtutis, quam illuſtres ſententias condiſcerent. Petronius Arbiter primo carmine, quod ex Satyrico reliquum eſt:

det primos verſibus annos,
Maeoniumque bibat felici pectore fontem.

Nam hic quoque, vt illic) *Hic*, in centumuiralibus cauſſis: *illic*, in ſcholis. Ergo *hic* ad remotius, *illic* ad propinquius refertur. Vide dicta ad lib. I. epiſt. 20. n. 21.

3 maximum est. At hercule ante memoriam meam, (maiores natu ita solent dicere) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo consulari producente: tanta veneratio-
4 ne pulcerrimum opus colebatur. Nunc, refractis pudoris & reuerentiae claustris omnia patent omnibus; nec inducuntur, sed irrumpunt. sequuntur auditores actoribus similes, conducti & redemti mancipes: conuenitur in media basilica, vbi tam palam sportulae, quam in triclinio dantur. Ex iudicio in iudicium pari mercede
5 transitur. Inde iam non inurbane σοφοκλῆς vocantur: iisdem Latinum nomen impositum est laudiceni: & tamen crescit in dies foeditas

3. *nisi aliquo consulari producente*) Magnae auctoritatis viro vel duce vel comite adolescens forum inibat, primamque caussam suscipiebat: saltem auspicio & consiliis talis viri coepit ostendi in publico. Exemplum cape ex lib. VI. ep. 23.

4. *redemti mancipes*) a caussidicis conducti & redemti, vt ipsi turbam ad hoc conducerent, quo laudarentur agentes caussam. *Manceps* enim, qui redimit & conducit; & hic vicissim pretio inductus erat.

in basilica) basilica Iulia, Vid. lib. V. epist. 21. principio.

sportulae) munuscula, quibus redimebantur laudaturi auditores.

5. σοφοκλῆς) laudari cupientes, & illud *grande sophos* audire, quod apud Martialem legitur lib. I epigr. 4 & 50.

laudiceni) Laudiceni pro *Laodiceni*, antique, vt ad *laudem* simul per iocum adludatur. Sunt enim, qui laudes suas cani, libenter audiebant. Vide Voss. Etymol. in *Lautumia*, & Scalig. ad Festum in *Alumento*. Aliis per diphthongum *laudicoeni*, quasi laudando coenam mercentes. Ita Catanaeus.

Vtra-

vtraque lingua notata. Heri duo nomenclatores 6
mei, (habent sane aetatem eorum, qui nuper togas sumserunt) ternis tenariis ad laudandum trahebantur. tanti constat, vt sis disertissimus. Hoc pretio, quamlibet numerosa, subsellia implentur: hoc ingens corona colligitur: hoc infiniti clamores commouentur, quum μισόχορος dedit signum. Opus est enim signo apud non 7
intelligentes, ne audientes quidem. nam plerique non audiunt, nec vlli magis laudant. Si 8
quando transibis per basilicam, & voles scire, quomodo quisque dicat, nihil est, quod tribunal adscendas, nihil, quod praebeas aurem: facilis diuinatio. Scito eum pessime dicere, qui laudabitur maxime. Primus hunc audiendi morem 9
induxit Largius Licinius: hactenus tamen, vt auditores corrogaret. Ita certe ex Quintiliano,

---

vtraque lingua notata) & Graeco & Latino nomine exagitati non desistunt ab hac foeditate.

6. *nomenclatores*) serui domino nomina transeuntium salutantiumue suggerentes.

habent aetatem eorum) sunt peradolescentuli, quia a XIV ad XVII annum toga pura sumebatur. Quod addit Plinius, quia turpius, ab iis laudes redimere, qui nec per aetatem laudanda intelligunt.

ingens corona) coetus circumstantium auditorum. Cic. pro Flacc cap. 28. *A iudicibus oratio auertitur: vox in coronam turbamque effunditur.* Add. infra I. VII. epist. 17. n. 9.

μισόχορος) medius in choro, director, seu praecentor.

9. *Largius Licinius*) Catanaeo is, de quo lib. III. epist. 5. n. 17.

corrogaret) rogando conquireret. *Herz.*

prae-

10 praeceptore meo, audisse memini. narrabat ille, Adsectabar Domitium Afrum, quum apud centumuiros diceret grauiter & lente, (hoc enim illi actionis genus erat) audiit ex proximo immodicum insoliumque clamorem: admiratus reticuit: vbi silentium factum est, repetiit quod abruperat: iterum clamor, iterum reticuit: & 11 post silentium, coepit idem tertio. Nouissime, quis diceret, quaesiuit: responsum est, Licinius. Tum intermissa caussa, Centumuiri, in- 12 quit, hoc artificium periit. Quod alioqui perire incipiebat, quum periisse Afro videretur; non vero prope funditus exstinctum & euersum est. Pudet referre, quae quam fracta pronuntiatione dicantur; quibus quam teneris clamo- 13 ribus excipiantur. Plausus tantum, ac sola cymbala, & tympana illis canticis desunt. Vlulatus quidem (neque enim alio vocabulo potest exprimi theatris quoque indecora laudatio) lar- 14 ge supersunt. Nos tamen adhuc & vtilitas amicorum, & ratio aetatis moratur ac retinet. Veremur enim, ne forte non has indignitates reliquisse, sed laborem refugisse videamur. Sumus tamen solito rariores: quod initium est gradatim desinendi. Vale.

---

11. *hoc artificium periit*) Si Licinius, orator ineptus, coemtis laudatoribus sibi plausum parare potest; periit artificium doctorum, qui ingenio id ac studio parare soliti erant.

14. *& ratio aetatis*) quia nondum ad id aetatis peruenerat, quae excusationem ciuilium officiorum & has oratorum ineptias audiendi haberet. Adde ad lib. III, epist. 1. n. 12. notata.

XV.

XV.

C. PLINIVS VALERIANO SVO S.

Quomodo veteres, & noui coemti agri placeant, Valerianum interrogat.

Quo modo te veteres Marsi tui? quo modo emtio noua? placent agri, postquam tui facti sunt? Rarum id quidem! nihil enim aeque gratum est adeptis, quam concupiscentibus. Me praedia materna parum commode tractant: 2
delectant tamen, vt materna: alioqui longa patientia obcallui. Habent hunc finem assiduae querelae, quod queri pudet. Vale.

XVI.

C. PLINIVS ANNIANO SVO S.

Anniano monenti, vt codicillos Aciliani irritos faciat, non confirmatos testamento; respondet, voluntatem legantis sibi pro lege esse.

Tu quidem pro cetera tua diligentia admones me, codicillos Aciliani, qui me ex parte instituit heredem, pro non scriptis habendos, quia non sint confirmati testamento. Quod 2

Epist. XV. 1. *Marsi tui*) agri in Marsis possessi. Marsorum populus notus in Italia.

aeque gratum, quam) De voce *aeque* ad lib. I. ep. 20. n. 1. diximus, quae etiam cum *quam* eleganter componitur. Seneca epist. 55. *aeque offendisse Sëianum, quam amasse, periculosum.*

2. *parum commode tractant*) propter sterilitatem.

Epist. XVI. 1. *codicillos*) Codicilli sunt scriptura, qua defunctus sine solemnitate voluntatem suam de eo testatus est, quod post mortem fieri voluit. Hi non idem possunt, quod testamentum, nisi illo sint confirmati. Vid. leg. 7. Cod. de Codicill.

ius ne mihi quidem ignotum est, quum sit iis etiam notum, qui nihil aliud sciunt: sed ego propriam quamdam legem mihi dixi, vt defunctorum voluntates, etiamsi iure deficerent, quasi perfectas tuerer. Constat autem, codicillos
3 istos Aciliani manu scriptos. Licet ergo non sint confirmati testamento, a me tamen, vt confirmati, obseruabuntur: praesertim quum dela-
4 tori locus non sit. Nam si verendum esset, ne, quod ego dedissem, populus eriperet, cunctatior fortasse & cautior esse deberem: quum vero liceat heredi donare, quod in hereditate subsedit, nihil est, quod obstet illi meae legi, cui publicae leges non repugnant. Vale.

---

2. *iure deficerent*) Ita Palat. cod. & ed. antiquissima. Aldus *deficerentur*, qua forma nostet sequenti etiam epistola, & 91. lib. X. delectatus est. Sichardus *iura deficerent*.

3. *quum delatori locus non sit*) Locus est delationi, quando hereditas incapacibus defertur, vt vel fisco cedat illa, vel aerario populi. At si quis heres codicillis scribatur, etsi non confirmetur testamento; eo nomine non licet deferre, nullo tunc iure principis, vel aerarii, exsistente. Vide Leg. 1. Dig. de iure fisci, & Leg. 1. Cod. de bonis vacant.

4. *liceat heredi donare*) Ex his, & superioribus, *quod ego dedissem*, tota controuersia cognoscitur. Scriptus heres ex parte noster Plinius fuerat, sed codicillis onus aliquod donationis adiunctum, quod recusare potuisset tamquam non confirmatum testamento: aut aerario vindicare: sed maluit voluntatem legantis, quam ius & solemnitatem sequi.

quod in hereditate subsedit) remansit apud heredem. Lege 76. Dig. ad Leg. Falcid. *legata quum apud heredes subsederint, hereditario iure apud eos remanere intelligi.*

XVII.

XVII.

C. PLINIVS GALLO SVO S.

Descriptio villae Laurentinae, qua miranti respondet, cur illa tantopere delectetur.

Miraris, cur me Laurentinum, vel, si ita mauis, Laurens meum tantopere delectet. Desines mirari, quum cognoueris gratiam villae, 2
opportunitatem loci, littoris spatium. Decem & septem millibus passuum ab vrbe secessit: vt peractis, quae agenda fuerint, saluo iam & composito die, possis ibi manere. Aditur non vna via: nam & Laurentina & Ostiensis eodem ferunt, sed Laurentina a quartodecimo lapide, Ostiensis ab vndecimo relinquenda est. Vtrimque excipit iter aliqua ex parte arenosum, iumentis paullo grauius & longius, equo breue & molle. Varia hinc atque inde facies. Nam 3
modo occurrentibus siluis via coarctatur, modo latissimis pratis diffunditur & pateſcit. Multi greges ouium, multa ibi equorum bouumque armenta: quae montibus hieme depulsa, herbis

---

Epist. XVII. 1. *Laurentinum*) Praedium in agro iuxta oppidum Laurentum, a quo geminum nomen fit *Laurentinus* & *Laurens*.

2. *saluo & composito die*) omni penso diei confecto. *Dies* pro *opere diei*. Seneca de Ira III. c. 36. *Totum diem meum scrutor, facta ac dicta mea remetior*. Vbi Gronouium videas tamquam Plinii nostri tum hoc loco, tum lib. III. ep. 9. & lib. VI. epist. 31. n. 13. interpretem.

lapide) milliario, siue mille passibus. Lapidibus enim milliaria viarum cum ceterarum, tum quae Ostiam & Laurentum ferebant, distincta erant.

iumentis) iunctis curruı. Pal. cod. *iunctis* simpliciter.

&

4 & tepore verno nitescunt. Villa vsibus capax, non sumtuosa tutela. cuius in prima parte atrium frugi, nec tamen sordidum: deinde porticus in O litterae similitudinem circumactae: quibus parvula, sed festiua, area includitur. egregium hae aduersum tempestates receptaculum: nam specularibus, ac multo magis imminentibus 5 tectis muniuntur. Est contra medias cauaedium hilare: mox triclinium satis pulcrum, quod in littus excurrit: ac si quando Africo mare impulsum est, fractis iam & nouissimis fluctibus leuiter adluitur. Vndique valuas, aut fenestras non minores valuis habet: atque ita a lateribus & a fronte quasi tria maria prospectat. a tergo cauaedium, porticum, aream; porticum rursus, mox atrium, siluas & longinquos respicit montes. 6 Huius a laeua retractius paullo cubiculum est

---

3. *nitescunt*) pinguescunt. Strigosum enim hieme pecus, vernis pascuis cutem curat, vt nitescere incipiat. Sic *nitida iumenta* Nepos Eum. c. 5. n. 6. dixit.

4. *vsibus capax, non sumtuosa tutela*) Villa capit omnia, quae ad vsum sunt necessaria: licet non habeat, quae tutelae ac sumtuosae sustentationi requiruntur. *Tutela* enim de alitura quoque dicitur. Columella l. IX. principio: *Venio nunc ad tutelam pecudum siluestrium.* Suetonius Caes. c. 68. ita quoque *tenuiorum tutelam* dixit.

specularibus) lapidibus specularibus, quibus olim frigus & ventos arcebant, perinde ac nos orbibus vitreis. Sunt enim etiam pellucidi, si in tenues crustas finduntur, vt Plinius alter H. N. lib. XXXVI. c. 26. tradit.

5 *Est contra medias*) porticus.

quasi tria maria) vnum Tyrrhenum, sed sinu ita recurvatum, vt ex tribus plagis prospectetur,

am-

amplum: deinde aliud minus, quod altera fenestra admittit orientem, occidentem altera retinet. Haec & subiacens mare longius quidem, sed securius intuetur. Huius cubiculi & triclinii illius 7
obiectu includitur angulus, qui purissimum solem continet & accendit. Hoc hibernaculum, hoc etiam gymnasium meorum est. Ibi omnes silent venti, exceptis qui nubilum inducunt, & serenum ante, quam vsum loci, eripiunt. Adnectitur angulo cubiculum in apsida curuatum, 8
quod ambitum solis fenestris omnibus sequitur. Parieti eius, in bibliothecae speciem, armarium insertum est, quod non legendos libros, sed lectitandos capit. Adhaeret dormitorium mem- 9
brum, transitu interiacente, qui, suspensus & ta-

---

6. *retinet*) ex occidente sole teporem & splendorem quemdam. *Herz.*

securius) in comparatione ad illos, qui e. g. ex naue mare etiam possunt prospicere. *Herz.*

7. *& accendit*) repercussu auget solis radios & aestum. Vide post paullo num. 17.

gymnasium) locus corpori exercendo destinatus.

exceptis, qui nubilum) Australes venti villis, ad mare inferum sitis, nubila inducunt.

serenum ante, quam vsum loci) prius sol obducitur nubibus, quam calor faceſſat. *Catan.*

8. *in apsida*) in curuaturam fornicis. Paullinus Nolanus epist. 32. (al. 12.) n. 10. de ecclesiae basilica: *Apsidem solo & parietibus marmoratam camera musiuo illusa clarificat.*

non legendos, sed lectitandos) armarium angustum ac paruum, quo non bibliotheca, sed libri necessarii & assidue lectitandi reponi possunt.

9. *membrum*) pars domus. Lib. V. ep. 6. n. 15.

bula-

bulatus, conceptum vaporem salubri temperamento huc illucque digerit & ministrat. Reliqua pars lateris huius seruorum libertorumque vsibus detinetur, plerisque tam mundis, vt acci-
10 pere hospites possint. Ex alio latere cubiculum est politissimum, deinde vel cubiculum grande, vel modica coenatio, quae plurimo sole, plurimo mari lucet. post hanc cubiculum cum procoetone, altitudine aestiuum, munimentis hibernum. est enim subductum omnibus ventis. huic cubiculo aliud, & procoeton, communi pariete
11 iunguntur. Inde balinei cella frigidaria spatiosa & effusa, cuius in contrariis parietibus duo baptisteria, velut eiecta, sinuantur, abunde capacia, si innare in proximo cogites. Adiacet vnctuarium hypocauston: adiacet propnigéon

---

suspensus & tabulatus) MSS. *suspensus sublatus*: item, *suspensus subditis*. Ex illo Iacobus Bononiensis & *sublatus*; ex hoc Modius *publicis* formauit. Aldus ac Catanaeus, & *tabulatus*.

plerisque tam mundis] subaudi, *exsistentibus*. Gronou.

10. *coenatio*) locus ad coenam sumendam; triclinium, synecdochice quaeuis diaeta.

cum procoetone) loco ante cubiculum, vbi ministri excubant. Vox Graeca notae originis.

11. *baptisteria*) lauacra, loca lotionibus dicata. Vide plura ad lib. V. ep. 6. n. 25.

in proximo) intra aedes, non foris in piscina.

vnctuarium hypocauston) ἀλειπτήριον, vbi balneas inituri vngebantur. Pollux enim inter balneatoria vocabula lib. VII. c. 33. etiam ἀλειπτήριον memorat. Fuit & pro luctatoribus *vnctuarium*, de quo Mercurial. in Gymn. I, 8.

propnigeon) suffocatorium, locus vbi carbones suf-

bali-

balinei: mox duae cellae, magis elegantes, quam
sumtuosae. cohaeret calida piscina mirifice, ex
qua natantes mare adspiciunt. Nec procul 12
sphaeristerium, quod calidissimo soli, inclinato
iam die, occurrit. hinc turris erigitur, sub qua
diaetae duae; totidem in ipsa. praeterea coe-
natio, quae latissimum mare, longissimum littus,
amoenissimas villas prospicit. Est & alia turris: 13
in hac cubiculum, in quo sol nascitur conditur-
que: lata post apotheca & horreum. sub hoc
triclinium, quod turbati maris non nisi fragorem
& sonum patitur, eumque iam languidum ac de-
sinentem: hortum & gestationem videt, qua
hortus includitur. Gestatio buxo, aut rore 14
marino, vbi deficit buxus, ambitur. Nam bu-
xus, qua parte defenditur tectis, abunde viret,
aperto coelo apertoque vento, &, quamquam
longinqua adspergine maris, inarescit. Adia- 15

---

socabantur. Ideo *praefurnium* quidam vertunt, quia πνιγεὺς etiam *furnus* est. Hanc quoque partem, & eodem nomine, Vitruvius in balineis ponit lib. V. cap. 11.

12. *sphaeristerium*) pars gymnasii pro pilae exercitiis. *Mercurial. I, 9.*

diaetae duae) Haec vox in MSS. *zeta*, item *zotheca* legitur. Sidonius, nostri aemulator VIII, 16. *per armariola & zotheculas nostras.* Vbi Sirmondum & Sauaronem videas. Si genuina est *diaetae* scriptura, locus significatur, vbi per diem versamur. Id enim Graece est διαιτάσθαι. Adde lib. V. ep. 6. n. 20.

13. *fragorem*) allidentium sc. fluctuum.

gestationem) locum, vbi sella, lectica, aut vehiculo Romani crebrius gestabantur, seruandae aut recuperandae valetudinis caussa. Vid. Mercurial. VI, 9. seq.

est

cet gestationi interiore circuitu vinea tenera & vmbrosa, nudisque etiam pedibus mollis & cedens. Hortum morus & ficus frequens vestit; quarum arborum illa vel maxime ferax est terra, malignior ceteris. Hac non deteriore, quam maris facie, coenatio remota a mari fruitur. Cingitur diaetis duabus a tergo, quarum fenestris subiacet vestibulum villae, & hortus alius, pin-
16 guior & rusticus. Hinc cryptoporticus, prope publici operis, extenditur. Vtrimque fenestrae, a mari plures, ab horto singulae, & altius pauciores. Hae, quum serenus dies & immotus, omnes; quum hinc vel inde ventus inquietus,
17 qua venti quiescunt, sine iniuria patent. Ante cryptoporticum xystus violis odoratus. Teporem solis infusi repercussu cryptoporticus auget, quae vt tenet solem, sic aquilonem inhibet submouetque: quantumque caloris ante, tantum retro frigoris. similiter Africum sistit, atque ita diuersissimos ventos, alium alio a latere,

---

15. *vineae tenera*) nouella, Catanaeo. Aldus prima editione *vinca*, quod auctor Fori Romani tuetur, id est herba auunculo *vincaperuinca* dicta, a *vinciendo* nempe. Haec certe nudis pedibus mollius cedit, quam vinea, etiam nouella.

ceteris) fructibus.

16. *prope publici operis*) Gruterus ita ex Palat. & editis antiquitus. Vulgo alii *operis inflar*. Sed satis se Cassus sine nouo fulcro sustentat.

immotus) non interturbatus ventis nubibusque *Herz.*

17. *xystus violis odoratus*) Xystus, subdialis ambulatio ante porticum. Cicero de Clar. Orat. c. 3. *Quum inambularem in xysto.* Adde infra lib. IX. ep. 7. n. 4. & Vitruu. lib. V. c. 11. extr.

fran-



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862845467/phys_0145
DFG

Apenninus Mons
Arnus fl.
Pons Tiberis
Tusci
Aretium
Tifernum Tiberinum
Tiberis
Tusicum
VMBRIA
Palus Clusina
Cortona
Iguuium
Trasimenus lacus
Perusia
Clasius fl.
CIS
Tinia
Hispellum
Fulginium
Meuania
Clusium
Clanis
Tinia fl.
Clitumnus
Fanum Clitumni
Tuder
APEN-
Carsulæ
Spoletium
Herbanum
NINVM
Interamna
Nar fl.
Volsinii
Ameria
Narnia
BINI
Occidens
Volsinensis lacus
Ocriculum
Forentinum
Vadimonis lacus
SA
Cures
Cimininus M.
Vultumnæ fanum
Falerii
Falisci
Regillum
Seracte
Allia fl.
Nepet
Veii
Tiberis
Nomentum
Anio fl.
Tibur
Forum Aurelii
Marta fl.
Sutrium
Tusculum
Sabate
Mons Sacer
Tarquinii
Cremera
Roma
Lacus Sabatinus
Graviscæ
Cære
LA
Alardus
Albanus lacus
Alsium
Bouilla
Alba longa
Centum cellæ Traiani portus
Portus
Ostia
TIVM
Laurentum
Villa Plinii
Ardea
Antium
MARE INFERVM
Meridies



frangit & finit. Haec iucunditas eius hieme, 18
maior aestate. Nam ante meridiem, xystum,
post meridiem gestationes hortique proximam
partem vmbra sua temperat: quae, vt dies cre-
uit decreuitque, modo breuior, modo longior
hac vel illac cadit. Ipsa vero cryptoporticus 19
tunc maxime caret sole, quum ardentissimus
culmini eius insistit. Ad hoc patentibus fe-
nestris fauonios accipit transmittitque: nec vn-
quam aere pigro & manente ingrauescit. In 20
capite xysti deinceps cryptoporticus, horti diae-
ta, est, amores mei; re vera amores; ipse po-
sui. In hac heliocaminus quidem, alia xystum,
alia mare, vtraque solem, cubiculum autem val-
uis, cryptoporticum fenestra prospicit. Qua 21
mare contra parietem medium, diaeta perquam
eleganter recedit: quae specularibus & velis ob-
ductis reductisque modo adiicitur cubiculo,
modo aufertur. Lectum & duas cathedras ca-
pit: a pedibus mare, a tergo villae, a capite sil-

19. *fauonios accipit*) Curtius lib. VIII. c. 9. n. 3. *quae australem accipiunt*. Fauonius Latine, qui Graece Zephyrus, ventus occidentalis.

20. *heliocaminus*) solare vaporarium in aprico loco situm, ad calorem solis excipiendum. Idem forte Plauti *solarium*, Mostellar. II. sc. 3. v. 64. locus soli quaquauersus apertus in summis aedibus.

21. *diaeta perquam eleganter recedit*) Palatinus, vt supra, *zeta*, quod idem est, *di* cum *z* permutato. Sirmondus autem ad Sidonii VIII, 16. contendit, *zotheca* heic legendum esse. Prouocat ad veteres libros: quos vero haud nominat. Et quod origine *animalium receptaculum* significat; a scopo Plinii alienum videtur.

uae: tot facies locorum totidem feneſtris &
22 diſtinguit & miſcet. Iunctum eſt cubiculum
noctis & ſomni. Non illud voces ſeruulorum,
non maris murmur, non tempeſtatum motus,
non fulgurum lumen, ac ne diem quidem ſentit,
niſi feneſtris apertis. Tam alti abditique ſe-
creti illa ratio, quod interiacens andron pari-
etem cubiculi hortique diſtinguit, atque ita
23 omnem ſonum media inanitate conſumit. Ap-
plicitum eſt cubiculo hypocauſtum perexiguum,
quod anguſta feneſtra ſuppoſitum calorem, vt
ratio exigit, aut effundit aut retinet. Procoe-
ton inde & cubiculum porrigitur in ſolem: quem
orientem ſtatim exceptum vltra meridiem, obli-
24 quum quidem, ſed tamen ſeruat. In hanc ego
diaetam quum me recipio, abeſſe mihi etiam a
villa mea videor, magnamque eius voluptatem,
praecipue Saturnalibus, capio, quum reliqua
pars tecti, licentia dierum, feſtisque clamoribus
perſonat. Nam nec ipſe meorum luſibus, nec
25 illi ſtudiis meis obſtrepunt. Haec vtilitas, haec
amoenitas deficitur aqua ſalienti, ſed puteos, ac
potius fontes habet. Sunt enim in ſummo: &

---

22. *interiacens andron*) Vitruuius lib. VI. c. 10. *Inter haec peristylia & hospitalia itinera sunt, quae mesaula dicuntur, quod inter duas aulas media sunt interposita. Nostri eas* ANDRONAS *appellant.* Sed miratur ipse appellationem, quum *andron* Graece locus sit conuiuiorum virilium.

24. *Saturnalibus*) Seruorum licentia atque luſus in Saturni feſtis diebus heic non obſcure ex iis, quae Plinius addit, intelliguntur. Plura dat Lipſius in Satura-

omni-

omnino littoris illius mira natura: quocumque
loco moueris humum, obuius & paratus humor
occurrit, isque sincerus ac ne leuiter quidem
tanta maris vicinitate salsus. Suggerunt assa- 26
tim ligna proximae siluae: ceteras copias Osti-
ensis colonia ministrat. Frugi quidem homini
sufficit etiam vicus, quem vna villa discernit: in
hoc balinea meritoria tria. Magna commodi-
tas, si forte balineum domi vel subitus aduentus,
vel breuior mora calefacere dissuadeat. Littus 27
ornant varietate gratissima, nunc continua, nunc
intermissa tecta villarum, quae praestant multa-
rum vrbium faciem, siue ipso mari, siue ipso lit-
tore vtare. quod nonnunquam longa tranquil-
litas mollit, saepius frequens & contrarius flu-
ctus indurat. Mare non sane pretiosis pisci- 28
bus abundat: soleas tamen & squillas optimas
suggerit. Villa vera nostra etiam mediterra-
neas copias praestat, lac in primis. nam illuc
e pascuis pecora conueniunt, si quando aquam
vmbramque sectantur. Iustisne de caussis eum 29
tibi videor incolere, inhabitare, diligere seces-
sum? quem tu, nimis vrbanus es, nisi concupi-

26. *Ostiensis colonia*) Ostia, oppidum ad ostia Tiberis, prima Romanorum colonia.

vicus, quem vna villa discernit) Vicus inter Laurentinum Plinii & Ostiam medius: inter idem praedium & vicum, vna interiacens villa.

si forte balineum) lauacrum Ostiense Antoninus Pius restituit. Capitolin. c. 8.

28. *soleas tamen & squillas*) piscium genera: illud a latitudine dictum, qua soleam pedis imitatur: hoc ex cancris vel gammaris est, sed minoribus.

scis: atque vtinam concupiscas! vt tot tantisque dotibus villulae nostrae maxima commendatio ex tuo contubernio accedat. Vale.

XVIII.

C. PLINIVS MAVRICO SVO S.

Maurico promittit, se fratris filiis praeceptorem electurum esse.

Quid a te iucundius mihi potuit iniungi, quam vt praeceptorem fratris tui liberis quaererem? Nam beneficio tuo in scholam redeo: illam dulcissimam aetatem quasi resumo. Sedeo inter iuuenes, vt solebam: atque etiam experior, quantum apud illos auctoritatis ex stu-
2 diis habeam. Nam proxime frequenti auditorio inter se coram multis ordinis nostri clare iocabantur: intraui, conticuerunt. Quod non referrem, nisi ad illorum magis laudem, quam ad meam, pertineret: ac nisi sperare te vellem, posse
3 fratris tui filios probe discere. Quod superest, quum omnes, qui profitentur, audiero, quid de quoque sentiam, scribam: efficiamque, quantum tamen epistola consequi potero, vt ipse omnes

---

Epist. XVIII. 1. *fratris tui*) Aruleni Rustici, l. I. ep. 5. & 14.

dulcissimam aetatem) adolescentiam, cuius recordatio iucunda est. Supra lib. II. ep. 3. n. 6. respice.

ex studiis) eloquentiae potissimum, quia rhetorum scholas, praeceptorem inquirens, visitabat.

2. *ordinis nostri*) senatorii.

iocabantur) Sic Palat. cod. & Aldus; & antea *multis*, Modio castigante. Vulgatum *multi*, & *loquebantur*.

3. *quid de quoque*) Ita veteres libri; male recentes, *de illis quoque*.

audis-

audisse videaris. Debeo enim tibi, debeo me- 4
moriae fratris tui hanc fidem, hoc studium, praesertim super tanta re. Nam quid magis interest vestra, quam vt liberi (dicerem tui, nisi nunc illos magis amares) digni illo patre, te patruo rererentur? Quam curam mihi, etiam si non mandasses, vindicassem. Nec ignoro susceipiendas 5
offensas in eligendo praeceptore: sed oportet me non modo offensas, verum etiam simultates pro fratris tui filiis tam aequo animo subire, quam parentes pro suis. Vale.

XIX.

C. PLINIVS CEREALI SVO S.

Hortanti, vt actionem quamdam recitet, productis dubitandi rationibus, rem curatius expendendam proponit.

Hortaris, vt orationem amicis pluribus recitem. Faciam, quia hortaris: quamuis ve- 1
hementer addubitem. Neque enim me praeterit, 2
actiones, quae recitantur, impetum omnem caloremque ac prope nomen suum perdere, vt quas soleant commendare simul & accendere iudicum consessus, celebritas aduocatorum, exspectatio

---

4. *memoriae*) Sic de mortuis mos est loqui. Vide etiam lib. III. epist. 3. n. 1.

te patruo) vt tu patruus efficeres fratris tui liberos dignos suo patre. *Herz.*

5. *offensas*) illorum, qui praetereuntur, electo ex multis vno.

simultates) odium & inimicitiam.

Epist. XIX. 2. *actiones*) orationes forenses.

vt quas soleant) quippe quas.

euentus, fama non vnius actoris, deductumque in partes audientium studium: ad hoc dicentis gestus, incessus, discursus etiam, omnibusque motibus animi consentaneus vigor corporis. 3 Vnde accidit, vt hi, qui sedentes agunt, quamuis illis maxima ex parte supersint eadem illa, quae stantibus, tamen hoc quod sedent, quasi 4 debilitentur & deprimantur. Recitantium vero praecipua pronuntiationis adiumenta, oculi, manus praepediuntur: quo minus mirum est, si auditorum intentio langueſcit, nullis extrinsecus 5 aut blandimentis capta aut aculeis excitata. His accedit, quod oratio, de qua loquor, pugnax & contentiosa est. Porro ita natura comparatum est, vt ea quae scripsimus cum labore, etiam cum 6 labore audiri putemus. Et sane quotusquisque tam rectus auditor, quem non potius dulcia haec & sonantia, quam austera & pressa, delectent?

---

non vnius actoris) accusatoris, quia in vna causa plures accusabant, & plures aduocati defendebant. Vide epist. 11 huius libri.

incessus, discursus) Vterque breuis sit & moderatus. Quintilianus XI c. 3. p. 840. *Cicero rarum incessum, neque ita longum probat. Discursare vero ineptissimum; vrbaneque Flauius Verginius interrogauit de quodam suo antisophista, quot millia passuum declamasset?*

4. *pronuntiationis adiumenta*) Distinguit recitationem ab actione. illa ex scripto plerumque praelegebat: haec gestu, oculis, manu libere & memoriter omnia agit.

6. *dulcia haec & sonantia*) vt materia recitationum erat.

austera & pressa) materia forensis & rigida.

Est

Est quidem omnino turpis ista discordia; est tamen, quod plerumque euenit, vt aliud auditores, aliud iudices exigant: quum alioqui praecipue auditor iis adfici debeat, quibus idem si foret iudex, maxime permoueretur. Potest tamen 7
fieri, vt quamquam in his facultatibus libro isti nouitas lenocinetur, nouitas apud nostros: apud Graecos enim est quiddam, quamuis ex diuerso, non tamen omnino dissimile. Nam, vt illis 8
erat moris, leges, quas vt contrarias prioribus legibus arguebant, aliarum collatione conuincere; ita nobis, inesse repetundarum legi, quod postularemus, cum hac ipsa lege, tum aliis colligendum fuit. quod nequaquam blandum auribus imperitorum; tanto maiorem apud doctos habere gratiam debet, quanto minorem apud indoctos habet. Nos autem, si placuerit recitare, 9
adhibituri sumus eruditissimum quemque: sed plane adhuc, an sit recitandum, examina tecum, omnesque, quos ego moui, in vtraque parte cal-

affici) tamquam re delectabili.

permoueretur) ad taedium ceu re infra grauitatem forensem. *Herz.*

7. *nouitas lenocinetur*) Nam, vt idem noster l. VIII. ep. 18. extr. dixit, *aures hominum nouitate laetantur.*

nouitas apud nostros) noua, inquam, res est apud nostros: apud Graecos non plane noua.

8. *repetundarum legi*) Ergo videtur actio contra Marium Priscum fuisse, de qua epist. 11. huius libri.

9. *adhibituri sumus*) inuitaturi ad audiendum. Id enim *adhibere* dicebant. Supra lib. I. epist. 5. n. 4. *Me Regulus, quum recitaret librum, non adhibuerat.* Adde lib. IV. ep. 7. n. 2.

quos ego moui) Ita Palat. & Aldus. Perperam re-

culos pone: idque elige, in quo vicerit ratio; a te enim ratio exigetur, nos excusabit obsequium. Vale.

XX.

C. PLINIVS CALVISIO SVO S.

Regulum tribus iucundis exemplis, vt testamentorum insidiatorem & iniustum heredem, describit.

Assem para, & accipe auream fabulam: fabulas immo. nam me priorum noua admonuit: nec refert, a qua potissimum incipiam. 2 Verania Pisonis grauiter iacebat. (huius dico Pisonis, quem Galba adoptauit) ad hanc Regulus venit. Primum impudentiam hominis, qui venerit ad aegram, cuius marito inimicissimus, 3 ipsi inuisissimus fuerat. Esto, si venit tantum: at ille etiam proximus toro sedit: quo die, qua hora nata esset, interrogauit: vbi audiuit, componit vultum, intendit oculos, mouet labra, agitat digitos, computat nihil, nisi vt diu miseram 4 exspectatione suspendat. Habes, inquit, climactericum tempus, sed euades. quod vt tibi magis

---

centiores *noui*. Infra lib. III. epist. 4 extr. *consilii mei motus*.

Epist. XX. 1. *Assem para*) praemiolum fabellas narrantibus dari solitum.

2. *Verania Pisonis*) subaudi *vxor*. Tacit. Hist. I. c. 47. n. 3.

3. *componit vultum*) in grauitatem & meditationem.

4. *Habes climactericum tempus*) Censorinus de Die Nat. c. 14. *Per omnem vitam septimum quemque annum periculosum & velut κρίσιμον esse, & κλιμακτηρικὸν vocari*, Et Gellius III. cap. 10. *Pericula vitae fortunarumque hominum, quae climacteras Chaldaei adpellant*. Latius de his annis P. Cunaeus oratione 5. differit.

lique-

liqueat, aruſpicem conſulam, quem ſum frequenter expertus. Nec mora: ſacrificium facit, adfirmat, exta cum ſiderum ſignificatione congruere. Illa, vt in periculo credula, peſcit codicillos: legatum Regulo ſcribit, mox ingraueſcit; clamat moriens, O hominem nequam, perfidum, ac plus etiam quam periurum! qui ſibi per ſalutem filii peieraſſet. Facit hoc Regulus non minus ſcelerate quam frequenter, quod iram deorum, quos ipſe quotidie fallit, in caput infelicis pueri deteſtatur. Velleius Blaeſus, ille locuples conſularis, nouiſſima valetudine conflictabatur: cupiebat mutare teſtamentum. Regulus, qui ſperaret aliquid ex nouis tabulis, quia nuper captare eum coeperat, medicos hortatur, rogare, quoquo modo ſpiritum homini prorogarent. Poſtquam ſignatum eſt teſtamentum, mutat perſonam, vertit alloquutionem, iisdemque medicis, Quousque miſerum cruciatis? quid inuidetis bonam mortem, cui dare vitam non poteſtis? Moritur Blaeſus: &, tamquam omnia audiſſet, Regulo ne tantulum quidem. Sufficiunt duae fabulae. An ſcholaſtica lege tertiam poſcis? eſt vnde fiat,

5 6 7 8 9

5. *per ſalutem filii peieraſſet*) periurium feciſſet, iurando per ſalutem filii ſui, Veraniam connaliturum. *Catan.*

6. *deteſtatur*) in teſtimonium ſuae fallaciae prouocat iram in caput filii. *Herz.*

7. *nouis tabulis*) nouo ſeu mutato teſtamento.

captare) per illecebras aliasue artes aliquid venari ſeu petere. *Freinsh. Ind. Flori.*

8. *bonam mortem*) facilem & placidum exitum.

9. *ſcholaſtica lege*) quod forſan vſu ſcholarum re-

10 Aurelia, ornata femina, signatura testamentum, sumserat pulcerrimas tunicas: Regulus quum venisset ad signandum, Rogo, inquit, has mihi leges. Aurelia ludere hominem putabat; ille 11 serio instabat. Nec multa: coegit mulierem aperire tabulas, ac sibi tunicas, quas erat induta, legare: obseruauit scribentem, inspexit an scripsisset. Et Aurelia quidem viuit; ille tamen istud tamquam morituram coegit. & hic heredi- 12 tates, hic legata, quasi mereatur, accipit. Ἀλλὰ τί διατείνομαι in ea ciuitate, in qua iampridem non minora praemia, immo maiora, nequitia & 13 improbitas, quam pudor & virtus habent? Adspice Regulum, qui ex paupere & tenui ad tantas opes per flagitia processit, vt ipse mihi dixerit, quum consuleret, quam cito sestertium sexcenties impleturus esset, inueniisse exta duplicata, quibus portendi, millies & ducenties habiturum.

---

ceptum fuit, vt vnus tres fabulas aut controuersias daret, siue magister ad elaborandum, siue discipulus, quem ordo tangebat, elaboratas, tamquam specimen ingenii atque industriae.

10. *Aurelia*) Catanaeus intelligit, de qua Iuuenalis Sat. 5. v. 98. vbi interpretes adi.

12. Ἀλλὰ τί διατείνομαι) Sed quid efficere contendo in ea ciuitate &c. *Steph.*

13. *exta duplicata*) Plinius auunculus H. N. lib. XI. c. 37 (Hard. sect. 73.) *Diuo*, inquit, *Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suae die sex victimarum iecinora replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt: responsumque duplicaturum intra annum imperium.* Adde aliud huius superstitionis exemplum apud Ammianum lib. XXII. meunte, & ibi Lindenbrogium.

Et

Et habebit, si modo, vt coepit, aliena testamenta, quod est improbissimum genus falsi, ipsis, quorum sunt illa, dictauerit. Vale. 14

LIBER III.

I.

C. PLINIVS CALVISIO SVO S.

Spurinnae vitam laudat, sibique simile aliquando otium contingat, precatur.

Nescio, an vllum iucundius tempus exegerim, quam quo nuper apud Spurinnam fui; adeo quidem, vt neminem magis in senectute (si modo senescere datum est) aemulari velim: nihil est enim illo vitae genere distinctius. Me autem 2
vt certus siderum cursus, ita vita hominum disposita delectat, senum praesertim. Nam iuuenes adhuc confusa quaedam & quasi, turbata non indecent: senibus placida omnia & ordinata conueniunt, quibus industria sera, turpis ambitio est. Hanc regulam Spurinna constantissime 3
seruat; quin etiam parua haec, (parua si non quotidie fiant) ordine quodam & velut orbe circumagit. Mane lectulo continetur: hora 4
secunda calceos poscit: ambulat millia passuum tria: nec minus animum quam corpus exercet.

Epist. I. 1. *apud Spurinnam*) Vestricium Spurinnam, de quo l. II. ep. 7. pr. dictum est. Scribitur & *Vespricius*.

distinctius) ordinatius. Mox enim, *placida omnia & ordinata*.

2. *industria sera*) Negotia virili aetati conueniunt, otium senectuti. Serum itaque & supra aetatem est, quum senes ciuilibus negotiis implicantur.

Si adsunt amici, honestissimi sermones explicantur: si non, liber legitur: interdum etiam praesentibus amicis, si tamen illi non grauantur.
5 Deinde considet, & liber rursus, aut sermo libro potior: mox vehiculum adscendit: adsumit vxorem singularis exempli, vel aliquem amico-
6 rum, vt me proxime. Quam pulcrum illud, quum dulce secretum! quantum ibi antiquitatis! quae facta, quos viros audias, quibus praeceptis imbuare! quamuis ille hoc temperamentum modestiae suae indixerit, ne praecipere videatur.
7 Peractis septem millibus passuum, iterum ambulat mille, iterum residet, vel se cubiculo ac stilo reddit. Scribit enim, & quidem vtraque lingua, lyrica doctissime. Mira illis dulcedo, mira suauitas, mira hilaritas: cuius gratiam cumulat sanctitas scribentis. Vbi hora balinei nuntiata est,
8 (est autem hieme nona, aestate octaua) in sole, si caret vento, ambulat nudus. Deinde mouetur pila vehementer & diu. nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum senectute. Lotus accubat, & paullisper cibum differt: interim

---

6. *illud secretum*) in vehiculo & via, quum quis cum solo Spurinna est.

antiquitatis) moris antiqui, vel sermonis de rebus antiquis

7. *Scribit lyrica doctissime*) Barthius huius putat fragmenta Odarum esse, quae ipse Aduers. XIV, 5. exponit.

8. *pugnat cum senectute*) Modica corporis exercitatio, vt pila sit, conseruandae valetudini omnis aetatis idonea. Vid. Mercurial. de Gymnast. lib. V. cap. 4. De

audit

audit legentem remissius aliquid & dulcius. Per hoc omne tempus liberum est amicis vel eadem agere, vel alia, si malint. Apponitur coena non 9
minus nitida quam frugi, in argento puro & antiquo. Sunt in vsu & Corinthia, quibus delectatur, nec adficitur. Frequenter comoedis coena distinguitur, vt voluptates quoque studiis condiantur. Sumit aliquid de nocte, & aestate. Nemini hoc longum est; tanta comitate conuiuium trahitur. Inde illi post septimum & se- 10
ptuagesimum annum aurium oculorumque vigor integer; inde agile & viuidum corpus, solaque ex senectute prudentia. Hanc ego vitam 11
voto & cogitatione praesumo, ingressurus auidissime, vt primum ratio aetatis receptui canere

---

senectute Cicero in Catone cap. 11. *Pugnandum tamquam contra morbum, sic contra senectutem. Habenda ratio valetudinis: utendum exercitationibus modicis.*

9. *Corinthia*) aeris Corinthii vasa Lege & 6. epist. huius libri de praestantia aeris Corinthii.

nec adficitur) Ita recentiores ediderunt: veteres, & *adficitur*, quod dissolutius est post verbum *delectatur*, quam pro presso stilo Plinii. Si alterum se recte habet, modicam voluptatem *delectandi* verbo, nimiam, *adficiendi* significauit.

comoedis coena) Vide lib. I. epist. 15.

& *aestate*) etiam in aestate.

10. *sola ex senectute prudentia*) nihil senile in ipso obserues praeter prudentiam.

11. *receptui canere*) Ex bello verbum, quum milites a pugna & persequutione hostium reuocantur. Cicero XIII. Philipp. c. 7. *Receptui signum aut reuocationem a bello audire non possumus.* Nostro, per translationem, est inhibere negotiorum cursum, & ad quietem se conferre.

permiserit. Interim mille laboribus conteror, quorum mihi & solatium & exemplum est idem Spurinna. Nam ille quoque, quoad honestum fuit, obiit officia, gessit magistratus, prouincias
12 rexit: multoque labore hoc otium meruit. Igitur eumdem mihi cursum, eumdem terminum statuo: idque iam nunc apud te subsigno: vt si me longius euehi videris, in ius voces ad hanc epistolam meam, & quiescere iubeas, quum inertiae crimen effugero. Vale.

II.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Arrianum commendat Maximo.

Quod ipse amicis tuis obtulissem, si mihi eadem materia suppeteret; id nunc iure vi-
2 deor a te meis petiturus. Arrianus Maturius Altinatium est princeps. quum dico princeps, non de facultatibus loquor, quae illi large supersunt: sed de castitate, iustitia, grauitate, pruden-
3 tia. Huius ego consilio, in negotiis; iudicio,

---

12. *subsigno*) vt datae fidei eo certior habeatur ratio. *Herz.*

quum inertiae crimen effugero) quum id aetatis per labores exegero, vt honeste me possim ad quietem conferre. Qui vero ante senectutem se laboribus & rei publicae subducunt; inertiae crimen vix possunt effugere. Adde lib. IV. epist. 23. extr.

Epist. II. 2. *Arrianus Maturius*) An is, ad quem lib. I. ep. 2. data est? Videtur Catanaeo.

Altinatium) Altinum Venetiae oppidum, ad Silis fluuii ostium. *Plin. H. N lib. III c. 18.*

castitate) integritate. Cicero pro Lege Man. cap. 3. *caste integreque versatus.*

in

in ſtudiis, vtor. nam plurimum fide, plurimum veritate, plurimum intelligentia praeſtat. Amat me (nihil poſſum ardentius dicere) vt tu. Caret ambitu: ideo ſe in equeſtri gradu tenuit, quum facile poſſet adſcendere altiſſimum. mihi tamen ornandus excolendusque eſt. Itaque magni aeſtimo, dignitati eius aliquid adſtruere, inopinantis, neſcientis, immo etiam fortaſſe nolentis: adſtruere autem, quod ſit ſplendidum, nec moleſtum. cuius generis, quae prima occaſio tibi, conferas in eum, rogo; habebis me, habebis ipſum gratiſſimum debitorem. Quamuis enim iſta non appetat, tam grate tamen excipit, quam ſi concupiſcat. Vale.

4

5

6

III.

C. PLINIVS CORELLIAE HISPVLLAE S.

Corelliae conſulit de filii ſtudiis inſtituendis, ideam boni magiſtri in Iulio Genitore praeſcribens.

Quum patrem tuum, grauiſſimum & ſanctiſſimum virum, ſuſpexerim magis an amauerim, dubitem: teque in memoriam eius, & in honorem tuum, vnice diligam; cupiam neceſſe

4. *ambitu*) vitio, quo nimia honoris cupido proditur. *Herz.*

adſcendere altiſſimum) gradum ſenatorium.

5 *adſtruere*] ſuperaddere dignitatem alicuius muneris, equite Rom. non indigni, nec vero moleſti.

6. *conferas in eum*. Ergo ſumma dignitate oportuit hunc Maximum (Catanaeo Gauium Maximum) fuiſſe, vt honores conferre paene in arbitrio eius fuerit.

Epiſt. III. 1 *Quum patrem tuum*) Corellium Rufum lib. I. ep. 12. laudatum.

eſt,

est, (atque etiam, quantum in me fuerit, enitar) vt filius tuus auo similis exsistat, equidem malo
2 materno: quamquam illi paternus etiam clarus spectatusque contigerit: pater quoque & patruus illustri laude conspicui. quibus omnibus ita demum similis adolescet, si imbutus honestis artibus fuerit, quas plurimum refert, a quo po-
3 tissimum accipiat. Adhuc illum pueritiae ratio intra contubernium tuum tenuit, praeceptores domi habuit, vbi est vel erroribus modica vel etiam nulla materia. Iam studia eius extra limen proferenda sunt, iam circumspiciendus rhetor Latinus, cuius scholae severitas, pudor in primis,
4 castitas, constet. Adest enim adolescenti nostro cum ceteris naturae fortunaeque dotibus, eximia corporis pulcritudo: cui in hoc lubrico aetatis

---

2. *quas refert*) ad quas imbuendas plurimum confert. *Herz.*

3. *pueritiae ratio intra contubernium tuum tenuit*) quod Tacitus dixit, *in sua indulgentiaque matris educari*, Agric. c. 4. Nostri verba Tullianis pro Ligar. c. 10. similia; *dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum.*

pudor in primis, castitas) morum sanctitas & pudicitia, vt nihil turpe videant, audiant adolescentes: etiam nihil obscoeni ex fabulis aut aliis proterue scriptis proponatur.

4. *in hoc lubrico aetatis*) in lubrica adolescentia. *Lubricum aetatis*, elegantissima necessitas Latine loquendi, quam exemplis pluribus Curae nostrae Poster. c. 10 illustrant. Deest enim Latinis a *Lubricus* substantiuum nomen, quum *lubricitas* suspectae auctoritatis sit.

non

non praeceptor modo, sed custos etiam rectorque quaerendus est. Videor ego demonstrare tibi posse Iulium Genitorem. amatur a me: iudicio tamen meo non obstat caritas hominis, quae ex iudicio nata est. Vir est emendatus & gravis: paullo etiam horridior & durior, vt in hac licentia temporum. Quantum eloquentia valeat, pluribus credere potes: nam dicendi facultas aperta & expositа statim cernitur. Vita hominum altos recessus magnasque latebras habet; cuius pro Genitore me sponsorem accipe. Nihil ex hoc viro filius tuus audiet, nisi profuturum: nihil discet, quod nescisse rectius fuerit. Nec minus saepe ab illo, quam a te meque admonebitur, quibus imaginibus oneretur, quae nomina & quanta sustineat. Proinde, fauentibus diis, trade eum praeceptori, a quo mores primum,

5 6 7 8

5. *vt in hac licentia temporum*) si spectes nostrorum temporum licentiam. Hoc enim *Vt* aliquando significat. Cic. l. XII. fam. ep. 2. *Quod scribis te confidere, auctoritate & eloquentia nostra aliquid profici posse; non nihil, vt in tantis malis, est profectum.*

6. *altos recessus*) est occupatio: vita, *potuisset obiici*, illiusque vitia possunt dissimulari, & sic iudicio suo potest Plinius falli. Sed huic dubio occurritur, dum Plinius pro genitore se sponsorem offert. *Herz.*

7. *quibus imaginibus oneretur*) quam praeclaros maiores habeat, quorum imagines nobilitatis testes erant, Seneca ep. 44. *atrium plenum fumosis imaginibus*, quod antiqui generis signum est. Adde lib. V. ep. 17. extr. Hae in funeribus nobilium praeferebantur. Horat. epod. 8. *funus atque imagines.*

Ducant triumphales tuum.

Vide etiam Silium lib. X. v. 568

mox

mox eloquentiam discat, quae male sine moribus discitur. Vale

IV.

C. PLINIVS MACRINO SVO S.

Caussas exponit, cur aduocationem pro Baeticis contra proconsulem Classicum susceperit: & post factum consulit, an recte fecerit.

Quamuis & amici, quos praesentes habebam, & sermones hominum factum meum comprobasse videantur, magni tamen aestimo scire,
2 quid sentias tu. Nam cuius integra re consilium exquirere optassem; huius etiam peracta iudicium nosse, mire concupisco. Quum publicum opus mea pecunia inchoaturus in Tuscos excurrissem, accepto, vt praefectus aerarii, commeatu; legati prouinciae Baeticae, questuri de proconsulatu Caecilii Classici, aduocatum me a
3 senatu petierunt. Collegae optimi, meique amantissimi, de communis officii necessitatibus

---

Epist. IV. 2. *huius etiam peracta*) huius iudicium etiam re peracta nec adhuc, integra, nosse concupisco.

publicum opus) templum in Tiferno Tiberino, Lib. IV. epist. 1.

in Tuscos) Villam ad Apennini radices, quam copiose describit lib. V. epist. 6.

accepto commeatu) impetrata a Caesare venia, sine qua magistratui non licebat ab vrbe abesse.

Caecilii Classici) de cuius prauitate & iniustitia ep. 9. huius libri.

3. *Collegae optimi*) qui praefecti mecum erant aerario. Augustus enim aerario militari, cuius ipse auctor fuerat, tres consulares viros praefecit. *Dio lib. LV. p. 566.*

prae-

praeloquuti, excusare me & eximere tentarunt. Factum est SC. perquam honorificum, vt darer prouincialibus patronus, si ab ipso me impetrassent. Legati rursus inducti, iterum me iam praesentem postulauerunt aduocatum: implorantes fidem meam, quam essent contra Massam Baebium experti: adlegantes patrocinii foedus. Sequuta est clarissima senatus adsensio, quae solet decreta praecurrere. Tum ego; Desino, inquam, P. C. putare, me iustas excusationis caussas attulisse. Placuit & modestia sermonis & ratio. Compulit autem me ad hoc consilium non solum consensus senatus, (quamquam hic maxime) verum etiam alii quidam minores, sed tamen numeri. Veniebat in mentem, priores nostros, etiam singulorum hospitum iniurias accusationibus voluntariis exsecutos, quo deformius arbitrabar publici hospitii iura negligere. Praeterea, quum recordarer, quanta pro iisdem Baeticis priore aduocatione etiam pericula subiissem, conseruandum veteris officii meritum nouo videbatur. Est enim ita (natura) com-

4

5

6

4. *rursus inducti*) in senatum. Vide lib. II. ep. 11. n. 8. *contra Massam Baebium*) de quo lib. VII. ep. 33. pluribus.

foedus) quum scilicet ipsi iidem essent, quibus adfuissem contra Massam. *Herz.*

5. *quidam minores, sed tamen numeri*) minores calculi, rationes. Metaphora. Alii *quidam minoris*, quod Gruterus ex Palatino correxit.

priores) maiores.

6. *natura comparatum*) Modius addidit illud para-

paratum, vt antiquiora beneficia subuertas, nisi illa posterioribus cumules. nam quamlibet saepe obligati, si quid vnum neges, hoc solum memi-
7 nerunt, quod negatum est. Ducebar etiam, quod decesserat Classicus, amotumque erat, quod in eiusmodi caussis solet esse tristissimum, periculum senatoris. Videbam ergo, aduocationi meae non minorem gratiam, quam si viueret ille, pro-
8 positam; inuidiam nullam. In summa, computabam, si munere hoc, iam tertio fungerer, faciliorem mihi excusationem fore, si quis incidisset, quem non deberem accusare. Nam quum est omnium officiorum finis aliquis, tum optime
9 libertati venia obsequio praeparatur. Audisti consilii mei motus, superest alterutra ex parte iudicium tuum: in quo mihi aeque iucunda erit simplicitas dissentientis, quam comprobantis auctoritas. Vale.

---

natura ex MS. & Sichardus: tollit Gruterus ex Palatino & antique impressis.

7. *decesserat Classicus*) fortuita, an voluntaria morte, incertum erat. Vide epist. 9. huius libri.

gratiam) dum afflictis succurrerem. *Herz.*

8. *iam tertio fungerer*) Distribuit ipse noster lib. VI. ep. 29. n 8. bis pro Baeticis, contra Baebium Massam; iterum contra Caecilium Classicum: semel pro Africanis contra Marium Priscam, lib. II. ep. 11. *Cellar.* Innuit simul Plinius his verbis: tribus vicibus solitos fuisse antiquos, aduocationem praestare. *Herz.*

V.

V.

C. PLINIVS MACRO SVO S.

Macro petenti auunculi sui libros recenset; & industriam laudat.

Pergratum est mihi, quod tam diligenter libros auunculi mei lectitas, vt habere omnes velis, quaerasque qui sint omnes. Fungar indicis partibus: atque etiam quo sint ordine scripti, notum tibi faciam: est enim haec quoque studiosis non inuicunda cognitio. De iaculatione 2
equestri vnus: hunc, quum praefectus alae militaret, pari ingenio curaque composuit. De vita Pomponii Secundi duo, a quo singulariter amatus, hoc memoriae amici, quasi debitum munus, exsoluit. Bellorum Germaniae viginti, 3
quibus omnia, quae cum Germanis gessimus bella, collegit. Inchoauit, quum in Germania militaret, somnio monitus. Adstitit enim quie-

---

Epist. V. 3. *De iaculatione equestri*) Huius libri ipse auunculus meminit Nat. Hist. lib. VIII. c. 42. sect. 65.

De vita Pomponii Secundi) Maior Plinius lib. XIV. c. 4 sub fin. *nobili exemplo docuimus, referentes vitam Pomponii Secundi vatis.* Idem lib. VII. c. 19. *consularem poetam* vocat. Quintilianus I. X. c. 1. de tragicis poetis, *Eorum*, inquit, *quos viderim, longe princeps Pomponius Secundus, quem senes parum tragicum putabant, eruditione ac nitore praestare confitebantur.* Vide & Tacit. Annal. lib. V. c. 8 extr. & adde Ryckium ad Tacit. I. XII. c. 27. n. 3.

4. *Bellorum Germaniae*) Etiam hi libri, magno rerum nostrarum damno, interierunt, qui si superessent, multum lucis ad notitiam veteris Germaniae conferre possent. Laudat illos Tacitus Annal. lib. I. c. 69.

scenti

scenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniae la-
tissime victor ibi periit: commendabat memo-
riam sui, orabatque, vt se ab iniuria obliuionis
5 adsereret. Studiosi tres, in sex volumina pro-
pter amplitudinem diuisi: quibus oratorem ab
incunabulis instituit & perfecit. Dubii sermo-
nis octo scripsit, sub Nerone nouissimis annis,
quum omne studiorum genus paullo liberius &
6 erectius, periculosum seruitus feciſſet. A fine
Aufidii Bassi triginta vnus. Naturae historia-
rum triginta septem: opus diffusum, eruditum,
7 nec minus varium quam ipsa natura. Miraris,
quod tot volumina, multaque in his tam scrupu-
losa, homo occupatus absoluerit? magis mira-
beris, si scieris, illum aliquamdiu causſas acti-

---

5. *Studiosi tres*) Oratorias institutiones libros *Studiosos* appellauit Plinius, quia plurimum *studii* ad eloquentiam requiritur. Mentio illorum etiam apud Gellium est lib. IX. cap. vlt.

Dubii sermonis) Opus grammaticum, ideo saepius laudatum ab antiquis, quos habemus, Grammaticis. Sosipater Charisius lib. I. p. 59. *Plinius Dubii sermonis libro secundo &c.*

6. *A fine Aufidii Bassi*) Maior Plinius in Praefatione ad Titum Caesarem: *Nos quid in omnes, patrem, te, fratremque diximus opere iusto, temporum nostrorum historiam a fine Aufidii Bassi.* Hoc est: vbi desiit Bassus, scriptor sub Tiberio, coepit Plinius Veronensis. Adde Senec. Suasor. VI. & Quintilian. lib. X. c. 1.

Naturae historiarum) Opus hoc solum ex numerosis scriptis seruatum, ceteris cunctis iniuria temporum amissis.

7. *scrupulosa*) dubia, controuersa, quae multum temporis ad explicandum postulant.

tasse;

taſſe; deceſſiſſe anno ſexto & quinquageſimo: medium tempus diſtentum impeditumque, qua officiis maximis, qua amicitia principum egiſſe. Sed erat acre ingenium, incredibile ſtudium, 8
ſumma vigilantia. Lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non auſpicandi cauſſa, ſed ſtudendi, ſtatim a nocte multa: hieme vero, ab hora ſeptima, vel quum tardiſſime, octaua, ſaepe ſexta. Erat ſane ſomni parciſſimi: nonnunquam etiam inter ſtudia inſtantis & deſerentis. Ante lucem 9
ibat ad Veſpaſianum imperatorem: nam ille quoque noctibus vtebatur: inde ad delegatum ſibi officium; reuerſus domum, quod reliquum erat temporis, ſtudiis reddebat. Poſt cibum 10
ſaepe (quem interdiu leuem & facilem, veterum more, ſumebat) aeſtate, ſi quid otii, iacebat in ſole: liber legebatur: adnotabat excerpebatque.

8. *Vulcanalibus*) Columella XI. c. 3. *Auguſto* (menſe) *circa Vulcanalia tertia ſatio eſt.* Vetus calendarium, ab Manutio ex marmore deſcriptum, ad d. X. Calend. Septemb. habet VOLC. quae haud dubie Volcanalia ſunt.

non auſpicandi cauſſa) Plures quidem de menſe Auguſto Vulcanalibus antelucanam lucubrationem incipiebant, ſed auſpicandi cauſſa, poſtea omittebant ad finem fere autumni: quemadmodum Calendis Ianuariis ſua opera leuiter attingebant auſpicii cauſſa, quae in aliud tempus pleraque differebantur. Plinius autem cum ipſis auſpiciis ſtudia acerrime continuabat. Vid. Muret. Var. Lect. XVIII, 13.

inſtantis & deſerentis) Somnus inter ſtudia interdum inſtabat vrgebatque fatigatum: ſed quod is nollet cedere intentus lectioni, deſerebat illum & euanuit.

Nihil

Nihil enim legit, quod non excerperet. Dicere etiam solebat: NVLLVM ESSE LIBRVM TAM MALVM, VT NON ALIQVA PARTE
11 PRODESSET. Post solem plerumque frigida lauabatur, deinde gustabat: dormiebatque minimum. Mox, quasi alio die, studebat in coenae tempus: super hanc liber legebatur; adnotaba-
12 tur, & quidem cursim. Memini quemdam ex amicis, quum lector quaedam perperam pronuntiasset, reuocasse & repeti coegisse, huic adunculum meum dixisse, intellexeras nempe? quum ille adnuisset, Cur ergo reuocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus. Tanta
13 erat parcimonia temporis. Surgebat aestate a coena, luce: hieme, intra primam noctis: &, tamquam aliqua lege cogente, haec inter medios
14 labores vrbisque fremitum. In secessu solum balinei tempus studiis eximebatur. quum dico balinei, de interioribus loquor. Nam dum destringitur tergiturque, audiebat aliquid aut di-

11. *super hanc liber legebatur*) inter coenam. Sic Curtius lib. VIII c. 4. extr. *super vinum & epulas socerum ex deditis esse electum*. De anagnosta etiam l. 1. epist. 15. n. 2. & Nepos Attico c. 13. seq.

14. *interioribus*) sc. lauationibus.

destringitur) defricatur, quod linteis fiebat: interdum strigili ad hoc aptata. Vtrumque docet Martialis lib. XIV. epigr. 51.

Pergamus has misit, curuo destringere ferro.
Non tam saepe teret lintea fullo tibi.

Vbi *destringere* imperandi modo & passiue poeta dixit. Vulgo *distringitur* legunt: sed Aldus & Sichardus *destringitur* in Plinio, quod & de Martialis melioribus libris notandum.

ctabat. In itinere, quasi solutus ceteris curis, huic vni vacabat. Ad latus notarius cum libro & pugillaribus, cuius manus hieme manicis muniebantur, vt ne coeli quidem asperitas vllum studii tempus eriperet: qua ex caussa Romae quoque sella vehebatur. Repeto, me correptum ab eo, cur ambularem, Poteras, inquit, has horas non perdere. Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impertiretur. Hac intentione tot ista volumina peregit, Electorumque commentarios centum sexaginta mihi reliquit, opisthographos quidem & minutissimis scriptos, qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipse, potuisse se, quum procuraret in

15. *vni*) studendi negotio.

sella vehebatur) Sella & Lectica nonnihil differebant, quod illa ad sedendum, haec ad iacendum aptior erat: ceteroquin vtriusque idem vsus. Suetonio dicitur *sella gestatoria*, Ner. c. 26. Vitell. c. 16. Adi Lipsium Elect. I, 19.

16. *repeto*) Recordor, reminiscor: quod Ciceroni est *memoria repetere*, ineunte lib. I. de Oratore. Adde nostrum lib. VII. epist. 6. n. 7.

17. *intentione*) vi. Sicut ipse Plinius explicat lib. IV. ep. 7. n. 3. *Herz.*

Electorum) Excerptorum, quae *Aduersaria* dicimus, eadem eorum, quae legimus, congestionem.

opisthographos) a tergo etiam scriptos. Raro autem veteres in aduersa charta scribebant: nisi in palimpsestis ac deleticiis, aut quando ita excipiebant, vt ornatius postea describerent, redigerentque in ordinem. Vide Sauaronem ad Sidon. lib. II. epist. 9.

quum procuraret) procurator Caesaris esset. Huius vero officium erat, vt de controuersiis pecuniariis, quae inter fiscum & priuatos mouebantur, cognosceret. Vid. Brissonii select. iuris antiq. lib. III. c. 18. *Herz.*

Hiſpania, vendere hos commentarios Largio Licinio, quadringentis millibus nummum: &
18 tunc aliquanto pauciores erant. Nonne videtur tibi, recordanti quantum legerit, quantum ſcripſerit, nec in officiis vllis, nec in amicitia principum fuiſſe? rurſus, quum audis, quid officiorum ſtudiis laboris impenderit, nec ſcripſiſſe ſatis nec legiſſe? Quid eſt enim, quod non aut illae occupationes impedire, aut haec inſtantia
19 non poſſit efficere? Itaque ſoleo ridere, quum me quidam ſtudioſum vocant: qui, ſi comparer illi, ſum deſidioſiſſimus: ego autem tantum, quantum partim publica, partim amicorum officia non diſtringunt, vaco. Quis ex iſtis, qui tota vita litteris adſident, collatus illi, non quaſi
20 ſomno & inertiae deditus erubeſcat? Extendi epiſtolam quamuis hoc ſolum quod requirebas, ſcribere deſtinaſſem, quos libros reliquiſſet. Confido tamen, haec quoque tibi non minus grata, quam ipſos libros futura: quae te non tantum ad legendos eos, verum etiam ad ſimile aliquid elaborandum, poſſunt aemulationis ſtimulis excitare. Vale.

VI.

C. PLINIVS SEVERO SVO S.

Statuam Corinthii aeris in templo patriae poſiturus, rogat, vt baſis ex marmore paretur.

Ex hereditate, quae mihi obuenit, emi proxime Corinthium ſignum, modicum qui-

18. *haec inſtantia*) vrgens diligentia, ſtudiorum aſſiduitas.

Epiſt. VI. 1. *Corinthium*) ex aere Corinthiaco, quod dem,

dem, sed festiuum & expressum, quantum ego sapio: qui fortasse in omni re, in hac certe perquam exiguum sapio: hoc tamen signum ego quoque intelligo. Est enim nudum, nec aut 2
vitia, si qua sunt, celat: aut laudes parum ostentat. Effingit senem stantem: ossa, musculi, nerui, venae, rugae etiam vt spirantis apparent: rari & cedentes capilli, lata frons, contracta facies, exile collum: pendent lacerti, papillae iacent, recessit venter. A tergo quoque eadem 3
aetas, vt a tergo. aes ipsum, quantum verus color indicat, vetus & antiquum. talia denique omnia, vt possint artificum etiam oculos tenere, delectare imperitorum. Quod me, quamquam 4
tirunculum, sollicitauit ad emendum. Emi autem, non vt haberem domi, (neque enim vllum adhuc Corinthium domi habeo) verum vt in patria nostra celebri loco ponerem, ac potissi-

---

pronatum erat in Corinthi incendio, in quo aeris, auri, argentique venae in commune fluxerant. Flor. lib. II. c. 17. *Herz.*

3. *vt a tergo*) Haec Barthius delenda censet, ex glossemate forsan nata. Gruterus retinet quidem, sed puncto a sequentibus distinguit. Si genuina sunt, possunt hunc sensum referre: quantum a tergo solet exprimi. In auersa enim parte, parieti adponenda, minus curae & studii adhibent, quam in aduersa, oculis omnium exposita.

verus color) Mauult Buchnerus *viridis*. Sed etiam *verus* bonum est, quia natiuus & genuinus color significatur.

4. *neque enim vllum Corinthium*) Hinc pretiositas Corinthii aeris intelligitur.

5 mum in Iouis templo. Videtur enim dignum templo, dignum deo donum. Tu ergo, vt soles omnia, quae a me tibi iniunguntur, suscipe hanc curam, & iam nunc iube basim fieri, ex quo voles marmore, quae nomen meum honoresque ca-
6 piat, si hos quoque putabis addendos. Ego signum ipsum, vt primum inuenero aliquem, qui non grauetur, mittam tibi: vel ipse, quod mauis, adferam mecum. Destino enim (si tamen
7 officii ratio permiserit) excurrere isto. Gaudes, quod me venturum esse polliceor: sed contrahes frontem, quum adiecero, ad paucos dies. Neque enim diutius abesse me sinunt eadem haec, quae nondum exire patiuntur. Vale.

VII.

C. PLINIVS CANINIO SVO S.

Silium Italicum, quem decessisse nuntiat, meritis laudibus ornat.

Modo nuntiatus est Silius Italicus in Neapolitano suo inedia vitam finisse. Caussa
2 mortis, valetudo. Erat illi natus insanabilis cla-

---

5. *nomen meum honoresque*) Dona diis dicata nomen dedicantis subscriptum tenebant. Vide Nepotis Pausaniam c. 1. *Honores* tituli sunt dignitatum, quas gerebat gesseratque Plinius.

Epist. VII 1. *in Neapolitano suo*) praedio, quo nouissime, suadentibus annis, ab vrbe discesserat, *infra num.* 6. *inedia vitam finisse*) vt supra Corellius lib. I. epist. 12. & Atticus apud Nepotem.

2. *insanabilis clauus*) Sunt claui in oculis, sunt in pedibus, sed in his maxime, callosa extuberatio. Lege Celsum V. c. 28. n. 14. & VII. c. 7. n. 12.

uus,

tuus, cuius taedio ad mortem irreuocabili constantia decucurrit: vsque ad supremum diem beatus & felix, nisi quod minorem e liberis duobus amisit, sed maiorem melioremque, florentem, atque etiam consularem reliquit. Laeserat famam suam sub Nerone; credebatur sponte accusasse: sed in Vitellii amicitia sapienter is & comiter gesserat: ex proconsulatu Asiae gloriam reportauerat: maculam veteris industriae laudabili otio abluerat. Fuit inter principes 4
ciuitatis sine potentia, sine inuidia. Salutabatur, colebatur, multumque in lectulo iacens, cubiculo semper, non ex fortuna frequenti. Doctissimis sermonibus dies transigebat, cum a scribendo vacaret, scribebat carmina priore cura quam ingenio, nonnunquam iudicia hominum recitationibus experiebatur. Nouiss. 6

decucurrit) Vide ad lib. VI. ep 6. n. 2. notata.

consularem) ad consulatum accipiendum idoneum.

3. *sponte accusasse*) ex odio, non iussus a Nerone, quamquam & iussus, non fuisset sine culpa, quia accusationes sub tyrannis fere omnes suspectae sunt.

maculam veteris industriae) in accusationibus intendendis.

4. *Salutabatur*) Mos erat Romanis, ut nobiliores ab amicis & clientibus matutino tempore, idque singulis ferme diebus, salutarentur. Seneca ep. 84: *Intuere illas potentium domos, illa tumultuosa, rixa salutantium, limina.* Adde Cicer. I. Catil. c. 4. extr. & quae ibi notauimus.

non ex fortuna frequenti) Cubiculum semper frequens (repletum) erat amicis & salutantibus, iisque veris & constantibus, non pendentibus ex fortuna,

me, ita suadentibus annis, ab vrbe secessit, seque
in Campania tenuit: ac ne aduentu quidem
7 noui principis inde commotus est. Magna Cae-
saris laus, sub quo hoc liberum fuit: magna
illius, qui hac libertate ausus vti. Erat φιλόκαλος
8 vsque ad emacitatis reprehensionem. Plures
iisdem in locis villas possidebat, adamatisque no-
uis, priores negligebat. Multum vbique libro-
rum, multum statuarum, multum imaginum,
quos non habebat modo, verum etiam venerabatur: Vergilii ante omnes, cuius natalem religiosius, quam suum, celebrabat; Neapoli maxime, vbi monimentum eius adire, vt templum, solebat. 9 In hac tranquillitate annum quintum & septuagesimum excessit, delicato magis corpore, quam infirmo. Vtque nouissimus a Nerone factus est consul, ita postremus ex omnibus, quos
10 Nero consules fecerat, decessit. Illud etiam no-

---

6. *suadentibus annis*) Vide huius libri epist. 1. n. 11. & 12. & lib. II. ep. 14. n. 14.

aduentu noui principis) Traiani ex Germanico bello ad rempublicam, defuncto Neruâ, accedentis.

7. *sub quo hoc liberum fuit*) quod sub tyrannis non licebat, apud quos laudi erat non venisse.

φιλόκαλος) cui contrarius lib. II. ep. 3. n. 8.

8 *Multum vbique librorum*) Martial. lib. VII. epigr. 17. *Ruris bibliotheca delicati*.

vbi monimentum eius) Neapoli repertum epitaphium breue ac concinnum: SISTITE VIATORES QVAESO PAVCA LEGITE HIC MARO SITVS EST. *Mabill. Muf. Ital. p.* 112.

vt templum) Sic idem sepulcrum Statius lib. IV. Silu. 4. n. 54. *Maroneum templum* vocauit, veneratione caussa.

tabile,

tabile, vltimus ex Neronianis consularibus obiit,
quo consule Nero periit. Quod me recordan-
tem, fragilitatis humanae miseratio subit. Quid 11
enim tam circumcisum, tam breue, quam homi-
nis vita longissima? An non videtur tibi Nero
modo fuisse, quum interim ex iis, qui sub illo ges-
serant consulatum, nemo iam supereſt? Quam- 12
quam quid hoc miror? nuper Lucius Piso, pater
Pisonis illius, qui a Valerio Festo per summum
facinus in Africa occisus est, dicere solebat; Ne-
minem se videre in senatu, quem consul ipse sen-
tentiam rogauisset. Tam angustis terminis tan- 13
tae multitudinis viuacitas ipsa concluditur: vt
mihi non venia solum dignae, verum etiam laude
videantur illae regiae lacrymae. Nam ferunt,
Xerxem, quum immensum exercitum oculis
obisset, illacrymasse, quod tot millibus tam
breuis immineret occasus. Sed tanto magis hoc, 14
quidquid est temporis, futilis & caduci, si non da-
tur factis, (nam horum materia in aliena manu)
certe studiis proferamus: & quatenus nobis de-

12. *quem Consul*) Solebant sc. consules, antequam fie-
ret senatus decretum, rogare reliquos senatores. Vid.
lib. IV. epist. 9. n. 16, 18.

13. *Nam ferunt Xerxem*) Herodotus l. VII c. 45. seq.
narrauit. Ex recentioribus repetiit post Plinium S. Hie-
ronymus Epitaphio Nepotiani, quae epistola tertia est,
sub finem. Val. Maximo lib. IX. cap. 13. n. 1. *speciem
alienam, reuera suam conditionem deplorasse* videtur.

14. *si non datur factis*) Cum hoc conferas, quae idem
lib. VI. epist. 16. n. 3. scripsit.

negatur diu viuere, relinquamus aliquid, quo nos
15 vixisse testemur. Scio te stimulis non egere; me tamen tui caritas euocat, vt currentem quoque instigem, sicut tu soles me. Ἀγαθὴ δ' ἔρις, quum inuicem se mutuis exhortationibus amici ad amorem immortalitatis exacuunt. Vale.

VIII.

C. PLINIVS TRANQVILLO SVO. S.

Tribunatum Suetonio impetratum, ipse petente, in alium se translaturum, significat.

Facis pro cetera reuerentia, quam mihi praestas, quod tam sollicite petis, vt tribunatum, quem a Neratio Marcello, clarissimo viro, impetraui tibi, in Caesennium Siluanum, propinquum tuum, transferam. Mihi autem sicut iucundissimum, ipsum te tribunum; ita non minus gratum, alium per te videre. Neque enim esse congruens arbitror, quem augere honoribus cupias, huic pietatis titulos inuidere, qui sunt omnibus honoribus pulcriores. Video etiam, quum sit egregium & mereri beneficia & dare, vtramque te laudem simul adsequuturum, si, quod ipse meruisti, aliis tribuas. praeterea, intelligo, mihi quoque gloriae fore, si ex hoc tuo

15. *currentem quoque instigem*) Vide I. I. ep. 8. n. 1.

Ἀγαθὴ δ' ἔρις) Hesiodi hemistichium v. 24. Oper. & Dier. quod Latine vertitur: *Bona est contentio* siue *aemulatio.*

Epist. VIII. 1. *tribunatum*) militarem.

2. *pietatis*) amoris in propinquum. Omnis enim adfectus erga consanguineos *pietas* est.

facto

facto non fuerit ignotum, amicos meos non gerere tantum tribunatus posse, verum etiam dare. Quare ego vero honestissimae voluntati tuae 4
pareo. Neque enim adhuc nomen in numeros relatum est: ideoque liberum est nobis Siluanum in locum tuum subdere: cui cupio tam gratum esse munus tuum, quam tibi meum est. Vale.

IX.

C. PLINIVS MINVTIANO SVO S.

Singulos actus & euentum accusationis Classici enarrat.

Possum iam perscribere tibi, quantum in publica prouinciae Baeticae caussa laboris exhauserim. Nam fuit multiplex, actaque est 2
saepius cum magna varietate. Vnde varietas? vnde plures actiones. Caecilius Classicus, homo foedus & aperte malus, proconsulatum in ea non minus violenter quam sordide gesserat, eodem anno, quo in Africa Marius Priscus. Erat 3
autem Priscus ex Baetica, ex Africa Classicus.

---

4. *Quare ego vero*) Rara compositio & forte Plinio propria, heic & l. IV. ep. 17. n. 11. constanter omnibus libris expressa, quam H. Stephanus in praef. cum *sed enim* comparauit, eique similem ex l. VII. ep. 8. extr. *quamquam tu vero*, attulit. Quidam *vere* malunt, & in his Barthius.

in numeros relatum) in numerum & matriculam tribunorum.

Epist. IX. 2. *vnde plures actiones*) Haec verba Casaubonus vult sine interrogatione legi, secus ac vulgo edita.

Caecilius Classicus) Vide libri huius ep. 4.

sordide gesserat) Supra l. II. ep. 12. n. 4. *damnatus sordium*, vbi notata vide.

Inde dictum Baeticorum (vt plerumque dolor etiam venustos facit) non illepidum ferebatur
4 DEDI MALVM, ET ACCEPI. Sed Marium vna ciuitas publice, multique priuati reum peregerunt; in Classicum tota prouincia incu-
5 buit. Ille accusationem vel fortuita vel voluntaria morte praeuertit, nam fuit mors eius infamis, ambigua tamen. Vt enim credibile videbatur, voluisse exire de vita, quum defendi non posset; ita mirum, pudorem damnationis morte fugisse, quem non puduisset damnata commit-
6 tere. Nihilominus Baetica etiam in defuncti accusatione perstabat. Prouisum hoc legibus, intermissum tamen, & post longam intercapedinem tunc reductum. Addiderunt Baetici, quod simul socios ministrosque Classici detulerunt: nominatimque in eos inquisitionem postulauerunt. Aderam Baeticis, mecumque Luceius
7 Albinus, vir in dicendo copiosus, ornatus: quem ego quum olim mutuo diligerem, & hac
8 officii societate amare ardentius coepi. Habet quidem gloria, in studiis praesertim, quiddam ἀκοινώνητον: nobis tamen nullum certamen,

3. *venustos*) facetos, iocosos. Seneca lib. I. Controuers. 2. sub fin. de Scauro Mamerco: *non tantum diserrissimus homo, sed venustissimus, qui nullius vnquam impunitam stultitiam transire passus est.* Idem de eodem praefat. lib. V. controu. *Nihil erat illo venustius, nihil paratius.*

6. *Baetica*) prouincia Hispaniae.

quod simul) Ita Grut. ex Palat. pro antea vulgato *quot.*

8. ἀκοινώνητον) insociabile, impatiens consortis.

nulla

nulla contentio: quum vterque pari iugo non pro se, sed pro caussa niteretur. Cuius & magnitudo & vtilitas visa est postulare, ne tantum oneris singulis actionibus subiremus. Verebamur, ne nos dies, ne vox, ne latera deficerent, si tot crimina, tot reos vno velut fasce complecteremur: deinde ne iudicum intentio multis nominibus multisque caussis non lassaretur modo, verum etiam confunderetur: mox ne gratia singulorum collata atque permista, pro singulis quoque vires omnium acciperet: postremo, ne potentissimi, vilissimo quoque quasi piaculari dato, alienis poenis elaberentur. Etenim tum maxime fauor & ambitio dominatur, quum sub aliqua specie seueritatis delitescere potest. Erat in consilio Sertorianum illud exemplum, qui robustissimum & infirmissimum militem iussit caudam equi: reliqua nosti. Nam nos quoque tam nume-

9

10

11

singulis actionibus) Plures actiones poterant in vna caussa esse.

9. *ne latera deficerent*) Vide lib. II. epist. 11. n. 15.

piaculari) qui exemplum poenae omnibus praeberet. Piaculares enim vocabantur, qui in publicis calamitatibus pro toto populo poenam subire cogebantur.

11 *Sertorianum illud*) Vide Valer. Max. lib. VII. c. 3. n. 6. Front. l. I. c. 10. strateg. 1. & Plut. in Sertor. p. 576.

caudam) sc. vellere.

reliqua nosti) Formula, qua in notissimis sententiis vel historiis supprimuntur verba quaedam, ne satietatem ac taedium pariant. Cic. pro Planc. c. 24. *Vigilandum est semper: multae insidiae sunt bonis:* cui versui subiicit, *nostis cetera.* Adde eumdem lib. XVI. epist. 22. ad Tironem.

rosum agmen reorum ita demum videbamus
2 posse superari, si per singulos carperetur. Placuit in primis ipsum Classicum ostendere nocentem: hic aptissimus ad socios eius & ministros transitus erat, quia socii ministrique probari, nisi illo nocente, non poterant. Ex quibus duos statim Classico iunximus; Baebium Probum, & Fabium Hispanum: vtrumque gratia,
13 Hispanum etiam facundia, validum. Et circa Classicum quidem brevis & expeditus labor. Sua manu reliquerat scriptum, quid ex quaque re, quid ex quaque caussa accepisset. Miserat etiam epistolas Romam ad amiculam quamdam, iactantes & glorioſas, his quidem verbis: IO IO, LIBER AD TE VENIO: IAM SESTERTIVM QVADRAGIES REDEGI, PARTE VENDITA
14 BAETICORVM. Circa Hispanum & Probum multum sudoris. Horum antequam crimina ingrederer, necessarium credidi elaborare, vt constaret, ministerium crimen esse. quod nisi effecis-
15 sem, frustra ministros probassem. Neque enim ita defendebantur, vt negarent, sed vt necessitati veniam precarentur: esse enim se prouinciales, & ad
16 omne proconsulum imperium metu cogi. Solet dicere Claudius Restitutus, qui mihi respondit,

12. *probari*) supple, nocentes esse. Vide n. 14.

13. *Io io,*) Vox ex triumpho, quasi nefarius peculator de Baeticis triumpharet.

14. *frustra ministros probassem*) scilicet male egisse, in culpa esse: vt n. 12.

16. *Claudius Restitutus*) ad quem epistola 17. lib. VI.

vir

vir exercitatus & vigilans, & quamlibet subitis paratus, nunquam sibi tantum caliginis, tantum perturbationis offusum, quam quum ea praerepta & extorta defensioni suae cerneret, in quibus omnem fiduciam reponebat. Consilii nostri exitus fuit: Bona Classici, quae habuisset ante prouinciam, placuit senatui a reliquis seperari; illa filiae, haec spoliatis relinqui. Additum est, vt pecuniae, quas creditoribus soluerat, reuocarentur. Hispanus & Probus in quinquennium relegati. Adeo graue visum est, quod initio dubitabatur, an omnino crimen esset. Post paucos dies Clauium Fuscum, Classici generum, & Stillonium Priscum, qui tribunus cohortis sub Classico fuerat, accusauimus, dispari euentu. Prisco in biennium Italia interdictum: absolutus est Fuscus. Actione tertia commodissimum putauimus plures congregare, ne, si longius esset extracta cognitio, satietate & taedio quodam iustitia cognoscentium seueritasque langueſceret: alioqui supererant minores rei, data opera hunc in locum reseruati: excepta tamen Classici vxore, quae sicut implicita suspicionibus, ita non satis conuinci probationibus visa est. Nam Classici filia (quae & ipsa inter reos

17 18 19 20

scripta est, cuiusque natalem Martialis lib. X. epigr. 87. celebrauit.

17. *ante prouinciam*) ante administrationem prouinciae, ante proconsulatum.

19. *Classici vxore*) Vxores etiam, maritos in prouinciam sequutae, si quid deliquissent, accusari poterant. Vide Leg. 4. Dig. de Officio proconſ. n. 2.

erat) ne suspicionibus quidem haerebat. Itaque quum ad nomen eius in extrema actione venissem (neque enim, vt initio, sic etiam in fine verendum erat, ne per hoc totius accusationis auctoritas minueretur) honestissimum credidi, non premere immerentem: idque ipsum dixi & libere
21 & varie. Nam modo legatos interrogabam, docuissentne me aliquid, quod reprobari posse confiderent: modo consilium a senatu petebam, putaretne debere me, si quam haberem in dicendo facultatem, in iugulum innocentis, quasi telum aliquod, intendere: postremo totum locum hoc fine concluſi, Dicet aliquis, Iudicas ergo? Ego vero non iudico: memini tamen me aduocatum
22 ex iudicibus datum. Hic numerosissimae causae terminus fuit, quibusdam absolutis, pluribus damnatis, atque etiam relegatis, aliis in tempus, aliis
23 in perpetuum. Eodem SC. industria, fides, constantia nostra plenissimo testimonio comprobata est: dignum solumque par pretium tanti laboris.
24 Concipere animo potes, quam simus fatigati, quibus toties agendum, toties altercandum, tam multi testes interrogandi, subleuandi, refutandi.
25 Iam illa quam ardua, quam molesta, tot reorum amicis secreto rogantibus negare, aduersantibus palam obsistere? Referam vnum aliquod ex iis, quae dixi. Quum mihi quidam e iudicibus ipsis pro reo gratiosissimo reclamarent, Non minus,

24. *subleuandi*) si se in testimonio perhibendo aliquam prae se ferunt imbecillitatem. *Herz.*

25. *non minus hic innocens*) Reclamatione turbaba-

in-

inquam, hic innocens erit, si ego omnia dixero. Coniectabis ex hoc, quantas contentiones, 26
quantas etiam offensas subierimus, dumtaxat ad
breue tempus. Nam fides in praesentia eos, qui-
bus resistit, offendit; deinde ab illis ipsis suspi-
citur laudaturque. Non potui magis te in rem
praesentem perducere. Dices, Non fuit tanti. 27
quid enim mihi cum tam longa epistola? Nolito
ergo idemtidem quaerere, quid Romae geratur:
& tamen memento esse non epistolam longam,
quae tot dies, tot cognitiones, tot denique reos
causasque complexa sit. Quae omnia videor 28
mihi non minus breuiter, quam diligenter, per-
sequutus. Temere dixi DILIGENTER: succurrit,
quod praeterieram, & quidem sero: sed,
quamquam praeposterе, reddetur. Facit hoc
Homerus, multique illius exemplo. Est alioqui
perdecorum; a me tamen non ideo fiet. Ex 29
testibus quidam, siue iratus, quod euocatus esset
inuitus, siue subornatus ab aliquo reorum, vt
accusationem exarmaret, Norbanum Licinia-
num, legatum & inquisitorem, reum postulauit,

---

tur Plinius, qui his verbis reclamanti respondet, sinat modo se ad finem dicere, quia si is innocens esset, pro quo reclamaret, talem quoque fore, quamuis omnia dixerit, & ad finem duxerit accusationem.

28. *Facit hoc Homerus*) Cicero lib. I. ad Atticum epist. 16. sub init. ὕστερον πρότερον, Ομηρικῶς.

29. *exarmaret*) debilitaret, infirmaret.

inquisitorem) si crimina reus negabat, tunc petebatur tempus ad inuestiganda crimina, itaque reuocabatur *inquisitio*. *Brisson. de form.* lib. V. p. 475. *Inquisitor*

tam-

tamquam in cauſſa Caſtae (vxor haec Claſſici)
30 praeuaricaretur. Eſt lege cautum, vt reus ante peragatur, tunc de praeuaricatore quaeratur, quia optime ex accuſatione ipſa accuſatoris fides
31 aeſtimatur. Norbano tamen non ordo legis, non legati nomen, non inquiſitionis officium praeſidio fuit: tanta conflagrauit inuidia homo alioqui flagitioſus, & Domitiani temporibus vſus, vt multi: electusque tunc a prouincia ad inquirendum, non tamquam bonus & fidelis, ſed tamquam Claſſici inimicus. Erat ab illo relega-
32 tus. Dari ſibi diem ad diluenda crimina poſtulauit. Neutrum impetrauit; coactus eſt ſtatim reſpondere: reſpondit: malum prauumque ingenium hominis facit, vt dubitem, confidenter
33 an conſtanter, certe parariſſime. Obiecta ſunt multa, quae magis, quam praeuaricatio, nocuerunt. Quin etiam duo conſulares, Pomponius

---

igitur, qui in accuſati crimina inquirebat: vide poſt paullo n. 31.

praeuaricaretur) in foro erat crimen, ſi aduocatus rei *tranſibat, dicenda*, ſi *curſim & breuiter* pro reo *dicebat, quae erant inculcanda, infigenda, & repetenda*, & ſic colludebat cum accuſatore. Sic ipſe Plinius lib. I. ep. 20. n. 2. *Herz.*

30. *vt reus ante peragatur*) accuſatio perficiatur. *Catan.*

31. *legati nomen*) non legatus proconſulis fuit Norbanus, ac adiutor regundae prouinciae, vt Romanis ſaepenumero *legatus* ſignificat: ſed legatus ſeu orator prouinciae, vt inquireret contra proconſulem Claſſicum.

Domitiani temporibus vſus) tamquam delator.

Erat ab illo relegatus) a Claſſico proconſule ex prouincia. Ergo Norbanus in Baetica ſedem habuit.

Rufus

Rufus & Libo Frugi, laeserunt eum testimonio, tamquam apud iudicem, sub Domitiano, Saluii Liberalis accusatoribus adfuisset: damnatus & in insulam relegatus est. Itaque quum Castam 34
accusarem, nihil magis pressi, quam quod accusator eius praeuaricationis crimine corruisset. Pressi tamen frustra. accidit enim res contraria & noua, vt, accusatore praeuaricationis damnato, rea absolueretur. Quaeris, quid nos 35
dum haec aguntur? Indicauimus senatui, ex Norbano didicisse nos publicam caussam, rursusque debere ex integro discere, si ille praeuaricator probaretur. Atque ita dum ille peragitur reus, sedimus: postea Norbanus omnibus diebus cognitionis interfuit: eamdemque vsque ad extremum vel constantiam vel audaciam pertulit. Interrogo ipse me, an aliquid omiserim rursus: 36
& rursus paene omisi. Summo die Saluius Liberalis reliquos legatos grauiter increpuit, tamquam non omnes, quos mandasset prouincia, reos peregissent, atque vt est vehemens & disertus, in discrimen adduxit. Protexi viros opti-

33. *accusatoribus adfuisset)* accusatores adiuuisset.
damnatus & in insulam) Norbanus: nisi aliquod vicus hoc loco latet.
34. *corruisset)* damnatus esset.
35. *ex integro discere)* ab alio informari de caussa prouincialium, ne & ipse praeuaricationis suspicionem incurram.
36. *omiserim rursus)* vt num. 28. Distinctio ab Casaubono est.
vehemens & disertus) De hoc Saluio aliquid Suetonius notauit in Vespas. cap. 13.

mos,

mos, eosdemque gratissimos: mihi certe debere se praedicant, quod illum turbinem euaserint.
37 Hic erit epistolae finis, re vera finis: litteram non addam; etiamsi adhuc aliquid praeteriisse me sensero. Vale.

X.

C. PLINIVS SPVRINNAE SVO, ET COCCIAE S.

Quae de Spurinnae filio composuerat, parentibus mittit legenda & emendanda.

Composuisse me quaedam de filio vestro, non dixi vobis, quum proxime apud vos fui: primum, quia non ideo scripseram, vt dicerem, sed vt meo amori, meo dolori satisfacerem; deinde, quia te, Spurinna, quum audisses recitasse me, (vt mihi ipse dixisti) quid recitassem, simul
2 audisse credebam. Praeterea veritus sum, ne vos festis diebus confunderem, si in memoriam grauissimi luctus reduxissem. Nunc quoque paullisper haesitaui, id solum, quod recitaui, mitterem exigentibus vobis, an adiicerem, quae in
3 aliud volumen cogito reseruare. Neque enim adfectibus meis vno libello carissimam mihi &

Epist. X. 1. *de filio vestro*) supra lib. II. ep. 7. laudato. *recitasse me*) subintellige *aliquid*.

2. *festis diebus confunderem*) turbarem & contristarem iis diebus, quibus tantum fausta & boni ominis dicenda & cogitanda sunt. Ouidius lib. I. Fast. v. 72.

Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

id solum) *num* supple: quam tamen particulam elegantissime omittit Plinius, & in secundo tantum membro vsurpat. Vid. in hac ipsa epistola exemplum aliud num. 4 it. ep. 19. n. 3.

3. *adfectibus*) amori.

san-

sanctissimam memoriam prosequi satis est: cuius famae latius consuletur, si dispensata & digesta fuerit. Verum haesitanti mihi, omnia, 4
quae iam composui, vobis exhiberem, an adhuc aliqua differrem; simplicius & amicius mihi visum est, omnia, praecipue quum adfirmetis, intra vos futura, donec placeat emittere. Quod 5
supereſt, rogo, vt pari simplicitate, si qua existimabitis addenda, commutanda, omittenda, indicetis. Mihi difficile est hucusque intendere 6
animum in dolore: difficile & vobis: sed tamen vt sculptorem, vt pictorem, qui filii vestri imaginem faceret, admoneretis, quid exprimere, quid emendare deberet; ita me quoque formate, regite, qui non fragilem & caducam, sed immortalem, vt vos putatis, effigiem conor efficere: quae hoc diuturnior erit, quo verior, melior, absolutior fuerit. Valete.

XI.

C. PLINIVS IVLIO GENITORI SVO S.

Gratus animus Artemidori, officium Plinii erga se praedicantis, vna cum aliis virtutibus laudatur.

Est omnino Artemidori nostri tam benigna natura, vt officia amicorum in maius extol-

dispensata & digesta) distributa diuersis libris.

4. *intra vos futura*) vobiscum solis. *Barth.*

6. *difficile & vobis*) Ex Modii membranis additum, *& vobis*: quod & Sich. expressit.

vt putaris) Hoc modestiae caussa interserit. Ipse enim libro suo non vult immortalitatem augurari ex suo iudicio, sed ex opinione aliorum.

Epist. XI. 1. *Artemidori*) Catanaeo is est, cuius Ovelço-

lat:

lat: inde etiam meum meritum, vt vera, ita
2 supra meritum praedicatione circumfert. Equidem quum essent philosophi ab vrbe submoti, fui apud illum in suburbano: & quo notabilius hoc periculosiusque esset, fui praetor. Pecuniam etiam, qua tunc illi ampliore opus erat, vt aes alienum exsolueret, contractum ex pulcerrimis caussis, mussantibus magnis quibusdam & locupletibus amicis, mutuatus ipse, gratuitam
3 dedi. Atque haec feci, quum septem amicis meis aut occisis aut relegatis, (occisis, Senecione, Rustico, Heluidio; relegatis, Maurico,

---

κριτικὰ habemus. Sed noster paullo maior videtur, quod ille sub Antonino scripsit, vt Vossius obseruat de Hist. Graec. lib. I. c. 22. p. 143.

2. *philosophi ab vrbe submoti*) edicto Domitiani. Sueton. cap. 10.

ex pulcerrimis caussis) quae haud dubie litterarum studia fuerunt.

mussantibus) dubitantibus. Virgil. Aen. l. XII. v. 657.

mussat rex ipse Latinus, Quos generos vocet.

Vbi Seruium consulas. *Cellar. mussantibus*) scilicet dum timebant, ne iacturam facerent. Artemidorum tamen monere verebantur. Mussare enim est, ea, quae dicenda sunt, tacite suppressaque voce dicere. Sic Plin. lib. VII. ep. 1. n. 5. *Herz.*

3. *quum septem*) Illud *quum* connectitur cum *augurarer*, quod primus Casaubonus, sola distinctione mutata, inuenit. Modius aliter, quem videre licet epist. 127. Lect. nou. antiqu.

Senecione, Rustico, Heluidio) Herennio Senecione, Aruleno Rustico, & Prisco Heluidio, de quibus Tacitus Agric. cap. 2. & Suetonius Domit. cap. 10. noster lib. I. ep. 5. & lib. IX. ep. 13. Heluidius autem iunior intelligitur, a Domitiano interfectus, non pater, qui inuito Vespasiano perierat. *Suet. cap. 15.*

Gra-

Gratilla, Arria, Fannia) tot circa me iactis fulminibus quasi ambustus, mihi quoque impendere idem exitium certis quibusdam notis augurarer. Non ideo tamen eximiam gloriam meruisse me, 4 vt ille praedicat, credo: sed tantum effugisse flagitium. Nam & C. Musonium, socerum eius, 5 (quantum licitum est per aetatem) cum admiratione dilexi, & Artemidorum ipsum iam tum, quum in Syria tribunus militarem, arcta familiaritate complexus sum: idque primum nonnullius indolis dedi specimen, quod virum aut sapientem, aut proximum simillimumque sapienti, intelligere sum visus. Nam ex omnibus, qui 6 nunc se philosophos vocant, vix vnum aut alterum invenies tanta sinceritate, tanta veritate.

Maurico) Rustici fratre. Supra lib. I. ep. 5. n. 10. & epist. 15 n. 2.

Gratilla) Pomponia Gratilla, vxor Aruleni Rustici, lib. V. epist. 1.

Arria, Fannia) illa vxor Paeti Thraseae: haec illius & Paeti filia, coniux maioris Heluidii. Vide lib. III. ep. 16. & lib. IX. ep. 13.

fulminibus ambustus) Damnatio fulmini comparatur etiam in Panegyr. c. 50. n. 3. & apud Stat. l. III. Silu. 3. v. 158. & *damnatione ambustus* Liuius l. XXII. c. 35. dixit.

5. *C. Musonium*) philosophum Stoicum equestris dignitatis. *Tacit. Hist. lib. III. c. 81. Cellar.* Multa passus est sub Nerone, teste Philostr. Vid. Apoll. lib. IV. c. 35. *Herz.*

indolis dedi specimen) Supra lib. I. ep. 7. n. 4.

6. *qui nunc se philosophos vocant*) qui vocant se, nec sunt: aut verbis sunt & externo habitu, non vita, non moribus. Vide supra lib. I. epist. 22. n. 6. & adde Quintil. prooem. p. 5.

Mitto,

Mitto, qua patientia corporis hiemes iuxta & aestates ferat, vt nullius laboribus cedat, vt nihil in cibo aut potu voluptatibus tribuat, vt oculos
7 animumque contineat. Sunt haec magna, sed in alio: in hoc vero minima, si ceteris virtutibus comparentur, quibus meruit, vt a C. Musonio ex omnibus omnium ordinum adsectatoribus
8 gener adsumeretur. Quae mihi recordanti est quidem iucundum, quod me cum apud alios, tum apud te tantis laudibus cumulet. vereor tamen, ne modum excedat, quem benignitas eius (illuc enim, vnde coepi, reuertor) non solet
9 tenere. Nam in hoc vno interdum, vir alioqui prudentissimus, honesto quidem, sed tamen errore versatur, quod pluris amicos suos, quam sunt, arbitratur. Vale.

XII.

C. PLINIVS CATILIO SVO S.

Inuitatus ad coenam, qua conditione iturus sit, respondet.

Veniam ad coenam; sed iam nunc paciscor, sit expedita, sit parca: Socraticis tantum sermonibus abundet: in his quoque teneat mo-
2 dum. Erunt officia antelucana, in quae incidere

Epist. XII. 1. *sit expedita*) paruo apparatu.

Socraticis) honestis & philosophicis, qualibus Socrates vsus est.

2. *Erunt officia antelucana*) En veterum industriam! de qua plura epist. 5. huius libri n. 8. & 9. dixerat. Heic autem paciscitur, ne coena protractior officiis ante lucem obeundis impedimento sit.

in quae incidere) festinanter ex coena ad officia irruere.

impu-

impune, ne Catoni quidem licuit, quem tamen C. Caesar ita reprehendit, vt laudet. Scribit enim, 3
eos, quibus obuius fuerat, quum caput ebrii retexissent, erubuisse: deinde adiicit, PVTARES NON AB ILLIS CATONEM, SED ILLOS A CATONE DEPREHENSOS. Potuitne plus auctoritatis tribui Catoni, quam si ebrius quoque tam venerabilis erat? Nostrae tamen coenae 4
vt apparatus & impendii, sic temporis modus constet. Neque enim ii sumus, quos vituperare ne inimici quidem possint, nisi vt simul laudent. Vale.

XIII.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Panegyricum, Traiano dictum, Voconio Romano (de quo lib. II. ep. 13.) *emendandum mittit, cuius difficultatem ostendit.*

Librum, quo nuper optimo principi consul gratias egi, misi exigenti tibi: missurus,

---

Catoni) Vticensi, non Censorio. Dicitur enim ei *inimicus* Caesar fuisse, extrema epistola.

3. *Scribit enim*) Ita Casaubonus. Vulgo *describit*. Videtur autem Caesar haec in Anti-Catone suo scripsisse, quem Ciceronis Catoni Minori, siue libro de laudibus Catonis Vticensis, opposuerat. *Plutarch. in Caes.* pag. 733.

caput ebrii retexissent) quod inuoluerat Cato, ne nosceretur, quum tam sero & nocte fere exacta ex conuiuio rediret.

a Catone deprehensos) inuentos in aliquo crimine. Tanta erga Catonem reuerentia erat.

4. *ne inimici quidem*) C. Caesar, etiam ante ciuile bellum Catonis libertate dicendi, & propugnatione reipub. offensus. Ipse Caesar lib. I. Ciu. B. c. 4. *Catonem veteres inimicitiae Caesaris incitant.*

Epist. XIII. 1. *optimo principi*) Traiano.

etsi

2 etsi non exegisses. In hoc considereres velim, vt pulcritudinem materiae, ita difficultatem. in ceteris enim lectorem nouitas ipsa intentum habet: in hoc, nota, vulgata dicta sunt omnia: quo fit, vt quasi otiosus securusque lector tantum eloquutioni vacet, in qua satisfacere difficilius est,
3 quum sola aestimatur. Atque vtinam ordo saltem, & transitus, & figurae simul spectarentur! Nam inuenire praeclare, enuntiare magnifice, interdum etiam barbari solent: disponere apte,
4 figurare varie, nisi eruditis, negatum est. Nec vero adfectanda sunt semper elata & excelsa. Nam, vt in pictura lumen non alia res magis quam vmbra commendat, ita orationem tam sub-
5 mittere, quam attollere decet. Sed quid ego haec doctissimo viro? quin potius illud: adnota, quae putaueris corrigenda. Ita enim magis credam cetera tibi placere, si quaedam displicuisse cognouero. Vale.

---

2. *nouitas intentum habet*) quia excitat, & delectat. *eloquutioni*) Quae sit Eloquutio rhetorica, optime Quintilianus lib. VII. c. 1. declarat, tam eam, quae in singulis verbis inesse debet, vt illa sint latina, perspicua, ornata, & ad materiem accommodata: quam quae est in coniunctis, vt haec apte sint collocata & figurata.

3. *nisi eruditis*) i. e. ceteris aliis negatum est, eruditis exceptis. *Herz.*

XIV,

XIV.

C. PLINIVS ACILIO SVO S.

Macedonem, facetum dominum, a seruis suis in balneo oppressum, narrat.

Rem atrocem, nec tantum epistola dignam, Largius Macedo, vir praetorius, a seruis suis passus est: superbus alioqui dominus & saeuus, & qui, seruisse patrem suum, parum, immo minimum meminisset. Lauabatur in villa Formiana: repente eum serui circumsistunt: alius fauces inuadit, alius os verberat, alius pectus, & ventrem; atque etiam (foedum dictu) verenda contundit: & quum exanimem putarent, abiiciunt in feruens pauimentum, vt experirentur, an viueret. Ille, siue quia non sentiebat, siue quia se non sentire simulabat, immobilis & extentus fidem peractae mortis impleuit. Tum demum, quasi aestu solutus effertur: excipiunt serui fideliores: concubinae cum vlulatu & clamore concurrunt. Ita & vocibus excitatus, & recreatus loci frigore, sublatis oculis agitatoque corpore, viuere se (& iam tutum erat) confitetur. Diffugiunt serui: quorum magna pars comprehensa est, ceteri requiruntur: ipse paucis diebus aegre

2

3

4

Epist. XIV. 1. *praetorius*) qui ad praeturam gerendam aetate prouectus erat. *Herz.*

seruisse patrem suum) Ergo libertini generis fuit. At vero praetorius. Non id nouum sub malis principibus. Vide lib. VII. ep. 29.

2. *fidem peractae mortis impleuit*) fidem fecit immobilitate, ac si vere mortuus esset.

3. *aestu solutus*) ac si nimio aestu praefocatus finem vitae fecisset.

refocillatus, non sine vltionis solatio decessit, ita
5 viuus vindicatus, vt occisi solent. Vides, quot periculis, quot contumeliis, quot ludibriis simus obnoxii. Nec est, quod quisquam possit esse securus, quia sit remissus & mitis. non enim iudicio domini, sed scelere perimuntur. Verum
6 haec hactenus. Quid praeterea noui? Quid? Nihil: alioqui subiungerem. nam & charta adhuc supereſt, & dies feriatus patitur plura contexi. Addam, quod opportune de eodem Macedone succurrit. Quum in publico Romae lauaretur, notabilis atque etiam, vt exitus docuit,
7 ominosa res accidit. Eques Romanus a seruo eius, vt transitum daret, manu leuiter admonitus, conuertit se, nec seruum, a quo erat tactus, sed ipsum Macedonem tam grauiter palma percussit,
8 vt paene concideret. Ita balneum illi, quasi per gradus quosdam, primum contumeliae locus, deinde exitii fuit. Vale.

---

4. *vltionis solatio*) ex supplicio seruorum.

ita viuus) Poena de seruis sumta est, hero viuente, eadem, quae ob dominum occisum solet, quia quantum in ipsis erat, occisum voluerunt, isque etiam breui post decessit.

5. *iudicio*) serui non semper diiudicant, erga immitem an erga benignum dominum seritate exarmentur, sed malitia quacumque exacerbati serui saepe in dominos saeuiunt. *Herz.*

6. *in publico Romae lauaretur*) Balnea seu thermae in multis vrbis regionibus erant publicae, vt Palatinae, Neronianae, & plures aliae, de quibus agunt, qui de Vrbis antiquitatibus tradiderunt.

7. *vt transitum daret*) s. ex via decederet venienti domino.

XV.

XV.

C. PLINIVS PROCVLO SVO S.

Roganti Proculo, vt versus suos emendaret; respondet, id libenter se suscepturum esse.

Petis, vt libellos tuos in secessu legam, examinemque, an editione sint digni: adhibes preces: adlegas exemplum: rogas etiam, vt aliquid subsecivi temporis studiis meis subtraham, impertiam tuis: adiicis, M. Tullium mira benignitate poetarum ingenia fouisse. Sed ego nec 2
rogandus sum, nec hortandus. Nam & poeticen ipsam religiosissime veneror, & te validissime diligo. Faciam ergo, quod desideras, tam diligenter, quam libenter. Videor autem iam 3
nunc posse rescribere, esse opus pulcrum, nec supprimendum, quantum aestimare licuit ex iis, quae me praesente recitasti: si modo mihi non impositi recitatio tua. legis enim suauissime & peritissime. Confido tamen, me non sic au- 4
ribus duci, vt omnes aculei iudicii mei illarum

Epist. XV. 1. *in secessu*) in villa, loco ab vrbe remoto, & a publicis negotiis libero. Vide supra ad lib I. ep. 9. & 13.

subsecivi temporis) subtracti ordinariis laboribus, siue a negotiis grauioribus vacui. Sic & Cicero *tempora subseciua* dixit lib. I de Leg. c. 3. & *operis subsecivis perficere* II. Philipp. c. 8. & Seneca eleganter ep. 53. *Philosophia non est res subseciua*, hoc est, obiter & παρέργως tractanda.

M. Tullium) Testis, oratio pro Archia.

3. *peritissime*) pronunciatione ad rem accommodata; conf. Quintil. lib. XI. c. 3. Laudat vero Plinius Proculum propter hanc peritiam, quia in recitando difficilior est vocis ad res accommodatio. *Herz.*

delinimentis restringantur. Hebetentur fortasse, & paullulum retundantur; reuelli quidem
5 extorquerique non possunt. Igitur non temere iam nunc de vniuersitate pronuntio: de partibus experiar legendo. Vale.

XVI.

C. PLINIVS NEPOTI SVO S.

Alia maiora, alia clariora esse, Arriae factis & exemplo probat.

Adnotasse videor, facta dictaque virorum feminarumque illustrium alia clariora esse,
2 alia maiora. Confirmata est opinio mea hesterno Fanniae sermone. Neptis haec Arriae illius, quae marito & solatium mortis & exemplum fuit. Multa referebat auiae suae non minora hoc, sed obscuriora: quae tibi existimo tam mirabilia legenti fore, quam mihi audienti fue-
3 runt. Aegrotabat Caecina Paetus, maritus eius, aegrotabat & filius, vterque mortifere, vt videbatur. filius decessit, eximia pulcritudine, pari verecundia, & parentibus non minus ob alia

---

4. *restringantur*) Gruterus hoc restituit pro *refringantur*: idem concessiue mox *hebetentur*, *retundantur*, quod indicanter alii tradiderant.

Epist. XVI. 1. *clariora*, *alia maiora*) *clariora* sunt, quae a fama circumferuntur; *maiora*, quae in se magni facienda sunt, licet non circumferantur a fama. Conf. finem huius epistolae, *Herz.*

2. *Fanniae*) Paeti Thraseae & Arriae minoris filiae. Supra epist. 11. n. 3. & lib. IX. epist. 13. n. 3.

Arriae illius) Haec altera Arria, & maior, mater minoris, vxor Caecinae Paeti, de qua pluribus verbis Lipsius epist. ad Belg. Centur. III, 82.

carus,

carus, quam quod filius erat. Huic illa ita fu- 4
nus parauit, ita duxit exsequias, vt ignoraret ma-
ritus. Quinimmo, quoties cubiculum eius in-
traret, viuere filium, atque etiam commodiorem
esse simulabat. Ac persaepe interroganti, quid
ageret puer, respondebat, Bene quieuit, libenter
cibum sumsit. Deinde quum diu cohibitae la- 5
crymae vincerent prorumperentque, egredieba-
tur. tum se dolori dabat. satiata, siccis oculis,
composito vultu redibat, tamquam orbitatem fo-
ris reliquisset. Praeclarum quidem illud eiusdem, 6
ferrum stringere, perfodere pectus, extrahere
pugionem, porrigere marito, addere vocem im-
mortalem ac paene diuinam, PAETE, NON
DOLET. Sed tamen ista facienti dicentique
gloria & aeternitas ante oculos erant: quo ma-
ius est sine praemio aeternitatis, sine praemio glo-
riae abdere lacrymas, operire luctum, amissoque
filio, matrem adhuc agere. Scribonianus arma 7
in Illyrico contra Claudium mouerat; fuerat

6. *vocem immortalem ac paene diuinam*) Tanta laus ex philosophia Stoica manauit; etiam, quae sequuntur verba, *gloria & aeternitas*. De voluntaria morte quid sentiendum sit, nihil attinet ex saniore philosophia, aut ex Christiana veritate repetere. De facto Arriae Martialis quoque pereleganter lib. 1. epigr. 14.

7. *Scribonianus arma*) Furius Camillus Scribonianus, Dalmatiae legatus, intra quintum diem oppressus, legionibus, quae sacramentum mutauerant, in poenitentiam religione conuersis, postquam, denuntiato ad nouum imperatorem itinere, neque aquila ornari, neque signa conuelli moueriue potuerunt. *Sueton. Claud. c.* 13.

Paetus in partibus, &, occiso Scriboniano, Romam
8 trahebatur. Erat adscensurus nauem, Arria mi-
lites orabat, vt simul imponeretur. Nempe enim,
inquit, daturi estis consulari viro seruulos ali-
quos, quorum e manu cibum capiat, a quibus
vestiatur, a quibus calcietur: omnia vel sola
9 praestabo. Non impetrauit. Conduxit piscato-
riam nauiculam, ingensque nauigium minimo
sequuta est. Eadem apud Claudium vxori Scri-
boniani, quum illa profiteretur indicium, Ego,
inquit, te audiam, cuius in gremio Scribonianus
occisus est, & viuis? Ex quo manifestum est, ei
consilium pulcerrimae mortis non subitum fuisse.
10 Quin etiam quum Thrasea gener eius, deprecare-
tur, ne mori pergeret, interque alia dixisset, Tu
vis ergo filiam tuam, si mihi pereundum fuerit,
mori mecum? respondit, Si tam diu tantaque
concordia vixerit tecum, quam ego cum Paeto,
11 volo. Auxerat hoc responso curam suorum: at-
tentius custodiebatur: sensit, &, Nihil agitis, in-
quit. Potestis enim efficere, vt male moriar: ne
12 moriar, non potestis. Dum haec dicit, exsiluit

Paetus in partibus) Paetus Caecina faciebat cum Scriboniano contra Claudium.

8. *profiteretur indicium*) coniurationis mariti conscios indicaret, vt vel sic veniam vitamque impetraret.

occisus est, & viuis) Perfidiam obiicit, quod maritum maritique socios proderet, nec potius cum illo mortem subiret.

10. *mori mecum*) quod illa etiam cupide voluit, sed precibus mariti, ab Nerone moti coacti, in filiae Fanniae solatium, a proposito & mortis societate reuocata fuit. *Tacit. lib. XVI. c.* 34.

cathe-

cathedra, aduersoque parieti caput ingenti impetu impegit, & corruit. Refocillata, Dixeram, inquit, vobis, inuenturam me, quamlibet duram, ad mortem viam, si vos facilem negassetis. Vi- 13
denturne haec tibi maiora illo, PAETE, NON DOLET, ad quod per haec peruentum est? quum interim illud quidem ingens fama, haec, nulla circumfert. Vnde colligitur, quod initio dixi, ALIA ESSE CLARIORA, ALIA MAIORA. Vale.

XVII.

C. PLINIVS SERVIANO SVO S.

Anxius de salute amici ob silentium eius, monet, vt prodiem nuntiet, quid agat.

Rectene omnia, quod iampridem epistolae tuae cessant, an non omnia recte? Sed occupatus es tu. An tu occupatus? Sed occasio scribendi vel rara vel nulla. Exime hunc mihi 2
scrupulum, cui par esse non possum. Exime

Epist. XVII. *Seruiano*) Iulius forte Seruianus, quem Hadrianus, quamquam sororis maritum, nonagesimum iam annum agentem, mori coegit. *Spartian. c.* 15. Quidam *Seueriano* legunt, quod nec incelebre nomen in harum temporum historia est.

1. *Rectene omnia*) Rectene omnia se tua habent, & tu saluus es ac incolumis?

Sed occupatus) fingit Plinius, ac si Seruianus se posset excusare: Plinium esse occupatum, quo minus litteris legendis vacare posset; sed respondet statim quaerendo: an etiam Seruianus sit occupatus; litteris scilicet scribendis ne vacare posset. *Herz.*

2. *cui par esse non possum*) eximendo vel perferendo. *Scrupulus* autem dubitatio est, sitne silentium ex calamitate, an occupationibus, an aliunde.

autem vel data opera tabellario missô: ego viaticum, ego etiam praemium dabo: nuntiet mihi
3 modo, quod opto. Ipse valeo: si valere est, suspensum & anxium viuere, exspectantem in horas, timentemque pro capite amicissimo, quidquid accidere homini potest. Vale.

XVIII.

C. PLINIVS SEVERO SVO S.

Panegyrici, vberius, quam in senatu dixerat, elaborati, recitationem eam voluptate exceptam denarrat.

Officium consulatus iniunxit mihi, vt reipubl. nomine principi gratias agerem. quod ego in senatu quum ad rationem & loci & temporis ex more fecissem; bono eiui conuenientissimum credidi, eadem illa spatiosius & vberius volumine
2 amplecti primum, vt imperatori nostro virtutes suae veris laudibus commendarentur: deinde, vt futuri principes non quasi a magistro, sed tamen sub exemplo praemonerentur, qua potis-
3 simum via possent ad eamdem gloriam niti. Nam praecipere, qualis esse debeat princeps, pulcrum quidem, sed onerosum, ac prope superbum est: laudare vero optimum principem, ac per hoc posteris, velut e specula lumen, quod sequantur,

---

viaticum, ego etiam praemium) illud ex debito, hoc ex gaudio, quod tabellarius a te veniat. *Herz.*

Epist. XVIII. 1. *in senatu*) breuiore scilicet oratione.

2. *sub exemplo*) Traiani, principis optimi. Vide supra lib. II. ep. 6. n. 6.

3. *velut e specula lumen*) qualis Pharus Alexandrini portus erat, vnde, vel a simili eius, translatio desumta est.

osten-

ostendere; idem vtilitatis habet, arrogantiae nihil. Cepi autem non mediocrem voluptatem, quod hunc librum, quum amicis recitare voluissem, non per codicillos, non per libellos, sed si commodum esset & si valde vacaret, admoniti (nunquam porro, aut valde raro, vacat Romae, aut commodum est, audire recitantem) foediss. mis insuper tempestatibus per biduum conuenerunt: quumque modestia mea finem recitationi facere voluisset, vt adiicerem tertium diem, exegerunt. Mihi hunc honorem habitum putem, an studiis? Studiis malo, quo prope exstincta refouentur. At cui materiae hanc sedulitatem praestiterunt? nempe quam in senatu quoque, vbi perpeti necesse erat, grauari tamen vel puncto temporis solebamus, eamdem nunc & qui recitari, & qui audire triduo velint, inueniuntur; non quia eloquentius, quam prius, sed quia liberius, ideoque etiam libentius scribitur. Accedet ergo hoc quoque laudibus principis nostri, quod res antea tam inuisa quam falsa; nunc vt vera, ita

4. *non per codicillos*) Nosce hinc ritum ambitiose inuitandi ad recitationes audiendas, cui leuior modus opponitur, quo noster vsus est. Add. Dialog. de Orator. cap. 9. n. 6.

porro) huius particulae vsum pro *autem* ostendit Turscellinus cap. 128.

5. *prope exstincta*) sub Domitiano, de cuius in litteras crudelitate Tacitus Agric. cap. 2. conqueritur.

6. *quam*) i. e. *ob quam:* qua omissa legis Panegyr. c. 45. n. 3.

perpeti necesse erat) patientiam habere, perdurare. *Barth.*

7. *res antea tam inuisa quam falsa*) laus princi-

8 amabilis facta est. Sed ego cum studium audientium, tum iudicium mire probaui. Animaduerti enim seueriſſima quaeque vel maxime ſatisfacere. 9 Memini quidem, me non multis recitaſſe, quod omnibus ſcripſi: nihilominus tamen, tamquam ſit eadem omnium futura ſententia, hac ſeueritate aurium laetor. Ac ſicut olim theatra male muſicos canere docuerunt, ita nunc in ſpem adducor, poſſe fieri, vt eadem theatra bene canere 10 muſicos doceant. Omnes enim, qui placendi cauſſa ſcribunt, qualia placere viderint, ſcribent: ac mihi quidem confido, in hoc genere materiae latioris ſtili conſtare rationem, quum ea potius, quae preſſius & adſtrictius, quam illa, quae hilarius & quaſi exſultantius ſcripſi, poſſint videri arceſſita & inducta: non ideo tamen ſegnius precor, vt quandoque veniat dies (vtinamque iam venerit!) quo auſteris iſtis ſeuerisque dulcia

---

pum. Nam etiam Nero & Domitianus publice in ſenatu laudabantur, ſed per adulationem.

8. *ſeueriſſima quaeque*) Grauis enim cenſura malorum principum, Domitiani, Neronis & aliorum, in illa Plinii panegyrica oratione.

9. *hac ſeueritate aurium*) iudicio audientium libenter ſeuera ſcripta.

Ac ſicut olim theatra) ſub Nerone, qui quod ipſe in muſico agone certabat, ſi qui arte praecellerent, corrumpere ſolebat, ne quis illo peritior videretur. Quo factum, vt male cantaretur, quia ipſe, quem vincere nemo audebat, non optime cantabat. *Sueton. Ner. c. 23.*

bene canere muſicos) bene ac libere dicere ac ſcribere ſub bono principe. Translate. *Catan.*

10. *latioris*) quidam *laetioris*.

auſteris illis ſeuerisque) veris ſcriptis, ſed auditu ſeuerioribus, qualis ſatyra. *Cat.*

haec

haec blandaque vel iusta possessione decedant. Habes acta mea tridui: quibus cognitis volui 11
tantum te voluptatis absentem & studiorum nomine & meo capere, quantum praesens percipere potuisses. Vale.

XIX.

C. PLINIVS CALVISIO RVFO SVO S.

Consulit, an emat praedia suis agris vicina, propositis in vtramque partem rationibus.

Adsumo te in consilium rei familiaris, vt soleo. Praedia agris meis vicina, atque etiam inserta, venalia sunt. In his me multa sollicitant, aliqua nec minora deterrent. Sollicitat 2
primum ipsa pulcritudo iungendi: deinde, quod non minus vtile quam voluptuosum, posse vtraque eadem opera, eodem viatico inuisere, sub eodem procuratore, ac paene iisdem actoribus habere, vnam villam colere & ornare, alteram tantum tueri. Inest huic computationi sumtus 3
supellectilis, sumtus atriensium, topiariorum,

---

dulcia haec blandaque) adulatoria. *Catan.*

Epist. XIX. 2. *procuratore*) rei rusticae curatore, cuius imperio villicus subiacet.

iisdem actoribus) Actor, qui vrget opus, instat seruis & operariis. Et *Actor*, qui pensiones a villicis & conductoribus praediorum exigit, Lege 40. n. 5. Dig. de statu liber. Sic Lege 16. Cod. de procurator. *procurator & actor praediorum* coniunguntur.

3. *atriensium*) qui curam atrii & supellectilis habebant. Columella lib. XII. c. 3. *insistere atriensibus, vt supellectilem exponant, & ferramenta detersa nitidentur, atque rubigine liberentur.* Atque hi *Atrienses rustici* appellantur.

topiariorum) qui hortos figuris ornant ex arborum

fabrorum, atque etiam venatorii instrumenti: quae plurimum refert, vnum in locum conferas,
4 an in diuersa dispergas. Contra vereor, ne sit incautum, rem tam magnam iisdem tempestatibus, iisdem casibus subdere. Tutius videtur, incerta fortunae possessionum varietatibus experiri. Habet etiam multum iucunditatis soli coelique mutatio, ipsaque illa peregrinatio in-
5 tersita. Iam, quod deliberationis nostrae caput est, agri sunt fertiles, pingues, aquosi: constant campis, vineis, siluis, quae materiam & ex ea reditum sicut modicum, ita statum praestant.
6 Sed haec felicitas terrae imbecillis cultoribus fatigatur. Nam possessor prior saepius vendidit pignora: & dum reliqua colonorum minuit ad

herbarumque positione collectis, *Luſt-gärtner.* Vetus inscriptio apud Gruter. p. 602. n. 2.

LVCRIO AVG.
TOPIARIO EX HORTIS
SIBI ET SVIS.

Et adiectiue *topiarium opus*, Plin. mai. H. N. lib. XII. c. 5. & alibi.

4. *incerta fortunae*) casus & tempestates, quibus agri obnoxii sunt.

intersita) interposita, interueniens. Gronouius *inter sua* suspicabatur.

5. *ita statum*) certum, & quotannis capiendum, sine periculo tempestatis aliorumque casuum.

6. *imbecillis*) pauperibus, exhaustis.

fatigatur) dum scilicet terra fertilitatem exonerare quasi cupiens laboris defectu delassatur. *Herz.*

vendidit pignora) instrumenta rustica, domino praedii a colonis oppignerata, quae illicitum est vendere, Lege 7. Cod. Quae res pignori.

reliqua colonorum) debita, quae subductis rationibus soluenda restant, *Reſte.*

tem-

tempus, vires in posterum exhausit, quarum defectione rursus reliqua creuerunt. Sunt ergo 7
instruendi complures frugi mancipes. Nam nec ipse vsquam vinctos habeo, nec ibi quisquam supereſt. Vt scias, quanti videantur posse emi, sestertio tricies, non quia non aliquando quinquagies fuerint, verum & hac penuria colonorum & communi temporis iniquitate, vt reditus agrorum, sic etiam pretium retro abiit. Quae- 8
ris, an hoc ipsum tricies facile colligere possimus? sum quidem prope totus in praediis, aliquid tamen foenore, nec molestum erit mutuari. Accipiam a socru, cuius arca non secus ac mea vtor. Proinde hoc te non moueat, si cetera non refra- 9
gantur; quae velim quam diligentissime examines. Nam cum in omnibus rebus, tum in disponendis facultatibus plurimum tibi & vsus prouidentiae supereſt. Vale.

---

7. *mancipes*) coloni, qui agros mercede conducunt. Gronouius ex Palatini vestigiis: *Sunt ergo instruendi eo pluris, quod frugi, mancipes.*

vinctos) seruos compede vinctos.

sestertio tricies) suppresso *centies*, quod in his formulis semper subauditur. Sestertium autem pondus est mille nummum. Vid. Gronou. de Pec. vet. II, 2. sub. fin.

8. *aliquid tamen foenore*) Buchner. *aliquis* mauult, quia *totus* id exigat, hoc sensu: in foenore se aliquid habere, quod si non sufficiat, mutuum sumturum a socru.

XX.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

In comitiis modum per tabellas suffragandi restitutum narrat, ex quo incommoda futura auguratur.

Meministine, te saepe legisse, quantas contentiones excitarit lex tabellaria, quantumque ipsi latori vel gloriae vel reprehensionis
2 attulerit? At nunc in senatu sine vlla dissensione hoc quidem, vt optimum, placuit. Omnes comi-
3 tiorum die tabellas postulauerunt. Excesseramus sane manifestis illis apertisque suffragiis licentiam concionum. Non tempus loquendi, non tacendi modestia, non denique sedendi dignitas
4 custodiebatur. Magni vndique dissonique clamores: procurrebant omnes cum suis candidatis: multa agmina in medio, multique circuli & indecora confusio: adeo desciueramus a consuetudine parentum, apud quos omnia disposita, moderata, tranquilla, maiestatem loci
5 pudoremque retinebant. Supersunt senes, ex

Epist. XX. 1. *lex tabellaria*) qua suffragia non voce, sed per tabellas ferebantur. Quatuor autem leges tabellariae erant. heic prima siue Gabinia intelligitur, de magistratibus mandandis; vid. Cic. lib. III. de Leg. c. 16. qui latorem, hominem *ignotum & sordidum* vocat. Meminit & huius, & quae post biennium sequuta fuit, Cassiae, de Amic. c. 12.

nunc in senatu) Ergo aliquamdiu neglecta lex fuerat, & vocis suffragia reducta. Adde post paullo n. 5.

3. *manifestis apertisque*) quae voce ferebantur, non occulta tabella.

concionum) orationum, quibus candidati commendabiles reddebantur. *Herz.*

quibus

quibus audire soleo hunc ordinem comitiorum. Citato nomine candidati, silentium summum. Dicebat ipse pro se, vitam suam explicabat, testes & laudatores dabat, vel eum, sub quo militauerat, vel eum, cui quaestor fuerat: vel vtrumque, si poterat. Addebat quosdam ex suffragatoribus; illi grauiter & paucis loquebantur. Plus hoc, 6
quam preces, proderat. Nonnunquam candidatus aut natales competitoris, aut annos, aut etiam mores arguebat. Audiebat senatus grauitate censoria: ita saepius digni, quam gratiosi, praeualebant. Quae nunc immodico fauore 7
corrupta, ad tacita suffragia, quasi ad remedium, decurrerunt. quod interim plane remedium fuit: erat enim nouum & subitum. Sed vereor, ne 8
procedente tempore ex ipso remedio vitia nascantur. Est enim periculum, ne tacitis suffragiis impudentia irrepat. Nam quotocunque eadem honestatis cura secreto, quae palam? Multi famam, conscientiam pauci verentur. Sed nimis 9

5. *sub quo militauerat*) Honores auspicabantur Romani a militia, cui adolescentuli dicabantur.

cui quaestor fuerat) Is praeses prouinciae erat, cui quaestor forte adiungebatur in eadem prouincia. Quaestura autem primus gradus maioris dignitatis extra militiam. Erant etiam alii Quaestores vrbani.

6. *natales*) obscuros parentes obiiciebat.

annos) minores, praematuros. Annaria enim lege cuique magistratui sua aetas destinata erat, infra quam petentes non admittebantur.

8. *ex ipso remedio vitia*) Ita omnino accidit, vt eidem Maximo noster lib. IV. epist. 25. narrat. Nam quod Cicero lib. III. de Leg. c. 15. praedixit, *tabellae vitiosum suffragium occultat.*

cito

cito de futuris: interim beneficio tabellarum habebimus magistratus, qui maxime fieri debuerunt. Nam vt in recuperatoriis iudiciis, sic nos in his comitiis, quasi repente apprehensi, sinceri
10 iudices fuimus. Haec tibi scripsi, primum vt aliquid noui scriberem, deinde vt nonnunquam de republica loquerer, cuius materiae nobis quanto rarior, quam veteribus, occasio, tanto
11 minus omittenda est. Et hercule quousque illa vulgaria? EHO, QVID AGIS? ECQVID COMMODE VALES? Habeant nostrae quoque litterae aliquid non humile, nec sordidum,
12 nec priuatis rebus inclusum. Sunt quidem cuncta sub vnius arbitrio, qui pro vtilitate communi solus omnium curas laboresque suscepit: quidam tamen salubri quodam temperamento ad nos quoque, velut riui ex illo benignissimo fonte, decurrunt, quos & haurire ipsi, & absentibus amicis quasi ministrare epistolis possumus. Vale.

---

9. *in recuperatoriis iudiciis*) Recuperatores iudices edicto praetorio dabantur iniuriis aestimandis, quod per illos ius nostrum recuperemus. *Catan.* Eius iudicii mentio fit apud Cic. lib. V. in Verr. c. 11. & lib. II. de Inuent. c. 20; & apud Sueton. Vesp. c. 3.
apprehensi) deprehensi. *Grut.*
12. *sub vnius arbitrio*) Traiani.
velut riui) paruae materiae negotia.
benignissimo fonte) humanissimo principe.

XXI.

XXI.

C. PLINIVS PRISCO SVO S.

Mortem Martialis nuntiat, eiusque ingenium, ab ipso laudatus, laudat.

Audio, Valerium Martialem decessisse, & moleste fero. Erat homo ingeniosus, acutus, acer, & qui plurimum in scribendo & salis haberet & fellis, nec candoris minus. Prosequutus eram viatico secedentem. Dederam hoc amicitiae, dederam etiam versiculis, quos de me composuit. Fuit moris antiqui, eos, qui vel singulorum laudes, vel vrbium scripserant, aut honoribus aut pecunia ornare: nostris vero temporibus, vt alia speciosa & egregia, ita hoc in primis exoleuit. Nam postquam desimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus. Quaeris, qui sint versiculi, quibus gratiam retulerim? Remitterem te ad ipsum volumen, nisi quosdam tenerem: tu, si placuerint hi, ceteros in libro requires. Adloquitur Musam, mandat, vt domum meam in Exquiliis quaerat, adeat reuerenter:

Epist. XXI. 1. *& salis haberet & fellis*) facetiarum, & amaritudinis siue morsus. Vtinam vero sales eius castiores essent! Pudicas sane aures saepenumero offendit, & puras mentes legendo corrumpit.

2. *secedentem*) in patriam Bilbilim, vbi senex mortem obiit.

3. *honoribus*) dignitatibus, statuis, vt de Ennii statua in sepulcro Scipionum. *Cic. pro Arch. c. 9.*

5. *Adloquitur Musam*) Libro X. epigr. 19. cui titulus: *Mittit librum suum ad Plinium.*

Exquiliis) collis Romae, quem Tullus Hostilius augebat, ibique vt loco dignitas fieret, habitabat. Liv. Dec. I. lib. 1. cap. 44.

Sed,

Sed, ne tempore non tuo differtam
Pulsés ebria ianuam, videto.
Totos dat tetricae dies Mineruae,
Dum centum ſtudet auribus virorum,
Hoc quod ſecula poſterique poſſint
Arpinis quoque comparare chartis.
Seras tutior ibis ad lucernas,
Haec hora eſt tua, quum furit Lyaeus:
Quum regnat roſa, quum madent capilli,
Tunc me vel rigidi legant Catones.

6 Meritone eum, qui haec de me ſcripſit, & tunc dimiſi amiciſſime, & nunc, vt amiciſſimum, defunctum eſſe doleo? Dedit enim mihi, quantum maxime potuit, daturus amplius, ſi potuiſſet. Tametſi quid homini poteſt dari maius,
7 quam gloria, & laus, & aeternitas? At non erunt aeterna, quae ſcripſit. Non erunt fortaſſe: ille tamen ſcripſit tamquam eſſent futura. Vale.

---

tetricae Mineruae) ſeueris Muſis, iudicialibus cauſſis.

Arpinis chartis) Ciceronianis ſcriptis. Arpinas enim Cicero fuit.

ibis ad lucernas) tu Muſa aut liber ſero veſpere Plinium adeas; quas horas epulae ſibi & pocula vindicant. Tum gratior eris, quam inter ſeueras occupationes occurrens.

6. *quantum maxime*) Ita Sichardus: at Barth. *maximi*. Aldus *maximum*.

7. *At non erunt aeterna*) Sunt, quamuis Plinius de temporum iniuria metuerat. Sic Statius III. Silu. 3. v. 37. *non arſura munera*, vbi Barthium videas. Adde noſtrum lib. huius epiſt. 10. extr.

LIBER

LIBER IV.

I.

C. PLINIVS FABATO PROSOCERO SVO S.

Prosocero aduentum suum significat, eodem itinere Tiferni templum dedicaturus.

Cupis post longum tempus neptem tuam meque vna videre. Gratum est vtrique nostrum, quod cupis; mutuo mehercule. Nam 2
inuicem nos incredibili quodam desiderio vestri tenemur, quod non vltra differemus. Atque adeo iam sarcinulas adligamus, festinaturi, quantum itineris ratio permiserit. Erit vna, sed 3
breuis, mora: deflectemus in Tuscos, non vt agros remque familiarem oculis subiiciamus (id enim postponi potest) sed vt fungamur necessario officio. Oppidum est praediis nostris vici- 4
num; nomen Tifernum Tiberinum, quod me paene adhuc puerum patronum cooptauit: tan-

---

Epist. I. 1. *mutuo mehercule*) aeque gratum mihi & coniugi est, te tuosque videre. Barthius, *mutuoque hercule*, concinne.

2. *adligamus*) Palat. *alligauimus*.

3. *in Tuscos*) villam Plinii, Lib. V. ep. 6.

4. *nomen Tifernum Tiberinum*) Ald. & Sich. *Tifernium*. Plinius maior H. N. lib. III. c. 14. *Tifernates, cognomine Tiberini: & alii, Metaurenses*. Scilicet oppida eiusdem nominis, fluminibus, quibus adposita erant, distinguebantur.

patronum cooptauit) Non singuli modo homines, sed ciuitates etiam patronos ex Romanis cooptabant. Vide in Suetonii Aug. c. 17. & Tiber. c. 6. Bononiae & Lacedaemonis exempla.

to maiore ſtudio, quanto minore iudicio aduentus meos celebrat, profectionibus angitur, ho-
5 noribus gaudet. In hoc ego vt referrem gratiam (nam vinci in amore turpiſſimum eſt) templum pecunia mea exſtruxi: cuius dedicationem, quum ſit paratum, differre longius, irre-
6 ligioſum eſt. Erimus ergo ibi dedicationis die, quem epulo celebrare conſtitui. Subſiſtemus fortaſſe & ſequenti: ſed tanto magis viam ipſam
7 corripiemus. Contingat modo te filiamque tuam fortes inuenire! nam hilares certum eſt, ſi nos incolumes receperitis. Vale.

II.

C. PLINIVS CLEMENTI SVO S.

M. Regulum, morte filii dolorem ſimulantem, notabiliter perſtringit.

Regulus filium amiſit: hoc vno malo indignus, quod neſcio an malum putet. Erat

---

minore iudicio) Modeſte laudes ſuas & de ſe iudicium liberale deprimit.

profectionibus) abitu, diſceſſu ab illis. *Barth.*

6. *epulo celebrare*) Etiam Chriſtiani dedicationis diem conuiuio celebrabant. Vide Sauaron. ad Sidon. lib. IV. ep. 15. p. 264.

viam ipſam corripiemus) feſtinabimus. Sic *corripuit gradum*, Horat. I. od. 3. v. 33.

7. *fortes*) valetudine bona, vt lib. IV. epiſt. 21. n. 4. & VII. ep 23. pr.

hilares) vos inuenire.

Epiſt. II. 1. *Regulus*) de quo ſaepius ſupra lib. I. ep. 5. lib. II. epiſt. vlt. & de luctu illius lib. IV. epiſt. 7. infra.

filium amiſit) Vide lib. II. ep. 7 n. 3.

an malum) & exinde dolorem, quem capimus ipſi, habeat. *Herz.*

puer

puer acris ingenii, sed ambigui: qui tamen posset recta sectari, si patrem non referret. Hunc 2
Regulus emancipauit, vt heres matris exsisteret.
Mancipatum (ita vulgo ex moribus hominis loquebantur) foeda & insolita parentibus indulgentiae simulatione captabat. Incredibile est;
sed Regulum cogita. Amissum tamen luget insane. Habebat puer mannulos multos, & vinctos & solutos: habebat canes maiores minoresque: habebat luscinias, psittacos, merulas: 3
omnes Regulus circa rogum trucidauit. Nec
dolor erat ille, sed ostentatio doloris. Conueniebant ad eum mira celebritate. Cuncti detestan- 4

---

2. *emancipauit*) Pompeius Festus: *EMANCIPARI intelliguntur aut ii, qui ex patris iure exierint: aut ii, qui aliorum fiunt dominii.*

vt heres matris) quia mater noluit heredem facere, nisi ex patris potestate emissum, ne forte mores patris condisceret.

Mancipatum) Non de nihilo est, quod *mancipatum* repetit, non *emancipatum*. Hoc enim verba parentheſi inclusa exigunt, vt emtus quasi muneribus intelligatur. Etiam Palat. cod. & Aldus hoc discrimen seruant.

captabat) blanditiis, munusculis, vt ipse patrem heredem relinqueret. Nam integrum emancipatis erat, quem vellent, heredem scribere.

3. *mannulos*) equos pusillos. Diminutum ex *mannus*, quo aliquoties Horatius vsus est: epod. 4.

Et Appiam mannis terit.

Habebant enim feminae & ditiorum filii in deliciis. Adde eumdem lib. III. od. 27. v. 7.

circa rogum trucidauit) Quidquid carum defuncto fuerat, rogo vna consumi volebant, ne superesset, cuius adspectu dolor renouaretur.

tur,

tur, oderunt, &, quasi probent, quasi diligant, cursant, frequentant: vtque breuiter, quod sentio, enuntiem, in Regulo demerendo, Regulum
5 imitantur. Tenet se trans Tiberim in hortis, in quibus latissimum solum porticibus immensis, ripam statuis suis occupauit: vt est in summa auaritia sumtuosus, in summa infamia gloriosus.
6 Vexat ergo ciuitatem insaluberrimo tempore: & quod vexat, solatium putat. Dicit, se velle ducere vxorem: hoc quoque, sicut alia, per-
7 uerse. Audies breui nuptias lugentis, nuptias senis: quorum alterum immaturum: alterum,
8 serum est. Vnde hoc augurer, quaeris? non quia adfirmat ipse (quo mendacius nihil est;) sed quia certum est, Regulum esse facturum, quidquid fieri non oportet. Vale.

---

4. *Regulum imitantur*) qui blanditiis fictis decipiebat. *Herz.*

5. *in auaritia sumtuosus*) Oxymoron, quod de diuersis interpreteris. In aliis enim rebus auarissimus erat, vt in hereditatibus captandis; in aliis sumtuosus nimium. Similem huic hominem *sordidum simul & sumtuosum* descripsit lib. II. ep. 6.

6. *insaluberrimo tempore*) aestiuo & noxio valetudini, suo coelo praesertim Romano, vbi aestus discurrentibus molestus solet esse. Aliquantum enim viae terendum erat in hortos Reguli, officii caussa, itantibus. Quidam praepositionem seiungunt, vt *saluberrimum tempus* sit Traiani seculum; sed inconcinne. Adi Buchnerum in h. l.

7. *alterum immaturum*) Immaturae nuptiae lugentis; serae, senis.

III.

III.

C. PLINIVS ANTONINO SVO S.

Laus Antonini non tam ex honoribus, quos ampliſſimos geſſerat, quam ex ingenio & ſtilo Graeco.

Quod ſemel atque iterum conſul fuiſti, ſimilis antiquis, quod proconſul Aſiae, qualis ante te, qualis poſt te vix vnus aut alter, (non ſinit enim me verecundia tua dicere, nemo) quod ſanctitate, quod auctoritate, aetate quoque princeps ciuitatis; eſt quidem venerabile & pulcrum: ego tamen te vel magis in remiſſionibus miror. Nam ſeueritatem iſtam pari iucunditate condire, ſummaeque grauitati tantum comitatis adiungere, non minus difficile, quam magnum eſt. Id tu cum incredibili quadam ſuauitate ſermonum tum vel praecipue ſtilo adſequeris. Nam & loquenti tibi illa Homerici ſenis mella profluere, & quae ſcribis, complere apes floribus, & nectare videntur. Ita certe ſum adfectus ipſe, quum Graeca epigrammata tua, quum iambos proxime legerem. Quantum ibi humanitatis, venuſtatis! quam dulcia illa!

Epiſt. III. *Antonino*) Arrio Antonino, auo materno Antonini Pii. Vid. Caſaub. in Capitolini Pium cap. I. & Reineſ. Var. Lect. p. 277.

1. *dicere, nemo*) Ita Palat. & Aldus. Vulgatae, *dicere, qualis nemo.*

3. *Homerici ſenis*) Neſtoris. Iliad. A. v. 249.

Τῶ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

nectare) Ita Sichard. & Thomaſ. Alii *innectere.*

adfectus ipſe) Sic antiquiores Aldina; aliae refectus.

illa! quam amantia! quam antiqua! quam arguta! quam recta: Callimachum me, vel Herodem, vel si quid his melius, tenere credebam; quorum tamen neuter vtrumque aut absoluit
5 aut attigit. Hominemne Romanum tam Graeci loqui? Non, medius fidius, ipsas Athenas tam Atticas dixerim. Quid multa? Inuideo Graecis, quod illorum lingua scribere maluisti. Neque enim coniectura eget, quid sermone patrio
6 exprimere possis, quum hoc insiticio & inducto tam praeclara opera perfeceris. Vale.

IV.

C. PLINIVS SOSSIO SVO S.

Tribunatum semestrem Caluisio Nepoti a Sossio petit.

Caluisium Nepotem validissime diligo, virum industrium, disertum, rectum, quod apud

---

4. *Callimachum me, vel Herodem*) Callimachi quaedam supersunt elegantissime scripta: Herodes Buchnero & aliis est *Herodes Atticus*, Gellio l. I. c. 2. ineunte & alibi laudatus, cuius vitam Philostratus Vit. Soph. l. II. n. 1. scripsit. Sub Traiano & Hadriano floruit. *Cellar.* Ipsam vitam tamen Herodis & chronologicum computum a Celeberrimo Oleario in noua Philostrati editione adiectum, qui examinabit, deprehendet, hic Herodem istum Atticum commode non posse intelligi, quia Hadriani temporibus fuit iuuenis XXV annorum demum; sed quomodo Plinius sub Traiano viuens facundiam ferme pueri Herodis extollere potuit. *Herz.*

5. *tam Atticas*) tam scite & eleganter Graeci sermonis. Attica enim dialectus Graecarum elegantissima. Conf. infra lib. VII. epist. 25. n. 4.

Epist. IV. *Sossio*) siue Sosio, Senecioni vel Pappo: vterque clarus sub Traiano. Vid. Casaub. in Spartiani Hadr. c. 4.

1. *disertum, rectum*) Ordo a Barthio est propter se-

me

me vel potissimum est. Idem C. Caluisium, contubernalem meum, amicum tuum, arcta propinquitate complectitur. Est enim filius sororis. 2
Hunc ergo rogo, semestri tribunatu splendidiorem & sibi & auunculo suo facias. Obligabis me, 3
obligabis Caluisium nostrum, obligabis ipsum, non minus idoneum debitorem, quam nos putas.
Multa beneficia in multos contulisti: ausim con- 4
tendere, nullum te melius, aeque bene vix vnum aut alterum collocasse. Vale.

V.

C. PLINIVS SPARSO SVO S.

Studium auditorii, quum recitaret orationem, comparat cum Aeschinis auditoribus Rhodiis.

Aeschinem, aiunt, petentibus Rhodiis, legisse orationem suam, deinde Demosthenis,

---

quentia, ne videatur morum integritati eloquentia praeferri. Editum erat *rectum, disertum.*

2. *semestri tribunatu*) Tot mensium hic honor erat, vt Lipsius II. de Milit. Dialogo 9. etiam ex Iuuenale Sat. VII. v. 89. ostendit. Tam breuis spatii fuit propter multitudinem ambientium, vt pluribus possit impertiri: non autem dubitandum est, quin & diuturnior aliquando fuerit, saltem bene merentibus.

Epist. V. 1. *Aeschinem*) summum oratorem, Demosthenis aemulum. Supra lib. II. ep. 3. n. 11.

Rhodiis) apud quos exsulabat conuictus & expulsus oratione Demosthenis de Corona.

orationem suam) contra Ctesiphontem, quia improbat illius decretum pro coronando Demosthene.

deinde Demosthenis) quae *de Corona* inscribitur. Materia litis erat corona, publico nomine Demostheni donata, suadente Ctesiphonte. Aeschines oratione contra Ctesiphontem id improbabat: defendit Demosthenes & vicit, vt Aeschines exsilio multaretur.

2 summis vtramque clamoribus. Quod tantorum virorum contigisse scriptis non miror, quum orationem meam proxime doctissimi homines hoc studio, hoc adsensu, hoc etiam labore per biduum audierint: quamuis hanc intentionem eorum nulla hinc & inde collatio, nullum quasi 3 certamen accenderet. Nam Rhodii cum ipsis orationum virtutibus, tum etiam comparationis aculeis excitabantur: nostra oratio sine aemulationis gratia probabatur. An merito, scies, quum legeris librum: cuius amplitudo non finit 4 me longiore epistola praeloqui. Oportet enim nos in hac certe, in qua possumus, breues esse: quo sit excusatius, quod librum ipsum, non tamen vltra caussae amplitudinem, extendimus. Vale.

VI.

C. PLINIVS NASONI SVO S.

Laurentinum, propter studiorum secretum, reliquis praediis praefert.

Tusci grandine excussi; in regione Transpadana summa abundantia, sed par vilitas

---

clamoribus) Recentes addunt, *esse probatam*, quod in Palat. cod. non apparet, nec in vett. edd. vt Ald. & aliis.

2. *orationem meam*) Marii Prisci accusationem. *Catan.* *nulla hinc & inde collatio*) sicut Aeschines fecit, qui suam & Demosthenis orationem legens collatione sic duarum orationum intentionem auditorum incitabat. *Herz.*

4. *vltra caussae*) materiae, argumenti.

Epist. VI. 1. *Tusci*) praedium ad Apennini radices, l. V. ep. 6.

Transpadana) apud Camain, vbi fundum latum possidebat.

HIM-

nuntiatur: solum mihi Laurentinum meum in reditu. Nihil quidem ibi possideo praeter te- 2
ctum & hortum, statimque arenas: solum tamen mihi in reditu. Ibi enim plurimum scribo: nec agrum (quem non habeo) sed ipsum me studiis excolo; ac iam possum tibi, vt aliis in locis horreum plenum, sic ibi scrinium ostendere. Igitur tu quoque, si certa & fructuosa praedia 3
concupiscis, aliquid in hoc littore para. Vale.

VII.

C. PLINIVS LEPIDO SVO S.

Reguli ingenium & industriam in laudando & ornando filio describit.

Saepe tibi dico, inesse vim Regulo. Mirum est quam efficiat, in quod incubuit. Placuit ei lugere filium: luget, vt nemo. Placuit statuas ei & imagines quam plurimas facere: hoc omnibus officinis agit. Illum coloribus, illum cera, illum aere, illum argento, illum auro, ebore, marmore effingit. Ipse etiam nuper, adhibito 2

Laurentinum) lib. II. epist. 17.

statimque arenas) quia in littore inferi maris ista villa.

in reditu) commodo, vtilitate.

3. *certa & fructuosa*) tempestatibus & aliis casibus non obnoxia. Talia autem sunt litterarum studia, quibus hoc littus maxime idoneum erat.

Epist. VII. 1. *Saepe tibi dico*) & aliis quoque, vt multae epistolae de Regulo supersunt. Vid. l. I. ep. 5. l. II. ep. vlt. & vbi de filii morte agit, l. IV. ep. 2.

statuas ei & imagines) illas ex marmore aut metallo: has coloribus pictas aut effictas cera.

2. *adhibito auditorio*) Vide l. II. ep. 19. n. 9. de verbo *adhibeo* notata.

ingenti auditorio, librum de vita eius recitauit: tum eumdem librum, in exemplaria transcriptum mille, per totam Italiam prouinciasque dimisit. Scripsit publice, vt a decurionibus eligeretur vocalissimus aliquis ex ipsis, qui legeret eum populo: factum est. Hanc ille vim (seu quo alio 3 nomine vocanda est intentio, quidquid velis, obtinendi) si ad potiora vertisset, quantum boni efficere potuisset? quamquam minor vis bonis, quam malis, inest, ac sicut ἀμαθία μὲν θράσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει, ita recta ingenia debilitat verecundia, peruersa confirmat au- 4 dacia. Exemplo est Regulus. Imbecillum latus, os confusum, haesitans lingua, tardissima inuentio, memoria nulla: nihil denique praeter ingenium insanum: & tamen eo impudentia ipsoque illo furore peruenit, vt a plurimis orator habea- 5 tur. Itaque Herennius Senecio mirifice Catonis illud de oratore in hunc e contrario vertit: ORATOR EST VIR MALVS, DICENDI IMPERITVS. Non, mehercule, Cato ipse tam bene 6 verum oratorem, quam hic Regulum expressit.

---

decurionibus) senatoribus municipiorum.

3. ἀμαθία μὲν) Thucydidis verba lib. II. pag. 126. oratione Periclis funebri. Latine sunt, *Insciția quidem audaciam: ratio autem cunctationem adfert.*

4. *imbecillum latus*) vid. lib. II. epist. 11. n. 15. in adnotatis.

5. *Herennius Senecio*) lib. III. epist. 11. n. 3.

Catonis illud) Quintilianus lib. XII. cap. 1. ineunte: *Sit nobis Orator, quem instituimus, is qui a M. Catone finitur VIR BONVS DICENDI PERITVS.* Hanc sententiam in Regulo Herennius inuertit.

Ha-

Habesne, quo tali epistolae parem gratiam referas? Habes, si rescripseris, num aliquis in municipio vestro ex sodalibus meis num etiam ipse tu nunc luctuosum Reguli librum, vt circulator, in foro legeris, scilicet, vt ait Demosthenes, ἐπαίρας τὴν φωνὴν καὶ γεγηθὼς, καὶ λαρυγγίζων. Est enim tam ineptus, vt risum magis possit exprimere, quam gemitum. Credas non de puero scriptum, sed a puero. Vale. 6 7

VIII.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Gratulationi de auguratu respondet, causas explicans, cur eo honore praecipue laetetur.

Gratularis mihi, quod acceperim auguratum: iure gratularis. primum, quod grauissimi

---

6. *vt circulator*) quem Seneca ep. 40. *circulantem* vocat, hoc est, circulum adstantis turbae & clamores suos audientis, facientem. Vsus sic & Sidonius lib. I. ep. II. verbo *circulatoris*, vbi Sauaronem videas.

vt ait Demosthenes) Oratione de Corona contra Aeschinem p. 520. quae Stephanus vertit: *Vocem attollens, atque exsultabundus, & verba ex gutture promens.* Sic enim prolatis verbis maiorem quidam inesse grauitatem opinantur.

7. *non de puero, sed a puero*) Egregium exemplum pro differentia harum praepositionum.

Epist. VIII. 1. *auguratum*) Splendidum sacerdotium auguratus, nec nisi summis viris conferri solitum. Horum erat de coelo obseruare, & alia religionis curare. De numero huius collegii, primum III & IV, deinde IX, tandem XV, Liuius l. X. c. 6. & 9. & Epitoma eius LXXXIX. consulatur.

grauissimi principis) Traiani, a quo hoc sacerdotium petiit. lib. X. epist. 8.

principis iudicium in minoribus etiam rebus consequi pulcrum est: deinde quod sacerdotium ipsum cum priscum & religiosum, tum hoc quo-
2 que sacrum plane & insigne est, quod non adimi-
tur viuenti. Nam cetera, quamquam dignitate propemodum paria, vt tribuuntur, sic auferun-
3 tur. In hoc fortunae hactenus licet, vt dari possit. Mihi vero etiam illud gratulatione dignum videtur, quod succesti Iulio Frontino, principi viro: qui me nominationis die per hos continuos annos inter sacerdotes nominabat, tamquam in locum suum cooptaret. quod nunc euentus ita comprobauit, vt non fortuitum videatur.
4 Te quidem, vt scribis, ob hoc maxime delectat auguratus meus, quod Marcus Tullius augur fuit. Laetaris enim, quod honoribus eius insistam,
5 quem aemulari in studiis cupio. Sed vtinam vt sacerdotium, idem & consulatum, multo etiam iuuenior quam ille, sum consequutus: ita senex saltem ingenium eius aliqua ex parte adsequi possim! Sed nimirum quae sunt in manu hominum,
6 & mihi & multis contigerunt: illud vero vt adipisci arduum, sic etiam sperare nimium est, quod dari nisi a diis non potest. Vale.

iudicium consequi) obtinere, vt Traianus optimum iudicium dicat. *Herz.*

3. *hactenus licet, vt*) Vide lib. VII. epist. 9. n. 3.

nominationis) quo sacerdotes solent nominari. Vid. supra lib. II. epist. 2. *Herz.*

videatur) a Barthio est: alii *videretur*.

5. *iuuenior*) Ita plerique codices testante Catanaeo, nec non Aldina prior: sed posteriore *iunior* expressum. Apuleius quoque l. VIII. *aetate iuuenior* dixit, vt Elmenh. & Pricaeus, & nuper Iul. Floridus ediderunt.

IX.

IX.

C. PLINIVS VRSO SVO S.

Narrat, Bassum, ex Bithynia repetundarum reum, a se defensum liberatumque esse.

Caussam per hos dies dixit Iulius Bassus, homo laboriosus & aduersis suis clarus. Accusatus est sub Vespasiano a priuatis duobus: ad senatum remissus, diu pependit: tandemque absolutus vindicatusque est. Titum timuit, vt 2
Domitiani amicus, a Domitiano relegatus est. Reuocatus a Nerua, sortitusque Bithyniam, rediit reus, accusatus non minus acriter, quam fideliter defensus: varias sententias habuit, plures tamen, quasi mitiores. Egit contra eum 3
Pomponius Rufus, vir paratus & vehemens. Rufo successit Theophanes, vnus ex legatis, princeps accusationis & origo. Respondi ego. Nam mihi Bassus iniunxerat, vt totius defensionis fundamenta iacerem: dicerem de ornamentis 4

Epist. IX. 1. *aduersis suis*) aduersis rebus, periculis, Sueton. Tit. c. 8. *inter aduersa temporum.*

ad senatum remissus) a iudicibus ordinariis. Id solebat in grauiori caussa. Vide l. II. ep. 11. n. 2. & 5.

2. *vt Domitiani amicus*) quia simultates inter Titum & Domitianum. *Suet. Tit. c. 9.*

sortitus Bithyniam) vt proconsul, l. X. ep. 64. n. 4. Sorte autem prouinciae distribuebantur.

3. *paratus*) vt quodcumque obueniret, ad ea respondere posset. Vid. lib. III. ep. 9. n. 19. *Herz.*

princeps accusationis) Ita Palatinus: alii: *princeps & fax:* quidam demunt *princeps*, & *fax* retinent. Adi Grut.

suis, quae illi & ex generis claritate & ex periculis ipsis magna erant; dicerem de conspiratione delatorum, quam in quaestu habebant; dicerem caussas, quibus factiosissimum quemque, vt illum ipsum Theophanem, offendisset. 5 Eundem me voluerat occurrere crimini, quo maxime premebatur: in aliis enim, quamuis auditu grauioribus, non absolutionem modo, 6 verum etiam laudem merebatur. Hoc illum alias onerabat, quod homo simplex & incautus quaedam a prouincialibus, vt amicis, acceperat. Nam fuerat in prouincia eadem quaestor. Haec accusatores furta ac rapinas; ipse munera voca- 7 bat; sed lex munera quoque accipi vetat. Hic ego quid agerem? quod iter defensionis ingrederer? Negarem? Verebar, ne plane furtum videretur, quod confiteri timerem. Praeterea rem manifestam infitiari, augentis erat crimen,

4. *in quaestu habebant*) quia quarta pars bonorum, de repetundis lege, accusatoribus cedebat. Vide Lipsium ad Tacit. Annal. lib. IV. c. 20. Quod in aliis etiam damnationibus fiebat. Vnde delatores *quadruplatores* dicti, vt Asconius in Diuin. Verr. pag. 26. notauit.

6. *alias onerabat*) extra proconsulatus crimina, iam fere diluta: seu ante proconsulatum ex quaestura.

vt amicis) Ita Sichard. & Gronouius: alii *amicus*.

lex munera vetat) vel Cincia de donis & muneribus, cuius Cicero de Senect. c 4. & extremo lib. I. ad Attic. mentionem fecit: vel Calpurnia, contra magistratuum auaritiam, apud Tacit. XV. c. 20. Sunt, qui legem Aciliam de repetundis intelligant, a Tullio memoratam, in Verr. II. c. 17. & III. c. 9.

non

non diluentis: praesertim quum reus ipse nihil integrum aduocatis reliquisset. Multis enim, atque etiam principi, dixerat, sola se munuscula, dumtaxat natali suo aut Saturnalibus, accepisse, & plerisque misisse. Veniam ergo peterem? 8
Iugularem reum, quem ita deliquisse concederet, vt seruari, nisi venia, non posset. Tamquam recte factum tuerer? Non illi profuissem, sed ipse impudens exstitissem. In hac difficultate placuit medium quiddam tenere. Videor tenuisse. Actionem meam, vt proelia solet, nox 9
diremit. Egeram horis tribus & dimidia; supererat sesquihora. Nam quum e lege accusator sex horas, nouem reus accepisset; ita diuiserat tempus reus inter me, & eum, qui dicturus post erat, vt ego quinque horis, ille reliquis vteretur. Mihi successus actionis silentium finemque suadebat. Temerarium est enim, secundis non esse 10

---

7. *nihil integrum*) ad excusationis aliquem fucum faciendum. *Herz.*

natali suo) Munera mitti natali die solita, ex Martiale liquet lib. VIII. epigr. 64. in Clytum; & lib. IX. epigr. 54. & X, 87. de natali Restituti.

aut Saturnalibus) Idem Martialis lib. IV. epigr. 88.

Nulla remisisti paruo pro munere dona,
Et iam Saturni quinque fuere dies.

Adde Macrob. l. I. Saturn. c. 7. sub fin.

8. *Iugularem*) praecipuo argumento adorirer reum, ipsumque conficerem. Conf. l. I. ep. 20. n. 14. *Herz.*

9. *vt proelia solet*] Nota formula historicorum: *nox proelium diremit.* Vide Hirtium B. Alex. c. 11. & 46. Liuium lib. VII. cap. 33. & XXI. c. 59. Sallust. Iugurth. 60. extr.

contentum. Ad hoc verebar, ne mox corporis vires iterato labore deficerent; quem difficilius
11 est repetere, quam iungere. Erat etiam periculum, ne reliqua actio mea & frigus, vt deposita, & taedium, vt resumta pateretur. Vt enim faces ignem assidua concussione custodiunt, dimissum aegerrime reparant; sic & dicentis calor & audientis intentio continuatione seruatur, interca-
12 pedine & quasi remissione languescit. Sed Bassus multis precibus, paene etiam lacrymis, obsecrabat, implerem meum tempus. Parui, vtilitatemque eius praetuli meae. Bene cessit: inueni ita erectos animos senatus, ita recentes, vt priore actio-
13 ne incitati magis, quam satiati viderentur. Successit mihi Lucius Albinus tam apte, vt orationes nostrae varietatem duarum, contextum vnius ha-
14 buisse credantur. Respondit Herennius Pollio instanter & graniter: deinde Theophanes rursus. Fecit enim hoc quoque, vt cetera, impudentissime, quod post duos, & consulares & disertos, tempus sibi, & quidem laxius, vindicauit. Dixit in no-
15 ctem, atque etiam nocte. inlatis lucernis. Postero die egerunt pro Basso Titius Homullus, & Fronto, mirifice: quartum diem probationes occupaue-

---

10. *ne mox deficerent*) Scriptura Palatini, Grutero teste.

repetere) nouum laborem a principiis suis ordiri difficilius est, quam priori labori aliquid iungere. *Herz.*

14. *atque etiam nocte*) Illud *nocte* abest ab Aldina & Sichardina; restat tamen in Palatino.

15. *Titius Homullus*) Lib. V. ep. 20, n. 6.

runt.

runt. Censuit Baebius Macer, consul designatus, 16
lege repetundarum Bassum teneri: Caepio His-
spo, salua dignitate, iudices dandos. Vterque
recte. Qui fieri potest, inquis, quum tam diuersa 17
censuerint? quia scilicet & Macro, legem in-
tuenti, consentaneum fuit damnare eum, qui
contra legem munera acceperat: & Caepio,
quum putaret licere senatui, sicut licet, & miti-
gare leges & intendere, non sine ratione veniam
dedit facto, vetito quidem, non tamen inusitato.
Praeualuit sententia Caepionis: quinimmo con- 18
surgenti ei ad censendum, acclamatum est, quod
solet residentibus. Ex quo potes aestimare, quan-
to consensu sit exceptum, quum diceret, quod
tam fauorabile fuit, quum dicturus videretur.
Sunt tamen, vt in senatu, ita in ciuitate, in duas 19
partes hominum iudicia diuisa. Nam quibus
sententia Caepionis placuit, sententiam Macri,
vt duram rigidamque, reprehendunt: quibus
Macri, illam alteram dissolutam atque etiam in-
congruentem vocant. Negant enim congruens
esse, retinere in senatu, cui iudices dederis. Fuit
& tertia sententia. Valerius Paullinus adsensus 20

16. *Baebius Macer*) Hic praefectus vrbis fuit, quum Hadrianus imperium susciperet. *Spartian. c. 5.*

lege repetundarum) sc. rerum: vt illa, quae Bassus acceperat, ab ipso repeterentur. *Herz.*

salua dignitate) non ademta senatoria dignitate, quam alii negabant. Vide n. 19.

iudices dandos) Vide lib. II. ep. 11. n. 2.

18. *consurgenti ei* Surgebant dicturi in senatu: quum dixissent, residebant. Infra lib. IX. ep. 13. n. 10. & Sallust. Cat. c. 53. pr. *Postquam Cato adsedit.*

Caepioni, hoc amplius censuit, referendum de Theophane, quum legationem renuntiasset. Arguebat enim multa in accusatione fecisse, quae illa ipsa lege, qua Bassum accusauerat, tenerentur. Sed hanc sententiam consules, quamquam maximae parti senatus mire probatur, non sunt persequuti. Paullinus tamen & iustitiae famam & constantiae tulit. Misso senatu Bassus, magna hominum frequentia, magno clamore, magno gaudio exceptus est. Fecerat eum fauorabilem renouata discriminum vetus fama, notumque periculis nomen, & in procero corpore moesta & squalida senectus. Habebis hanc interim epistolam vt πρόχειρον: exspectabis orationem plenam onustamque: & exspectabis diu; neque enim leuiter & cursim, vt de re tanta, retractanda est. Vale.

---

20. *referendum de Theophane*) accusandum Theophanem in senatu. Cic. I. Catil. c. 8. *Refer ad senatum.*

quum legationem renuntiasset) Legatus enim accusari iure non poterat. Vide lib. III. ep. 9. n. 31. Ceterum Sich. *legationi* legit.

21. *persequuti*) Ita Aldus: at *prosequuti* Sichard.

22. *notumque periculis*) Forensis notio, qua status reorum significatur. Cic pro Lege Man. cap. 1. *meus labor in priuatorum periculis, caste integreque versatus.* Et pro Arch. cap. 2. *persona propter otium ac studium minime in iudiciis periculisque tractata.* Adde infra lib. VI. epist. 2. n. 5.

moesta & squalida) habitus reorum. Vide Gellium lib. III. c. 4.

23. *retractanda est*) Sic lib. VIII. epist. 21. n. 6. *liber retractatus* est, secundis curis reformatus & correctus.

X.

X.

C. PLINIVS SABINO SVO S.

Heres cum Sabino factus de libertate serui, quamuis non plene scripta, ex aequitate censet.

Scribis mihi, Sabinam, quae nos reliquit heredes, Modestum seruum suum nusquam liberum esse iussisse: eidem tamen, sic adscripsisse legatum, MODESTO, QVEM LIBERVM ESSE IVSSI. Quaeris, quid sentiam? Contuli cum prudentibus. Conuenit inter omnes, nec 2
libertatem deberi, quia non sit data; nec legatum, quia seruo suo dederit. Sed mihi manifestus error videtur: ideoque puto nobis, quasi scripserit Sabina, faciendum, quod ipsa scripsisse se credidit. Confido, accessurum te sententiae meae, quum 3
religiosissime soleas custodire defunctorum voluntatem, quam bonis heredibus intellexisse pro iure est. Neque enim minus apud nos honestas, quam apud alios necessitas valet. Moretur ergo 4
in libertate, sinentibus nobis, fruatur legato, quasi omnia diligentissime cauerit. Cauit enim, quae heredes bene elegit. Vale.

Epist. X. 1. *eidem tamen*) seruo Modesto. Ita vetus editio: quod cum vestigiis Palatini conuenit. Vulgo *idem* sine sensu.

cum prudentibus) Addunt vet. ed. & vestigia Palat. *cum peritis iuris*, quae videntur ex glossa esse.

3. *pro iure est*) Adde lib. V. epist. 7. n. 2.

4. *Moretur ergo in libertate*) quam a morte dominae vsurpauerat. Sichardus, *Meretur ergo libertatem*, ex ingenio forte.

cauerit) sc. Sabina.

heredes bene elegit) aeque & benigne voluntatem testatricis interpretaturos. Hi enim sunt boni & bene electi heredes.

XI.

C. PLINIVS MINVTIANO SVO S.

Liciniani rhetoricam professionem narrat, tamquam propter incestum cum Vestali a Domitiano ad exsilium redacti.

Audistine Valerium Licinianum in Sicilia profiteri? nondum te puto audisse; est enim recens nuntius. Praetorius hic modo inter eloquentissimos caussarum actores habebatur: nunc eo decidit, vt exsul de senatore, rhetor de oratore fieret. Itaque ipse in praefatione dixit dolenter & grauiter, QVOS TIBI FORTVNA LVDOS FACIS? FACIS ENIM EX PROFESSORIBVS SENATORES, EX SENATORIBVS PROFESSORES. Cui sententiae tantum bilis, tantum amaritudinis ineſt, vt mihi videatur ideo professus, vt hoc diceret. Idem, quum Graeco pallio amictus intrasset (carent enim togae iure, quibus aqua & igni interdictum est), postquam se composuit, circumspexitque habitum suum: LATINE, inquit, DECLAMATV-

---

Epist. XI. 1. *profiteri*) docere rhetoricam.

Praetorius hic) Etiam Suetonius Domit. c. 8. *praetorium virum* dicit, quamuis non nominat.

2. *Quos tibi fortuna ludos*) Barthius Adu. XVI, 28. ex MSti vestigio: *Queis tibi, Fortuna, ludis Parcis?* id est, satis. subobscure.

3. *aqua & igni*) ciues noxii Romani ciuitate pelli de iure non poterant: quorum tamen peccata impunita relinqui non poterant, interdicebantur igni & aqua, vt his subsidiis destituti alio migrarent, ciuitatem Romanam exuerent, sicque supplicio affici possent. Conf. Briss. Select. ex iure ciuili antiquit. lib. III. c. 5, 6. *Herz.*

RVS

RVS SVM. Dices, Triſtia & miſeranda: di- 4
gnum tamen illum, qui haec ipſa ſtudia inceſti
ſcelere maculauerit. Confeſſus eſt quidem in- 5
ceſtum: ſed incertum, vtrum quia verum erat,
an quia grauiora metuebat, ſi negaſſet. Freme-
bat enim Domitianus, aeſtuabatque ingenti in-
uidia, deſtitutus. Nam quum Corneliam, ma- 6
ximam Veſtalem, defodere viuam concupiſſet, vt
qui illuſtrari ſeculum ſuum eiusmodi exemplo
arbitraretur; pontificis maximi iure, ſeu potius
immanitate tyranni, licentia domini, reliquos
pontifices non in regiam, ſed in Albanam villam

4. *Dices, triſtia*) Gronouio hic habitus orationis probatur, rectus ſane, licet Barthius c. I. repugnet. Senſus enim: *triſtia & miſeranda* ſunt, quae narras de Liciniano; *dignum tamen illum* his triſtibus & miſerandis, qui haec ipſa ſtudia inceſti ſcelere maculauerit. Ad haec reſpondet Plinius, incertum eſſe de ſcelere.

5. *ſed incertum*) Sueton c. I. *dubia etiamnum cauſſa & incertis quaeſtionibus.*

aeſtuabat ingenti inuidia,) Diſtinctio ex Aldina eſt, quacum Gronouius conferri iubet, quod mox n. 11. ſubſequitur, *Ardebat & crudelitatis & iniquitatis infamia.* Et Salluſtii eſt Catil. c. 23. *aeſtuare inuidia.*

deſtitutus) probationibus contra Licinianum.

6. *maximam Veſtalem*) Sueton. *virginem maximam*, h. e. aetate maximam. Vulgo *Maximillam* legunt, inuito Lipſio de Veſtal. c. 7. extr. & Torrentio in Sueton. c. I. Catanaeus, *Veſtalium maximam.*

defodere) quippe quae poena erat, ſi Veſtalis virgo caſtitatis pollutae argui poterat. *Herz.*

pontificis maximi) cuius erat ius in Veſtales & cognitio, ſed cum collegis ſacerdotibus. Vide Lipſ.

non in regiam) domum Pontificalem, ita dictam, quod Rex Sacrificulus ibi habitaret. *Buchn.*

in Albanam villam) ſeceſſum Domitiani in monte con-

conuocauit. Nec minore scelere, quam quod vlciscí videbatur, absentem inauditamque damnauit incesti, quum ipse fratris filiam incesto non polluisset solum, verum etiam occidisset. 7 Nam vidua abortu periit. Missi statim pontifices, qui defodiendam necandamque curarent. Illa nunc ad Vestam, nunc ad ceteros deos manus tendens, multa, sed hoc frequentissime, clamitabat: ME CAESAR INCESTAM PVTAT; QVA SACRA FACIENTE, VICIT, TRIVMPHAVIT. 8 Blandiens haec, an irridens; ex fiducia sui, an ex contemtu principis dixerit, dubium est. dixit, donec ad supplicium, nescio an innocens, certe tamquam nocens, ducta est. 9 Quin etiam, quum in illud subterraneum cubiculum demitteretur, haesisseteque descendenti stola, vertit se ac recollegit; quumque ei carnifex manum daret, auersata est, & resiluit; foe-

---

Albano, quo senatum etiam aliquando, tamquam in curiam conuocauit, quod notatur a Tacito Agric. c. 45. & Iuuenale Sat. IV. v. 145.

7. *vicit, triumphauit*) Ideo ambigua verba, quia triumphus Domitiani ex Germania falsus fuerat & derisui, vt Tacitus refert Agric. c. 39. Hinc dubium, serio an irridens haec dixerit Vestalis.

8. *an innocens, certe tamquam nocens*) Barthius Aduers. XVI, 28. inuerti iubet: nescio an *nocens, certe tamquam innocens ducta est*, quod ex parte etiam Grutero placuit. Ductam enim esse vt innocentem opinione hominum, non ob crimen suum, sed crudelitate Domitiani damnatam.

9. *recollegit*) scil. stolam. Sic supra lib. II. ep. 1. n. 5. *collegit librum. Herz.*

dum-

dumque contagium, quasi plane a casto puroque corpore, nouissima sanctitate reiecit; omnibusque numeris pudoris, πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν, εὐσχημόνως πιστεῖν. Praeterea Celer, eques Roma- 10
nus, cui Cornelia obiiciebatur, quum in comitio virgis caederetur, in hac voce perstiterat, QVID FECI? NIHIL FECI. Ardebat ergo Domi 11
tianus & crudelitatis & iniquitatis infamia. Arripit Licinianum, quod in agris suis occultasset Corneliae libertam: ille ab iis, quibus erat curae, praemonetur, si comitium & virgas pati nollet, ad confessionem confugeret, quasi ad veniam: fecit. Loquutus est pro absente Heren- 12
nius Senecio tale quiddam, quale est illud, κεῖται Πάτροκλος. Ait enim, EX ADVOCATO NVNTIVS FACTVS SVM. RECESSIT LICINIANVS. Gratum hoc Domitiano, adeo 13

---

contagium) attactum nocentem. *Herz.*

πολλὴν πρόνοιαν) *Multam cautionem adhibebat, vt honeste caderet*, i. e. nulla corporis parte detecta. Senarius Euripidis est in Hecuba de Polyxena, act. III. v. 86. Idem argumentum habes in Olympiade, Alexandri matre, apud Iustin. lib. XIV. c. 6. n. 12 & in Caesare, apud Sueton. c. 82. n. 3.

10. *in comitio virgis*) Hoc supplicium, & hic supplicii locus, quod de Vestalium stupratoribus sumebatur. Liuius l. XXII. c. 57. *Contilius, qui cum Floronia* (Vestali) *stuprum fecerat, a P. M. eo vsque virgis in comitio caesus erat, vt inter verbera exspiraret.* In comitio etiam libri damnati exurebantur. *Tacit. Agric. c. 2.*

12. κεῖται Πάτροκλος) Ex Iliad. Σ. v. 20 narratiuncula, cuius breuitatem etiam Fabius laudat lib. X. c. 1. p. 737.

Recessit Licinianus) Haec illa breuitas, quam cum qui-

quidem, vt gaudio proderetur, diceretque: ABSOLVIT NOS LICINIANVS. Adiecit etiam, NON ESSE VERECVNDIAE EIVS INSTANDVM: ipsi vero permisit, si qua posset, ex rebus suis raperet, antequam bona publicarentur; exsilium molle, velut praemium, dedit. 14 Ex quo tamen postea clementia diui Neruae translatus est in Siciliam, vbi nunc profitetur, se- 15 que de fortuna praefationibus vindicat. Vides, quam obsequenter pream tibi, qui non solum res vrbanas, verum etiam peregrinas tam sedulo scribo, vt altius repetam. Et sane putabam te, quia tunc abfuisti, nihil aliud de Liciniano audisse, quam relegatum ob incestum. Summam 16 enim rerum nuntiat fama, non ordinem. Mereor, vt vicissim, quid in oppido tuo, quid in fini-

---

Antilochi, mortem Patrocli nuntiantis, breui narratione comparat. *Recessit* autem est, sponte in exsilium profectus est.

13. *verecundiae eius instandum*) Licinianum non vrgendum in re, quam sponte fateatur. *Instare* enim *vrgere* est, vt Aeneid. l. XII. v. 371. *Non tulit instantem.*

velut praemium) quod se liberasset ab inuidia, fatendo crimen. *Catan.* Suetonius Dom. 8. *de semet professo exsilium indulsit*

14. *praefationibus*) quando Rhetor in pulpitum adscendebat, ad Declarationem habendam, praemittebat praefationem, qua sibi attentos faciebat auditores. Vid. Cresol. Theatr. Rhetor. lib. IV. c. 8. *Herz.*

vindicat) ducebat suas praefationes ab iniquitate fortunae. *Herz.*

16. *in oppido tuo*) Brixiae, ex suspicione Catanaei, cui Minutianus, ad quem scripta haec epistola, idem est qui Minutius Acilianus lib. I. epist. 14. n. 3. & 4.

timis

timis agatur (solent enim notabilia quaedam incidere) perscribas: denique quidquid voles, dummodo non minus longa epistola nunties. Ego non paginas tantum, sed etiam versus syllabasque numerabo. Vale.

XII.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Marcellini factum laudat, qui defuncti scribae residuum salarium apud se subsidere noluerit.

Amas Egnatium Marcellinum, atque etiam mihi saepe commendas: amabis magis commendabisque, si cognoueris recens eius factum. Quum in prouinciam quaestor exisset, 2
scribamque, qui sorte obtigerat, ante legitimum salarii tempus amisisset, quod acceperat scribae daturus, intellexit & statuit subsidere apud se non oportere. Itaque reuersus, Caesarem, de- 3
inde, Caesare auctore, senatum consuluit, quid fieri de salario vellet. Parua, sed tamen quaestio: Heredes scribae sibi; praefecti, aerario populo-

---

versus) Quod nos *lineas* vocamus, hoc antiqui vocabant versus, quia sic scribebant veteres, sicut aratur terra. Isidor. Orig. lib. VI. c. 13. Mar. Victorinus lib. I. art. gr. *Herz.*

Epist. XII. 2. *qui sorte obtigerat*) Prouinciae dabantur sorte, quod ex epist. 9 etiam huius libri n. 2. apparet: & praesidi quaestor sorte obtingebat, quorum amicitia *coniunctio sortis* Ciceroni dicta Diuin. in Verr. c. 19. Ex hoc autem loco discas, etiam *scribam* quaestori obtigisse sorte.

salarii) stipendii, mercedis annuae.

amisisset) morte. Vide lib. II. ep. 7. n. 3.

3. *praefecti aerario populoque*) Casaubonus supplet, *praeque*

4 que vindicabant. Acta cauſſa eſt: dixit heredum aduocatus, deinde populi: vterque percommode. Caecilius Strabo aerario cenſuit inferendum: Baebius Macer heredibus dandum. 5 Obtinuit Strabo. Tu lauda Marcellinum, vt ego ſtatim feci. Quamuis enim abunde ſufficiat illi, quod eſt & a principe & a ſenatu probatus, 6 gaudebit tamen teſtimonio tuo. Omnes enim, qui gloria famaque ducuntur, mirum in modum adſenſio & laus, a minoribus etiam profecta, delectat. Te vero Marcellinus ita reueretur, vt 7 iudicio tuo plurimum tribuat. Accedit his, quod, ſi cognouerit factum ſuum iſto vsque penetraſſe neceſſe eſt, laudis ſuae ſpatio & curſu & peregrinatione laetetur. Etenim, neſcio quo pacto, vel magis homines iuuat gloria lata, quam magna. Vale.

XIII.

C. PLINIVS CORNELIO TACITO SVO S.

Municipes ſuos hortatus, vt ſcholam inſtituant, etiam tertium ſumtus partem pollicitus; rogat Tacitum, vt praeceptores circumſpiciat.

Saluum te in vrbem veniſſe gaudeo. Veniſti autem, ſi quando alias, nunc maxime mihi

---

fecti aerarii, aerario. Sed poteſt ſubaudiri alterum, & *praefecti* abſolute vocari, ſatisque ex iis, quae ſequuntur, diſtingui. Ingrata enim repetitio. Catanaeus deleta coniunctione: *praefecti aerarii populo vindicabant*, quem Veenh. ſequutus eſt.

4. *Acta cauſſa eſt*) coram iudicibus orationibus iſta quaeſtio fuit agitata. *Herz.*

7. *iſto vsque*) Altinum, municipium Arriani, lib. deſi-

desideratus. Ipse pauculis adhuc diebus in Tusculano commorabor, vt opusculum, quod est in manibus, absoluam. Vereor enim, ne, si hanc 2
intentionem iam in finem laxauero, aegre resumam: interim ne quid festinationi meae pereat, quod sum praesens petiturus, hac quasi praecursoria epistola rogo. Sed prius accipe causas rogandi, deinde ipsum, quod peto. Proxime 3
quum in patria mea fui, venit ad me salutandum municipis mei filius praetextatus. Huic ergo, Studes? inquam. Respondit, Etiam. Vbi? Mediolani. Cur non hic? Et pater eius, (erat enim vna, atque etiam ipse adduxerat pue-

III. epist. 2. n. 2. in Venetis situm, atque sic fere in extrema Italia.

Epist. XIII. 2. *in finem laxauero*) Sic Palat. & Aldus: *in fine*, Sichardus: recentes & alterum mutarunt, *in fine intermisero*, quod haud dubie ex glossa est. *Cellar.* Potest commode accusatiuus retineri: subint. *peruenientes*. Sicut Graeci εἰς τέλος. *Herz.*

festinationi) dum festinanti mihi omne temporis punctum probe obseruandum est. *Herz.*

praecursoria) Ita Palat. & vetusta editio: Aldus *praeceptoria*, minus bene. Nam praecurtebat haec epistola in eo, quod praesens pluribus rogaturus erat.

3. *praetextatus*) puer, adolescentulus, praetexta adhuc indutus, antequam sumeret virilem togam.

Studes) Vide ad lib. II. ep. 8. n. 1.

Etiam) Adfirmantis vox. Plautus Amphitr. a. I. sc. 3. v. 46. Iup. *Numquid vis?* Alcmena respondet, *Etiam.*

Mediolani) Vetus sedes studiorum Mediolanum. Inde nomen vel municipii vel partis eius, *Notarum Athenarum*. Inscriptio Mediolanensis sub Antonino Pio apud Grut. p. 177. n. 4. AQVAE DVCTVM IN NOVIS ATHENIS COEPTVM A DIVO HADRIANO.)

rum.) Quia nullos hic praeceptores habemus.
4 Quare nullos? Nam vehementer intererat vestra, qui patres estis, (& opportune complures patres audiebant) liberos vestros hic potissimum discere. Vbi enim aut iucundius morarentur, quam in patria; aut pudicius continerentur, quam sub oculis parentum? aut minore sumtu,
5 quam domi? Quantulum est ergo, collata pecunia, conducere praeceptores? quodque nunc in habitationes, in viatica, in ea quae peregre
6 emuntur, impenditis, adiicere mercedibus? Atque adeo ego, qui nondum liberos habeo, paratus sum, pro republica nostra, quasi pro filia vel parente, tertiam partem eius, quod conferre vobis placebit, dare. Totum etiam pollicerer, nisi timerem, ne hoc munus meum quandoque ambitu corrumperetur, vt accidere multis in locis video, in quibus praeceptores publice con-
7 ducuntur. Huic vitio vno remedio occurri potest, si parentibus solis ius conducendi relinquatur, iisdemque religio recte iudicandi necessitate

---

NO PATRE SVO CONSVMMAVIT DEDICAVITQVE. Adde Cluuer. Ital. Antiqu. I, 24.

5. *quae peregre emuntur*) Catanaeus & sequaces addunt: *omnia autem peregre emuntur*. Sed nihil huius Palatinus, nec edd. Aldi & Sichardi habent.

6. *ne ambitu corrumperetur*) indignis admissis ad publica stipendia, ex ambitu, non iudicio eligentium. Remissior enim cura est, si, qui eligunt aut admittunt, de suo nihil sumtus praebent.

7. *religio*) obligatio religiosa.

necessitate) vt ipsis non aliis incumbat munus constituendi praeceptores. *Herz.*

colla-

collationis addatur. Nam qui fortasse de alieno negligentes, certe de suo diligentes erunt: dabuntque operam, ne eam a me pecuniam non, nisi dignus, accipiat, si accepturus & ab ipsis erit. Proinde consentite, conspirate, maioremque animum, ex meo sumite, qui cupio esse quam plurimum, quod debeam conferre. Nihil honestius praestare liberis vestris, nihil gratius patriae poteſtis. Edoceantur hic, qui hic nascuntur, statimque ab infantia natale solum amare, frequentare consuescant. Atque vtinam tam claros praeceptores inducatis, vt a finitimis oppidis studia hinc petantur! vtque nunc liberi vestri aliena in loca, ita mox alieni in hunc locum confluant. Haec putaui altius & quasi a fonte repetenda; quo magis scires, quam gratum mihi foret, si susciperes, quod iniungo. Iniungo autem, & pro rei magnitudine rogo, vt ex copia studiosorum, quae ad te ex admiratione ingenii tui conuenit, circumspicias praeceptores, quos sollicitare possimus: sub ea tamen conditione, ne cui fidem meam obstringam. Omnia enim libera parentibus seruo. Illi iudicent, illi eligant: ego mihi curam tantum & impendium

8 9 10 11

9. *maioremque animum*) Magnitudo animi est, honestos sanctus facere, & ad publicam vtilitatem conferre.

quam plurimum) sc. aeris pondus ad alendos vestros praeceptores, quam plurimum esse cupio: sic enim & vos non parum dabitis. *Herz.*

11. *ex copia studiosorum*) Aldus, Sich. & alii *studiorum*, per metonymiam.

vim-

22 vindico. Proinde si quis fuerit repertus, qui ingenio suo fidat, eat illuc ea lege, vt hinc nihil aliud certum, quam fiduciam suam ferat. Vale.

XIV.

C. PLINIVS PATERNO SVO S.

Hendecasyllabos, quorum lasciuiam excusat, iudicio Paterni submittit.

Tu fortasse orationem, vt soles, & flagitas & exspectas: at ego, quasi ex aliqua peregrina delicataque merce, lusus meos tibi prodo. 2 Accipies cum hac epistola hendecasyllabos nostros: quibus nos in vehiculo, in balineo, inter 3 coenam oblectamus otium temporis. His iocamur, ludimus, amamus, dolemus, querimur, irascimur: describimus aliquid modo pressius, modo elatius: atque ipsa varietate tentamus efficere, vt alia aliis, quaedam fortasse omnibus 4 placeant. Ex quibus tamen si nonnulla tibi paullo petulantiora videbuntur, erit eruditionis tuae cogitare, summos illos & grauissimos viros, qui talia scripserunt, non modo lasciuia rerum, sed ne verbis quidem nudis abstinuisse. quae

12. *fiduciam*) nihil aliud certum sit, quod ipse secum adferat, quam fiduciam, qua ingenio fidit. *Herz.*

Epist. XIV. 1 *peregrina*) quia Plinius poesi, non nisi raro, studebat. Conf. lib. VII. ep. 9. *Herz.*

lusus meos) epigrammata, iocos & lusus complexa.

2. *hendecasyllabos*) Vide lib. VII. ep. 4.

3. *elatius*) Ita Catanaeus: *altius* Ald. & Sich.

4. *petulantiora*) lasciuiora.

grauissimos viros) quorum multos nominat lib. V. epist. 3. n 5.

verbis nudis) obscenis, turpibus.

nos refugimus, non quia feueriores (vnde enim?) sed quia timidiores sumus. Scimus alioqui huius opusculi illam esse verissimam legem, quam Catullus expressit,

Nam cassum esse decet pium poetam
Ipsum, versiculos nihil necesse est:
Qui tunc denique habent salem & leporem,
Si sunt molliculi & parum pudici.

Ego quanti faciam iudicium tuum, vel ex hoc potes aestimare, quod malui omnia a te pensitari, quam electa laudari. Et sane quae sunt commodissima, desinunt videri, quum paria esse coeperunt. Praeterea sapiens subtilisque lector debet non diuersis conferre diuersa, sed singula expendere, nec deterius alio putare, quod est in suo genere perfectum. Sed quid ego plura? Nam longiore praefatione vel excusare vel commendare ineptias, ineptissimum est. Vnum illud praedicendum videtur, cogitare me has nugas meas ita inscribere, HENDECASYLLABI, qui titulus sola metri lege constringitur. Proinde siue epigrammata, siue idyllia, siue eclogas, siue (vt multi) poemata, seu quod aliud vocare malueris, licebit voces; ego tantum hendeca-

5. *Catullus expressit*) Epigrammate 16. ad Aurelium & Furium.

Qui tunc denique) qui non videntur lectoribus elegantes & politi esse, nisi sint lasciuiores. Morem ergo seculi corruptum taxat.

6. *electa*) versus quosdam ex integro carmine electos. *Herz.*

7. *alio*) ex Palatino est; editi variant.

10 syllabos praesto. A simplicitate tua peto, vt, quod de libello meo dicturus es aliis, mihi dicas. neque est difficile, quod postulo. nam si hoc opus nostrum aut potissimum esset aut solum, fortasse posset durum videri dicere, QVAERE, QVOD AGAS: molle & humanum est, HABES, QVOD AGAS. Vale.

XV.

C. PLINIVS FVNDANO SVO S.

Futuro consuli, vt auguratur, Asinium, tamquam eius quaestorem futurum, commendat.

Si quid omnino, hoc certe iudicio facio, quod Asinium Rufum singulariter amo. Est homo eximius & bonorum amantissimus. Cur enim non me quoque inter bonos numerem? Idem Cornelium Tacitum (scis quem virum) arcta fa-

---

10. *A simplicitate*) sinceritate. Vide & lib. III. epist. 4. extr.

si hoc opus nostrum) Muretus Var. Lect. XVI, 12. restituit: vulgo *opusculum*, quod in peregrinam interpretationem Catanaeum induxit.

Quaere, quod agas) Horum, & quae antecedunt, verborum optimus interpres Muretus c. l. Hoc, inquit, dicit Plinius, nihil esse causae, cur vereatur Paternus, libere aperire sententiam suam, etiamsi forte hendecasyllabos illos non satis probet. *Nam si hoc opus nostrum aut potissimum esset, aut solum*, i. e. si poetae praecipue nomine censeri vellem; *fortasse posset durum videri dicere, Quaere, quod agas*, h. e. quaere aliud studium, in quo te exerceas, nam ad hoc parum aptus es.

Molle & humanum est) quum aliud studium mihi praecipuum habeam, nempe eloquentiae, *Habes, quod agas:* poeticam laudem aliis relinque, & vrge studium tuum.

milia-

miliaritate complexus est. Proinde si vtrumque 2
nostrum probas, de Rufo quoque necesse est
idem sentias, quum sit ad connectendas amici-
tias vel tenacissimum vinculum, morum simili-
tudo. Sunt ei liberi plures. Nam in hoc quo- 3
que functus est optimi ciuis officio, quod foe-
cunditate vxoris large frui voluit eo seculo, quo
plerisque etiam singulos filios orbitatis praemia
graues faciunt: quibus ille despectis, aui quo-
que nomen adsumsit. Est enim auus, & quidem
ex Saturio Firmo, quem diliges vt ego, si, vt ego,
propius inspexeris. Haec eo pertinent, vt scias, 4
quam copiosam, quam numerosam domum vno
beneficio fis obligaturus: ad quod petendum,
voto primum, deinde bono quodam omine ad-
ducimur. Optamus enim tibi ominamurque in 5
proximum annum consulatum. Ita nos virtu-
tes tuae, ita iudicia principis augurari volunt.
Concurrit autem, vt sit eodem anno quaestor, 6
maximus ex liberis Rufi, Asinius Bassus, iuuenis,
(nescio an dicam, quod me pater & sentire & di-
cere cupit, adolescentis verecundia vetat) ipso

Epist. XV. 2. *morum similitudo*) Nota sententia, etiam ex contrario demonstrata, quod *morum dissimilitudo dis-societ amicitias*. Cic. Amic. cap. 20.

singulos filios orbitatis praemia) Vitium seculi notat, quo maluerunt liberis parentes carere, vt a captatoribus eo largioribus officiis & muneribus colerentur. Vide Iuuenal. Satyr. IV. v. 18. V. v. 137. seq. VI. v. 39.

5. *iudicia principis*) Traiani, honores dignis & merentibus conferentis.

6. *maximus*) maximus natu.

7 patre melior. Difficile est, vt mihi de absente credas, quamquam credere soles omnia, tantum in illo industriae, probitatis, eruditionis, ingenii, studii, memoriae denique esse, quantum expertus 8 inuenies. Vellem tam ferax seculum bonis artibus haberemus, vt aliquos Basso praeferre deberes: tum ego te primus hortarer moneremque, circumferres oculos, ac diu pensitares, quem 9 potissimum elegeris. Nunc vero: sed nihil volo de amico meo arrogantius dicere: hoc solum dico, dignum esse iuuenem, quem more 10 maiorum in filii locum adsumas. Debent autem sapientes viri, vt tu, tales quasi a repub. liberos accipere, quales a natura solemus optare. Decorus erit tibi consuli quaestor patre praetorio, propinquis consularibus: quibus, iudicio ipsorum, quamquam adolescentulus adhuc, iam ta- 11 men inuicem ornamento est. Proinde indulge precibus meis, obsequere consilio, & ante omnia, si festinare videor, ignosce: primum quia votis suis amor plerumque praecurrit: deinde quod in ea ciuitate, in qua omnia quasi ab occupantibus aguntur, quae legitimum tempus exspectant,

---

7. *expertus inuenies*) Futilis sensus Barthio. Ideo pro *inuenies*, legi vult *vix credes*.

9. *Nunc vero*:) Reticentiae figura. Veenhusius *Hunc* scribendum suspicatur, vt melius cohaereat.

more maiorum in filii locum) Cicero Diuinat. in Verr. c. 19. *Sic a maioribus nostris accepimus, praetorem quaestori suo parentis loco esse oportere.* Adde eumdem l. XIII. fam. epist. 10. principio, vbi quidem de prouinciali quaestore agitur, sed par ratio est vrbani.

11. *legitimum tempus*) quo iam consul designatus non

non matura, sed sera sunt: in summa, quod rerum, quas adsequi cupias, praesumtio ipsa iucunda est. Reuereatur iam te Bassus vt consulem: tu dilige eum vt quaestorem: nos denique, vtriusque vestrum amantissimi, duplici laetitia perfruamur. Etenim quum sic te, sic Bassum diligamus, vt & illum cuiuscumque, & tuum quemcumque quaestorem in petendis honoribus omni opera, omni labore, gratia simus iuuaturi; perquam iucundum nobis erit, si in eumdem iuuenem studium nostrum, & amicitiae meae & consulatus tui ratio contulerit: si denique precibus meis tu potissimus adiutor accesseris, cuius senatus & suffragio libentissime indulgeat, & testimonio plurimum credat. Vale. 12 13

XVI.

C. PLINIVS VALERIO PAVLLINO SVO S.

Hortatur ad studium, quum sit litteris adhuc honor.

Gaude meo, gaude tuo, gaude etiam publico nomine. Adhuc honor studiis durat. Proxime, quum dicturus apud centumuiros essem, adeundi mihi locus, nisi a tribunali, nisi per ipsos

aut renuntiatus esset. Sed verendum erat, ne, si tum demum commendaret, quaestura praeoccupanti cessisset.

12. *duplici laetitia*) & te nactum esse bonum quaestorem: & illum vti te optimo consule.

13. *iuuaturi*) Ita omnes libri. *Iutum* quidem Supinum formatur, vnde *iutus* Particip. apud Tacit. lib. XIV. c. 4. n. 1; sed tamen etiam altera forma inuenitur, vnde *iuuaturum* est apud Sallust. Iug. c. 47. & *adiuuaturus* apud Frontinum Aquaeduct. p. 225. ed. Keuch. & *adiuuaturus*, Petron. p. 63.

Epist. XVI. 1. *nisi a tribunali*) Iudicibus ergo a tergo

iudices, non fuit: tanta ſtipatione cetera tene-
2 bantur. Ad hoc quidam ornatus adoleſcens, ſciſſis tunicis, vt in frequentia ſolet, ſola velatus toga perſtitit, & quidem horis ſeptem. Nam tamdiu dixi, magno cum labore, ſed maiore cum-
3 fructu. Studeamus ergo, nec deſidiae noſtrae praetendamus alienam. Sunt qui audiant, ſunt qui legant: nos modo dignum aliquid auribus, dignum chartis elaboremus. Vale.

XVII.

C. PLINIVS GALLO SVO S.

Admonitus a Gallo, Corelliae ſuam operam contra deſignatum conſulem pollicetur, idque propter Corellii patris in ſe merita, quae praedicat.

Et admones & rogas, vt ſuſcipiam abſentis Corelliae cauſſam contra C. Caecilium, conſulem deſignatum. Quod admones, gratias ago: quod rogas, queror. Admoneri enim debeo, vt ſciam: rogari non debeo, vt faciam, quod
2 mihi non facere turpiſſimum eſt. An ego tueri Corellii filiam dubitem? Eſt quidem mihi cum iſto, contra quem me aduocas, non plane fami-

---

acceſſus: quod a fronte aditus, quo & aduocati vtebantur, multitudine audientium obſeptus tum erat.

3. *praetendamus alienam*) excuſemus auditorum & aeſtimantium infrequentia, quum ſecus ſe res habeat, ſi doctior aliquis peroret aut recitet.

Epiſt. XVII. 1. *Corelliae*) filiae Corellii Rufi, de cuius vita & obitu lib. I. epiſt. 12. poteſt repeti

2. *contra quem me aduocas*) in patrocinium Corelliae. *Aduocare* enim Latine eſt fautores conquirere, patronos ſeu aduocatos colligere. Vide Gronouium ad

liari-

liaritas, sed tamen amicitia. Accedit huc dignitas hominis, atque hic ipse, cui destinatus est, honor: cuius nobis hoc maior agenda reuerentia est, quod iam illo functi sumus. Naturale est enim cuique, vt ea, quae quis adeptus est, ipsa quam amplissima existimari velit. Sed mihi cogitanti, adfuturum me Corellii filiae, omnia ista frigida & inania videntur. Obuersatur oculis ille vir, quo neminem aetas nostra grauiorem, sanctiorem, subtiliorem denique tulit: quem ego, quum ex admiratione diligere coepissem, quod euenire contra solet, magis admiratus sum, postquam penitus inspexi. Inspexi enim penitus: nihil a me illi secretum, non ioculare, non serium, non triste, non laetum. Adolescentulus eram, & iam mihi ab illo honor, atque etiam (audebo dicere) reuerentia, vt aequali, habebatur. Ille meus in petendis honoribus 3 4 5 6

Senecae I. de Clem. c. 9. praeclare id, vt omnia solet, interpretantem.

non plane familiaritas) Notes hinc, gradus amicitiae discernere.

3. *cui destinatus est, honor*) consulatus.

4. *adfuturum*) Vide I. I. ep. 5. n. 5. & hac epistola n. 11.

frigida & inania) infirma & inefficacia ad deterrendum a suscipienda Corelliae defensione.

ille vir, quo neminem) Repete lib. I. epist. 12.

tulit) Dixi ad lib. I. epist. 13. n. 1.

penitus inspexi) lib. I. ep. 10. n. 2. *penitus & domi inspexi*.

5. *nihil a me illi secretum*) scilicet *fuit*. Dandi casus *illi* ex Barthii ingenio est: vulgatum *ille*, vbi *habuit* cum Catanaeo subaudiendum. Sed pronius *fuit*, quam *habuit*, subauditur.

suffragator & testis; ille in inchoandis deductor & comes; ille in gerendis consiliator & rector; ille denique in omnibus officiis nostris, quamquam & imbecillus & senior, quasi iuuenis & 7 validus conspiciebatur. Quantum ille famae meae domi, quantum in publico, quantum etiam 8 apud principem adstruxit? Nam quum forte de bonis iuuenibus apud Neruam imperatorem sermo incidisset, & plerique me laudibus ferrent, paullisper se intra silentium tenuit, quod illi plurimum auctoritatis addebat; deinde grauitate, quam noras, Necesse est, inquit, parcius laudem Secundum, quia nihil nisi ex consilio meo facit. 9 Qua voce tribuit mihi, quantum petere voto immodicum erat: nihil me facere non sapientissime, quum omnia ex consilio sapientissimi viri facerem. Quin etiam moriens, filiae suae, (vt ipsa solet praedicare) Multos quidem amicos, inquit, tibi in longiore vita parauí, praecipuos ta- 10 men, Secundum & Cornutum. Quod tum recordor, intelligo mihi laborandum, ne qua parte

6. *suffragator & testis*) lib. I. ep. 12. n. 12. & lib. III. ep. 20. n. 5.

deductor) in locum, vbi suscipiebantur honores, & auspicium eorum fieret.

quasi iuuenis) Hinc doluit etiam ipsius morte *tamquam iuuenis*, non tamquam senis, lib. I. ep. 12. n. 12.

7. *famae meae adstruxit*) auxit existimationem mei cum apud suos, tum in publico, tum apud principem.

9. *sapientissimi viri*) Inspice lib. IX. ep. 13. n. 6.

in longiore vita) Impleuerat enim annum LXVII, vt noster saepe laudata epistola de morte eius testis est.

& *Cornutum*) Vide lib. V. epist. 15.

videar

videar hanc de me fiduciam prouidentissimi viri desituisse. Quare ego vero Corelliae adero 11
promtissime; nec subire offensas recusabo: quamquam non solum veniam me, verum etiam laudem apud istum ipsum, a quo, vt ais, noua lis fortasse, vt feminae, intenditur, arbitror consequuturum, si haec eadem in actione, latius scilicet & vberius, quam epistolarum angustiae sinunt, contigerit mihi vel in excusationem, vel etiam in commendationem meam dicere. Vale.

XVIII.

C. PLINIVS ANTONINO SVO S.

Antonini epigrammata Graeca laudat, ex quibus Latine se, sed impari successu, conuertisse dicit.

Quemadmodum magis approbare tibi possum, quantopere mirer epigrammata tua Graeca, quam quod quaedam aemulari Latine & exprimere tentaui? In deterius quidem accidit hoc; primum imbecillitate ingenii mei, deinde inopia, vel potius, vt Lucretius ait, egestate

---

11. *Quare ego vero*) Relege, quae ad lib. III. epist. 8. n. 4. notauimus, vbi eadem formula occurrebat.

vt feminae) quae se nesciat defendere: vel *noua lis*, quia priuilegiis quibusdam muniuntur feminae. *Catan.*

Epist. XVIII. 1. *In deterius quidem*) Hoc *quidem* est ex MSS. & vett. edd. Recentes *tamen*

inopia, vel potius) Grauior *egestas*, quam paupertas & inopia. Senec. epist. 58. ineunte: *Quanta verborum vobis paupertas, immo egestas sit.* Idem epist. 17. *Non est, quod paupertas nos a philosophia reuocet: ne egestas quidem.*

vt Lucretius ait) lib. I. v. 832

2 patrii sermonis. Quod si haec, quae sunt Latina, & mea, habere tibi aliquid venustatis videbuntur, quantum putas inesse eis gratiae, quae & a te, & Graece, proferuntur? Vale.

XIX.

C. PLINIVS HISPVLLAE SVAE S.

Vxoris ingenium & mores, soceri fororis, quae educauerat, mirifice laudat & gratias agit.

Quum sis pietatis exemplum, fratremque optimum, & amantissimum tui, pari caritate dilexeris, filiamque eius, vt tuam, diligas, nec tantum amitae eius, verum etiam patris amissi adfectum repraesentes; non dubito, maximo tibi gaudio fore, quum cognoueris, dignam patre, dignam te, dignam auo euadere.
2 Summum est acumen, summa frugalitas: amat me, quod castitatis indicium est. Accedit his studium litterarum, quod ex mei caritate concepit. Meos libellos habet, lectitat, ediscit etiam.
3 Qua illa sollicitudine, quum videor acturus, quanto, quum egi, gaudio adficitur? Disponit, qui nuntient sibi, quem adsensum, quos clamores excitarim, quem euentum iudicii tulerim. Ea-

---

Epist. XIX. *Hispullae*) Corellii, proxima epistola 17. laudati, viduae. Adde lib. I. ep. 12. n. 9.
pietatis) adfectionis erga fratrem & cognatos.
filiamque eius) Calpurniam, vxorem nostri Plinii.
patris amissi] mortui. Vide ad lib. II. epist. 7. num. 3
3. *Disponit*) Mittit per interualla.
quos clamores) applausus, gratulationes.

dem,

dem, si quando recito, in proximo, discreta velo, sedet, laudesque nostras auidissimis auribus excipit. Versus quidem meos cantat formatque 4
cithara, non artifice aliquo docente, sed amore, qui magister est optimus. His ex caussis in spem 5
certissimam adducor, perpetuam nobis maioremque in dies futuram esse concordiam. Non enim aetatem meam, aut corpus, quae paullatim occidunt ac senescunt, sed gloriam diligit. Nec 6
aliud decet tuis manibus educatam, tuis praeceptis institutam: quae nihil in contubernio tuo viderit, nisi sanctum honestumque: quae denique amare me ex tua praedicatione consuuerit. Nam quum matrem meam parentis loco venerarere; me quoque a pueritia statim formare, laudare, talemque, qualis nunc vxori meae videor, ominari solebas. Certatim ergo tibi gratias agimus: ego, quod illam mihi: illa, quod me sibi dederis, quasi inuicem delegeris. Vale. 7 8

---

si quando recito) nouum a me confectum librum amicis praelego. Lege, quae ad lib. I. epist. 13. num. 1. diximus.

discreta velo) secluſa ab aliis auditoribus, ne ab illis videatur.

7. *venerarere*; *me quoque*) Casaubonus correxit, approbante Grutero. Vulgatum: *venerere*, *meque*. Sed Ald. & Sich. nec *que*, nec *quoque* agnoscunt: Sichardus insuper *a puero*, non *a pueritia*.

XX.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Generaliter de libris Maximi cum laude eorumdem iudicat.

Quid senserim de singulis libris tuis, notum tibi, vt quemque perlegeram, feci. Accipe nunc, quid de vniuersis generaliter iudicem. 2 Est opus pulcrum, validum, acre, sublime, varium, elegans, purum, figuratum, spatiosum etiam, & cum magna tua laude diffusum. In quo tu ingenii simul dolorisque velis latissime vectus es, & horum vtrumque inuicem adiumento fuit. 3 Nam dolori sublimitatem & magnificentiam ingenium; ingenio vim & amaritudinem dolor addidit. Vale.

XXI.

C. PLINIVS VELIO CEREALI SVO S.

Heluidias sorores, a partu exstinctas, deflet.

Tristem & acerbum casum Heluidiarum sororum! Vtraque a partu, vtraque filiam enixa decessit. Adficior dolore, nec tamen supra 2 modum doleo. Ita mihi luctuosum vide-

---

Epist. XX. *Maximo*) postea Achaiae praefecto, lib. VIII. epist. VI.

2. *velis latissime vectus*) indulsisti ingenio & dolori. Ouidius Fast. III. v. 700. ad Bacchum:

Et des ingenio vela secunda meo.

3. *vim & amaritudinem*) vt in satyris solet, vbi vitia taxantur.

Epist. XXI. 1. *Heluidiarum*) filiarum Heluidii iunioris, a Domitiano interfecti. Vide ad l. III. ep. 11. n. 3. notata.

2. *Ita mihi*) Mauult *Id* Thomasius.

tur

tur, quod puellas honestissimas in flore primo foecunditas abstulit. Angor infantium sorte, quae sunt parentibus statim, & dum nascuntur, orbatae. Angor optimorum maritorum, angor etiam meo nomine. Nam patrem illarum defun- 3
ctum quoque perseuerantissime diligo, vt actione mea, librisque testatum est: cui nunc vnus ex tribus liberis supereſt, domumque pluribus adminiculis paullo ante fundatam, desolatus fulcit ac sustinet. Magno tamen fomento dolor meus 4
adquiesceret, si hunc saltem fortem & incolumem, paremque illi patri, illi auo fortuna seruauerit. Cuius ego pro salute, pro moribus, hoc sum magis anxius, quod vnicus factus est. Nosti in amo- 5
re mollitiem animi mei, nosti metus. Quo minus te mirari oportebit, quod plurimum timeam, de quo plurimum spero. Vale.

---

3. *patrem illarum*) Iam dixi ad n. 1. huius epistolae. Adde lib. IX. ep. 3. n. 3.

actione mea, librisque actione, contra Publicum Certum, cuius adulatione Heluidius perierat: libris, de Heluidii vltione compositis. Lege lib. IX. epist. 13. iam laudatam.

4. *fortem*) bene valentem. Supra ad epist. 1. extr. huius libri diximus.

illi auo) Heluidio Prisco, qui sub Vespasiano periit. *Sueton. c.* 15.

pro moribus) quia adhuc adolescens erat.

XXII.

C. PLINIVS SEMPRONIO RVFO SVO S.

Narrat, in consilio Traiani de Viennensium agone Iunium Mauricum non minus grauiter censuisse, quam antea in coena Neruae.

Interfui principis optimi cognitioni, in consilium adsumtus. Gymnicus agon apud Viennenses, ex cuiusdam testamento, celebrabatur. Hunc Trebonius Rufinus, vir egregius nobisque amicus, in duumuiratu suo tollendum abolendumque curauit. Negabatur ex auctoritate publica fecisse. Egit ipse caussam non minus feliciter quam diserte. Commendabat actionem, quod tamquam homo Romanus & bonus ciuis in negotio suo mature & grauiter loquebatur.

Epist. XXII. 1. *principis optimi*) Traiani, cuius hoc proprium cognomen erat. *Panegyr.* c. 88.

cognitioni) cognoscere in foro dicebatur, quando lis aliqua a iudice in examen vocabatur. *Herz.*

Gymnicus agon) ludi, spectaculum, certamen, quo athletae depugnabant.

apud Viennenses) Vienna Galliae antiqua ciuitas ad Rhodanum.

in duumuiratu) Duumuiri in municipiis & coloniis erant inter decuriones, quod consules aut praetores Romae inter senatores. De municipiis vide Caes. Bell. Ciu. lib. I. c. 30. pr. De coloniis Cic. II. Agrar. 34. *Quum ceteris in coloniis Duumuiri appellentur, hi* (Capuani) *se praetores appellari volebant.* Vide & Sigon. de Iure Ital. III. c. 4. Vienna autem colonia erat, Plin. H. N. lib. III. c. 4.

2. *ex auctoritate publica*) consensu decurionum.

Quum

Quum sententiae rogarentur, dixit Iunius Mau- 3
ricus (quo viro nihil firmius, nihil verius)
non esse restituendum Viennensibus agona: ad-
iecit, VELLEM ETIAM ROMAE TOLLI
POSSET. Constanter, inquis, & fortiter. Quidni?
Sed hoc Maurico notum non est. Idem apud 4
Neruam imperatorem non minus fortiter. Coena-
bat Nerua cum paucis. Veiento proximus, atque
etiam in sinu recumbebat. Dixi omnia, quum
hominem nominaui. Incidit sermo de Catullo 5

3. *Iunius Mauricus*) De quo lib. I. epist. 5. n. 10. dictum est.

Vellem etiam Romae) quia inficiuntur ludis his mores ciuitatis. Luxus enim augetur, otium alitur, praesertim si saepius repetuntur, vt ludi funebres erant, quorannis iterandi, de quibus nostrum Catanaeus interpretatur. Adde Leg. 16. Dig. de vsu & vsufr.

4. *Veiento proximus*) Fabricius Veiento, a Nerone Italia pulsus propter probrosos libellos. Tacit. XIV. c. 50.

in sinu) cubando nempe seque sinistra manu fulciendo, dum cibum capiebant veteres; qui proxime accumbebat, tergo obuerso in alterius sinu quasi recumbere videbatur. *Herz.*

quum hominem nominaui) Reprehensionis verba sunt, non laudis, quia pessimus Veiento, ideoque non semel notatus a Iuuenale Satyr. III. v. 185. & VI. v. 113. *Cellar.* Vult igitur Plinius, quod Veientus hic multis describendus non sit, quia satis notus sit, & sic tantum nominandus. *Herz.*

5. *de Catullo Messallino*) Libyae rector sub Vespasiano fuit, cuius, & Titi successoris clementia abusus, multa crudelia commisit, vt Iosephus extremo lib. VII. de B. Iud. memorauit. Sub Domitiano grauior, tandem morbo insanabili correptus, misere inter animi corporisque cruciatus periit vt idem Iosephus c. I. adiecit.

Messal-

Messallino, qui, luminibus orbatus, ingenio saeuo mala coecitatis addiderat. Non verebatur, non erubescebat, non miserebatur. Saepius a Domitiano non secus ac tela, quae & ipsa coeca & improuida feruntur, in optimum quemque
6 contorquebatur. De eius nequitia sanguinariisque sententiis in commune omnes super coenam loquebantur: tum ipse imperator, QVID PVTAMVS PASSVRVM FVISSE, SI VERET? & Mauricus, NOBISCVM COENARET. Longius abii, libens tamen. Placuit agona tolli, qui mores Viennensium infecerat, vt noster hic omnium. Nam Viennensium vitia intra ipsos residunt, nostra late vagantur. Vtque in corporibus sic in imperio, grauissimus est morbus, qui a capite diffunditur. Vale.

XXIII.

C. PLINIVS POMPONIO BASSO SVO S.

Laudat Pomponium, sapienter otio in senectute vsum: sibique similem aliquando quietem optat.

Magnam cepi voluptatem, quum ex communibus amicis cognoui, te, vt sapientia tua

---

6. *Nobiscum coenaret*) Haec illa libertas Maurici, qua Neruae familiaritatem cum Veientone festiue castigauit. Veiento enim & Messallinus eiusdem fere ingenii erant. Quod etiam Iuuenalis Sat. IV. v. 113. ostendit:

Et cum mortifero prudens Veiento Catullo.

Prudens, i. e. callidus, astute seruiens temporibus.

7. *vt noster hic*) agon gymnicus.

nostra late vagantur) quia ab aula & metropoli exemplum petunt aliae ciuitates, quod imitentur. Atque sic aeque, vel magis etiam, vitia quam virtutes diffunduntur.

dignum

dignum est, disponere otium & ferre, habitare amoenissime, & nunc terra, nunc mari corpus agitare; multum disputare, multum audire, multum lectitare: quumque plurimum scias, quotidie tamen aliquid addiscere. Ita senescere 2
oportet virum, qui magistratus amplissimos gesserit, exercitus rexerit, totumque se reipublicae, quamdiu decebat, obtulerit. Nam & prima vi- 3
tae tempora & media patriae, extrema nobis impertire debemus, vt ipsae leges monent, quae maiorem annis LX otio reddunt. Quando mihi 4
licebit? quando per aetatem honestum erit imitari istud pulcerrimae quietis exemplum? quando secessus mei non desidiae nomen, sed tranquillitatis accipient? Vale.

Epist. XXIII. 1. *otium & ferre*) Otium ferimus, vt fortunam prosperam, si recte vtimur. Sulpicius Ciceroni IV, 5. *pulcerrime ferre secundam fortunam.*

habitare amoenissime) in amoeno littore, in villa littorali. Sic, *bene habitauit*, Nepos Attico c. 13.

quotidie tamen aliquid addiscere) Nunquam cessandum a studiis: quod nec possunt, qui vere gustauerunt, quanta in iis dulcedo insit.

3. *extrema*) senectutis tempora.

maiorem annis LX) Ab hoc enim tempore incipiebat excusatio aetatis, & liberum cuique erat, vel publicis interesse, vel in otium honestum secedere.

4. *quando per aetatem*) quia iunior adhuc Plinius erat. Conferas velim lib. III. epist. 1. sub fin.

XXIV.

XXIV.

C. PLINIVS VALENTI SVO S.

De fragilitate humana queritur, quum nullos in quadruplici iudicio, quos iuuenis habuerat, socios vidisset.

Proxime quum apud centumuiros in quadruplici iudicio dixissem, subiit recordatio, egisse
2 me iuuenem aeque in quadruplici. Processit animus, vt solet, longius: coepi reputare, quos in hoc iudicio, quos in illo socios laboris habuissem. Solus eram, qui in vtroque dixissem: tantas conuersiones aut fragilitas mortalitatis, aut
3 fortunae mobilitas facit. Quidam ex iis, qui tunc egerant, decesserunt; exsulant alii; huic aetas & valetudo silentium suasit; hic sponte beatissimo otio fruitur; alius exercitum regit; illum ciuilibus officiis principis amicitia exemit.
4 Circa nos ipsos quam multa mutata sunt? Studiis processimus: studiis periclitati sumus: rursusque

---

Epist. XXIV. 1. *in quadruplici iudicio*) Supra lib. I. epist. 18. n. 3. expositum.

2. *qui in vtroque*) Nullius vel aetas vel fortuna permiserat, vt in altero etiam seu proximo iudicio adesse Plinio potuerit.

3. *aetas & valetudo*) senectus, quae tum liberam habet vacationem, tum saepe necessariam, ex imbecilla valetudine, quae hanc aetatem premit. Hanc aetatis vacationem noster sibi optat lib. III. epist. 1. n. 11. & 12.

principis amicitia exemit) Aulae munera a foro & iudiciis abstraxerant.

4. *studiis periclitati*) sub Domitiano, cui inuisi erant omnes doctiores. *Tacit. Agr.* 2.

rursusque) sub Nerua & Traiano processimus vterque in lucem reipublicae;

pro-

processimus. Profuerunt nobis bonorum amicitiae, & obfuerunt, iterumque prosunt. Si computes annos, exiguum tempus: si vices rerum, aetatum putes. Quod potest esse documento, nihil desperare, nulli rei fidere, quum videamus, tot varietates tam volubili orbe circumagi. Mihi autem familiare est, omnes cogitationes meas tecum communicare, iisdemque te vel praeceptis vel exemplis monere, quibus ipse me moneo: quae ratio huius epistolae fuit. Vale.

XXV.

C. PLINIVS MESSIO MAXIMO SVO S.

Narrat euenisse, quod (I. III. ep. 20.) *de tabellaria lege praedixerat: & in scurriliter ludentes inuehitur.*

Scripseram tibi, verendum esse, ne ex tacitis suffragiis vitium aliquod exsisteret: factum est. proximis comitiis, in quibusdam tabellis multa iocularia, atque etiam foeda dictu: in vna vero pro candidatorum nominibus, suffragatorum nomina inuenta sunt. Excanduit senatus, magnoque clamore ei, qui scripsisset, ira-

5 6 7 2

---

5. *& obfuerunt*) Ita Palat. cod. & antiquae editiones ante Aldum: posteriores sublato &, repetunt *bonorum*, quod potest ex glossa esse. Rei explicationem capias ex lib. III. epist. 11. n. 3.

Si computes annos) Seneca epist. 99 simili querela vsus est de aduersis humanae vitae: *Si molestias*, inquit, *aestimas, etiam puero longum: si velocitatem, etiam seni angustum.*

Epist. XXV. 1. *Scripseram tibi*) lib. III epist. 20.

2. *iratum principem est comprecatus*) Contrarium huic, *propitium Caesarem alicui precari*, l. VI. ep. 5. n. 5.

tum

tum principem est comprecatus: ille tamen fefellit, & latuit, fortasse etiam inter indignantes
3 fuit. Quid hunc putamus domi facere, qui in tanta re, tam serio tempore, tam scurriliter ludat? qui denique omnino in senatu dicax & vrbanus
4 & bellus est? Tantum licentiae pratis ingeniis adiicit illa fiducia, QVIS ENIM SCIET? Poposcit tabellas, stilum accepit, demisit caput, neminem veretur, se contemnit. Inde ista ludi-
5 bria, scena & pulpito digna. Quo te vertas? quae remedia conquiras? vbique vitia remediis fortiora: ἀλλὰ ταῦτα τῶν ὑπὲρ ἡμᾶς ἄλλοις μελήσει. cui multum quotidie vigiliarum, multum laboris adiicit haec nostra iners, sed tamen effrenata petulantia. Vale.

XXVI.

C. PLINIVS NEPOTI SVO S.

Pollicetur, libellos se emendaturum esse, etiam alios additurum.

Petis, vt libellos meos, quos studiosissime comparasti, recognoscendos emendandosque curem: faciam. Quid enim suscipere liben-

---

3. *scurriliter ludat*) Grutero *ludat* (Palat. *laudat*) glossema videtur, & abesse posse iudicat. Sich. *ludit*, quem Thom. sequutus est.

4. *Quis enim sciet?*) Ecquis opoeia. nam finguntur, quae dici a scurta eiusmodi possint. *Catan.*

scena & pulpito) theatro, non curia. *Pulpitum* suggestus in theatro, vbi actores suas partes gerunt. *Buchn.*

5. ἀλλὰ ταῦτα) *Sed haec alii eorum, qui supra nos, curae erunt*, id est, Traiano.

tius

tius debeo, te praeſertim exigente? Nam quum 2
vir grauiſſimus, doctiſſimus, diſertiſſimus, ſuper
haec occupatiſſimus, maximae prouinciae prae-
futurus, tanti putes, ſcripta noſtra circumferre
tecum; quantopere mihi prouidendum eſt, ne
haec pars ſarcinarum, tamquam ſuperuacua of-
fendat? Adnitar ergo primum, vt comites iſtos 3
quam commodiſſimos habeas: deinde vt reuer-
ſus inuenias, quos iſtis addere velis. Neque enim
mediocriter me ad noua opera tu lector hortaris.
Vale.

XXVII.

C. PLINIVS FALCONI SVO S.

Commendat Augurini poemata, occaſione eorum, quae in laudem ſuam ſcripſerat.

Tertius dies eſt, quod audiui recitantem
Sentium Augurinum cum ſumma mea vo-
luptate, immo etiam admiratione, poematia
appellat. multa tenuiter, multa ſublimiter, multa
venuſte, multa tenere, multa dulciter, multa cum
bile. Aliquot annis, puto, nihil generis eius- 2
dem abſolutius ſcriptum, niſi forte me fallit aut
amor eius, aut quod me ipſum laudibus euexit.

Epiſt. XXVI. 2. *vir grauiſſimus*) Vide lib. II. ep. 3. ad eumdem.

maximae prouinciae) Neſcitur, cuinam, ſilente aut intercepta hiſtoria.

3. *comites iſtos*) libros meos.

vt reuerſus) ex prouincia.

Epiſt. XXVII. 1. *quod audiui*) *quo* vel *ex quo* Caſaubonus mauult: Cicero *quum* etiam dixiſſet. Palat. tamen * omnes vett. edd. *quod*, vno excepto, cui *quo* eſt.

cum bile) amaritudine.

Nam

3 Nam lemma sibi sumsit, quod ego interdum versibus ludo. Atque adeo iudicii mei te iudicem faciam, si mihi ex hoc ipso lemmate secundus versus occurrerit. nam ceteros teneo, & iam explicui.

4 *Cauto carmina versibus minutis,*
His, olim quibus & meus Catullus,
Et Caluus, veteresque. Sed quid ad me?
Vnus Plinius est mihi priores,
Maulit versiculos, foro relicto,
Et quaerit, quod amet, putatque amari.
Ille Plinius, ille quod Catones.
I nunc, qui sapias, amare noli.

5 Vides, quam acuta omnia, quam apta, quam ex-

---

3. *Nam lemma*) argumentum. Adi Martial. XIV, 2.
mihi occurrerit) memoriae meae. De ceteris certus erat: de secundo haesitabat. Ergo iudicem iudicii sui requirit, an recte illum ex oblivione retraxerit.

4 *Et Caluus*) De quo l. I. ep. 2. n. 2. & ep. 16. n. 5.
est mihi priores) est mihi pro omnibus antiquis, pro Caluo & Catullo, quorum exemplo licet destitutus essem, Plinii tamen mihi auctoritas sufficeret.
foro relicto) horis subseciuis, quum domum a forensi strepitu venerit. Vide l. III. ep. vlt. ex Martiale.
ille quod Catones) Sic Aldus, commodo sensu: instar Catonum & grauissimi cuiusque mihi est. Alii *quid Catones?* & subaudiunt *curo*.
qui sapias) Aldus ita: sed Palat. & Sich. *quisquis sapias:* Barthii cod. *quisquis amas*. Primae & postremae lectioni cum metro conuenit: non itidem mediae. Potest ergo *quisquis* interpretamentum esse.
5. *quam acuta omnia*) Carpunt hoc iudicium Gruterus in h. l. & Barthius Aduers. XXXVI. 20, & Iquius quodammodo Casaubonus Notis ad h. l.

pressa?

pressa? Ad hunc gustum totum librum repromitto; quem tibi, vt primum publicauerit, exhibebo. Interim ama iuuenem, & temporibus nostris gratulare pro ingenio tali, quod ille moribus adornat. Viuit cum Spurinna, viuit cum 6
Antonino: quorum alteri adfinis, vtrique contubernalis est. Possis ex hoc facere coniecturam, quam sit emendatus adolescens, qui a grauissimis senibus sic amatur. Est enim illud verissimum γιγνώσκων, ὅτι

Τοιοῦτός ἐστι ἕκαστος, οἵοισπερ ἥδεται ξυνών.

Vale.

XXVIII.

C. PLINIVS SEVERO SVO S.

Cornelii Nepotis & T. Cassii imagines pro Herennii bibliotheca fieri postulat.

Herennius Seuerus, vir doctissimus, magni aestimat in bibliotheca sua ponere imagines municipum tuorum, Cornelii Nepotis &

---

gustum) iucunditatem.

6. *cum Spurinna*) Vestricio Spurinna, cuius docta & composita senectus lib. III. epist. 1. laudatur.

cum Antonino) cum Arrio Antonino, auo materno Antonini Pii. Vide epist. 3. huius libri.

γιγνώσκων ὅτι) Ex Euripidis Phoenice, citante Aeschine contra Timarchum p. 283. De suo addidit noster verbum ἕκαστος. Latine sonant: *Intelligens, quod talis quisque fit, qualium conuersatione delectatur.*

Epist. XXVIII. *Seuero*) Sch. *Iulio Seuero.*

1. *municipum tuorum*) At cuius municipii? de Seuero & Cassio nihil constat, hic etiam in Palat. & antiquissimis libris *Atius*, non Cassius, in aliis *Catius* scribitur: Corn. Nepos *Padi accola* Plinio dicitur H. N. lib. III. c. 18. Vossius de Hist. Lat. ex syllabo ve-

Titi

Titi Cassii: petitque, si sunt isthic, vt esse credibile est, exscribendas pingendasque delegem. 2 Quam curam tibi potissimum iniungo: primum, quia desideriis meis amicissime obsequeris: deinde, quia tibi studiorum summa reuerentia, summus amor studiosorum: postremo, quod patriam tuam, omnesque, qui nomen eius auxerunt, vt 3 patriam ipsam, veneraris & diligis. Peto autem, vt pictorem quam diligentissimum adsumas. Nam cum est arduum similitudinem effingere ex vero, tum longe difficillima est imitationis imitatio. A quâ, rogo, vt artificem, quem elegeris, ne in melius quidem, sinas aberrare. Vale.

XXIX.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Voconium Romanum monet, vt ad iudicandum veniat, ne multam committat.

Eia tu, quum proxime res agentur, quoquo modo ad iudicandum veni. Nihil est, quod

---

teri Historicorum Veronensem obseruat, natum in Hostilia fuisse, qui vicus est Veronensium.

Titi Cassii) Iam dictum, quam varient libri. Si vera est, quam Aldus profert, scriptura, Cassius Seuerus intelligi potest, quem Suetonius Vitell. c. 2. memorauit, vel antiquior Cassius Hemina. Sed nihil certi dici potest, quia vtriusque patria ignoratur.

exscribendas) verbum hoc vi praepositionis significat delineationem, quae *ex* ipsa re delineanda desumitur: ita vt nihil aliud admisceatur, quam quod in ipsa re latet, & *ex* illa peti potest. Hunc praepositionis *ex* significatum vides in hac ipsa epistola: *ex vero effingere. Herz.*

Epist. XXIX. 1. *ad iudicandum*) quia iudex erat Voconius.

in

in dextram aurem fiducia mei dormias: non impune cessatur. Ecce, Licinius Nepos, praetor, 2
acer & fortis vir, multam dixit etiam senatori. Egit ille in senatu caussam suam: egit autem sic, vt deprecaretur. Remissa est multa: sed timuit, sed rogauit, sed opus venia fuit. Dices, Non 3
omnes praetores tam seueri. Falleris. Nam vel instituere vel reducere eiusmodi exemplum, non nisi seueri: institutum, reductumue exercere, etiam lenissimi possunt. Vale.

XXX.

C. PLINIVS LICINIO SVO S.

Miram naturam fontis in Comensi agro narrat, cuius caussam & ipse inquirit, & inquirendum commendat.

Attuli tibi ex patria mea pro munusculo quaestionem, altissima ista eruditione dignissimam. Fons oritur in monte, per saxa de- 2
currit, excipitur coenatiuncula manu facta: ibi paullulum retentus in Larium lacum decidit. Huius mira natura: ter in die, statis auctibus ac

---

in dextram aurem dormias) securus de multa aut culpa absentiae sis, quem Plinium credas deprecaturum esse.

3. *reducere*) per aliquod tempus intermissum renouare, *Herz.*

Epist. XXX. 2. *coenatiuncula*) loco paruo ad coenandum apto: & haec in monte aut horto fuit, ita cauata aut arboribus consita, vt gratum receptaculum conuiuantibus praeberet.

Larium lacum) cui Comum adiacet.

statis auctibus) dimensis & certis incrementis: vt postea *dimensis momentis.*

3 diminutionibus, crescit decrescitque. Cernitur id palam, & cum summa voluptate deprehenditur. Iuxta recumbis & vescēris: atque etiam ex ipso fonte (nam est frigidissimus) potas: interim ille certis dimensisque momentis vel sub-
4 trahitur vel adsurgit. Annulum, seu quid aliud, ponis in sicco, adluitur sensim, ac nouissime operitur: detegitur rursus paullatimque deseritur: si diutius obserues, vtrumque iterum ac tertio
5 videas. Spiritusne aliquis occultior os fontis & fauces modo laxat, modo ineludit, prout inlatus
6 occurrit, aut decessit expulsus? Quod in ampullis ceterisque generis eiusdem videmus accidere, quibus non hians, nec statim patens, exitus. Nam illa quoque, quamquam prona & vergentia, per quasdam obluctantis animae moras crebris quasi
7 singultibus sistunt, quod effundunt. An quae Oceano natura, fonti quoque? quaque ille ratione aut impellitur aut resorbetur, hac modicus hic humor vicibus alternis supprimitur vel
8 egeritur? An vt flumina, quae in mare deferuntur, aduersantibus ventis, obuioque aestu retor-

---

3. *recumbis*) tu, quisquis es, qui hac iucunditate vis frui. *Herz.*

4. *nouissime*) tandem, vltimo.

5. *Spiritusne aliquis*) An ex sententia veterum, animatum mundum esse? Si ventus subterraneus, vnde tam stata & fixa tempora?

prout inlatus) Vetus scriptura pro *illatus*, quae imposuit quibusdam, vt diuise *in latus* scriberent. Vid. Grut.

7. *egeritur*) emittitur.

quen-

quentur ita est aliquid, quod huius fontis excursum per momenta repercutiat? An latentibus venis certa mensura, quae dum colligit quod exhauserat, minor riuus est & pigrior quum collegit, agilior maiorque profertur? An, nescio quod, libramentum abditum & coecum, quod quum exinanitum est, suscitat & elicit fontem: quum repletum, moratur & strangulat? Scrutare tu causas (potes enim) quae tantum miraculum efficiunt. Mihi abunde est, si satis expressi, quod efficitur. Vale.

9 10 11

LIBER V.

1.

C. PLINIVS SEVERO SVO S.

Narrat, quae, heres Gratillae factus, cum filio eius exheredato egerit.

Legatum mihi obuenit modicum, sed amplissimo gratius. (Cur amplissimo gratius?) Pomponia Gratilla, exheredato filio Assudio Cu-

10. *libramentum*) certa mensura. Proprie aequamentum est, quia libra res aequantur. Cauitas ergo est certi moduli, quae exhausta, suscitet venas: impleta, occludat quodammodo illarum exitum.

Epist. I. 1. *amplissimo gratius*) vel propter amicitiam Gratillae, lib. III. epist. 11. n. 3. vel quod postea laudandum contigit. *Catan.*

Cur amplissimo gratius) Habet quidem haec Palatinus: non autem aliae membranae, quas Modius inspexit. Et possunt saluo sensu, etiam pro genio Plinii, abesse.

Pomponia Gratilla) vidua Aruleni Rustici. Patet haec ex n. 8. & lib. III. epist. 11. n. 3.

riano, heredem reliquerat me: dederat coheredes Sertorium Seuerum, praetorium virum, alios-
2 que equites Romanos splendidos. Curianus filius orabat, vt sibi donarem portionem meam, seque praeiudicio iuuarem: eamdem tacita con-
3 uentione saluam mihi pollicebatur. Respondebam; non conuenire moribus meis aliud palam, aliud agere secreto. Praeterea, Non esse satis honestum dare & locupleti & orbo: in summa, non profuturum ei, si donassem: profuturum, si cessissem: esse autem me paratum cedere, si ini-
4 que exheredatum mihi liqueret. Ad hoc ille, Rogo cognoscas. Cunctatus paullum, Faciam, inquam: neque enim video, cur ipse me minorem putem, quam tibi videor. Sed iam nunc memento, non defuturam mihi constantiam, si ita fides duxerit, secundum matrem tuam pronuntiandi. Vt voles, ait; voles enim, quod
5 aequissimum. Adhibui in consilium duos, quos tunc ciuitas nostra spectatissimos habuit, Corellium & Frontinum. His circumdatus, in cubi-
6 culo meo sedi. Dixit Curianus, quae pro se putabat. Respondi paucis ego (neque enim ade-

---

2. *praeiudicio iuuarem*) tamquam meo iudicio indigne exheredatum, vt aliis heredibus exemplum meum & sententiam possit opponere.

3. *locupleti & orbo*) Scilicet *locupleti* ex patrimonio, quamquam maternis bonis exciderat; *orbo*, quod liberos non habebat. Tali autem donare inhonestum erat, quia captatio videbatur.

5. *Corellium & Frontinum*) De illo vide lib. I. ep. 12. & lib. IV. epist. 17; de hoc lib. IV. epist. 3. n. 3.

rat

rat alius, qui defunctae pudorem tueretur,) deinde feceſſi, & ex conſilii ſententia; Videtur, inquam, Curiane, mater tua iuſtas habuiſſe cauſſas iraſcendi tibi. Poſt hoc ille cum ceteris ſubſcripſit centumuirale iudicium, mecum non ſubſcripſit. Appetebat iudicii dies: coheredes mei 7
componere & tranſigere cupiebant: non diffidentia cauſſae, ſed metu temporum. Verebantur, quod videbant multis accidiſſe, ne ex centumuirali iudicio capitis rei exirent. Et erant quidam 8
in illis, quibus obiici & Gratillae amicitia & Ruſtici poſſet: rogant me, vt cum Curiano loquar. Conuenimus in aedem Concordiae. Ibi ego; 9

---

6. *defunctae pudorem*) honorem, exiſtimationem, quod exheredando filium nihil feciſſet, quod pudori eſſe poſſet. Similiter lib. II. ep. 4. n. 1. *famam defuncti pudoremque ſuſcipere* dixit.

ex conſilii ſententia) Corellii & Frontini, qui conſuluerant, vt ita agerem, diceremque, quae ſequuntur.

Poſt haec ille) Curianus.

cum ceteris ſubſcripſit) cum ceteris coheredibus. *Subſcripſit*, i. e ſcripto profeſſus eſt apud iudices de accuſatione, quae notio non inuſitata; rarior autem & propemodum dura ſyntaxis *ſubſcribere cum quo iudicium*, pro *deferre quem ad iudices & accuſare*. Sic tamen conſtanter libri, praeter Sichardinum, a quo abſunt *cum ceteris*: & poſtea *me* pro *mecum* expreſſum.

7. *metu temporum*) periculorum ſub Domitiano, in cuius extrema, vt videtur, mors Gratillae incidebat.

capitis rei) propter amicitiam cum damnatis, Ruſtico & Gratilla. In centumuirali autem iudicio res ciuiles & cauſſae hereditariae agebantur.

8. *in aedem Concordiae*) in qua publica, priuata ſaepe geri conſueuerant. Vide, quae ad Cic. III. Catil.

Si mater, inquam, te ex parte quarta scripsisset heredem, num queri posses? Quid si heredem quidem instituisset ex asse, sed legatis ita exhausisset, vt non amplius apud te, quam quarta, remaneret? Igitur sufficere tibi debet, si, exheredatus a matre, quartam partem ab heredibus eius
10 accipias, quam tamen ego augebo. Scis, te non subscripsisse mecum, & iam biennium transisse, omniaque me vsucepisse. sed vt te coheredes mei tractabiliorem experiantur, vtque tibi nihil abstulerit reuerentia mei; offero pro mea parte tantumdem. Tuli fructum non conscientiae
11 modo, verum etiam famae. Ille ergo Curianus

---

6. 9. notauimus, & Panciroll. de XIV regionibus Vrbis. Plures enim aedes Concordiae fuerunt.

9. *num queri posses*) quia quarta pars relicta satis est ad excludendam querelam, Lege 8. §. 8. Dig. de inoffic. testam.

ex asse) vt heres esses totius massae, nec asse relicta. *Herz.*

legatis ita exhausisset) vt ex asse quidem heres, aliis, quibus mater voluisset, ex hereditate, testamento iussus, donares.

ab heredibus eius) coheredibus meis.

ego augebo) adiiciendo coheredum quartae, etiam meae portionis tantumdem, quamuis nihil a me in centumuirali iudicio repetisses.

10. *iam biennium transisse*) Tantum tempus vsucapioni immobilium rerum veteri iure in solo Italico constitutum erat. *Iustitut. de Vsucap. sub init.*

reuerentia mei) qua me non accusaueras, vt ceteros coheredes.

tantumdem) quartam meae portionis, vt compleatur quarta totius hereditatis.

11. *Curianus legatum mihi*) Quod tam benigne lega-

legatum mihi reliquit: & factum meum, nisi forte blandior mihi, antiquorum notabili honore signauit. Haec tibi scripsi, quia de omnibus, 12
quae me vel delectant vel angunt, non aliter tecum, quam mecum, loqui soleo: deinde, quod durum existimabam, te amantissimum mei fraudare voluptate, quam ipse capiebam. Neque 13
enim sum tam sapiens, vt nihil mea interfit, an iis, quae honeste fecisse me credo, testificatio quaedam, & quasi praemium accedat. Vale.

II.

C. PLINIVS FLACCO SVO S.

Gratias agit pro turdorum dono.

Accepi pulcerrimos turdos, cum quibus parem calculum ponere, nec vllis copiis ex Laurentino, nec maris tam turbidis tempestatibus possum. Recipies ergo epistolas steriles, & sim- 2
pliciter ingratas; ac ne illam quidem sollertiam Diomedis in permutando munere imitantes.

---

cum Curiano egeram, ipse moriturus modicum mihi legatum reliquit.

notabili honore signauit) Ita plures libri: Catanaeus *notabili more* neutrum male. Illud reuerentiam antiquam erga benemerentes; hoc morem antiquitatis laudabilem ostendit. *Signauit*, est testamento scripsit.

Epist. II. 1. *cum quibus parem calculum*) par reddere. *Buchn. ex Laurentino*) praedio. lib. II. epist. 17.

tempestatibus) quae capturae & piscatui obstant.

2 *sollertiam Diomedis*) Ex Homeri Iliad. Z. v. 236. sumtum exemplum, quo inaequalitas donorum significatur. Glaucus enim ibi imprudentior cum astuto Diomede permutauit.

Sed, quae facilitas tua, hoc magis dabis veniam, quod se non mereri fatentur. Vale.

III.

C. PLINIVS ARISTONI SVO S.

Reprehensus quorumdam sermonibus, quod versus lasciniores scribat recitetque; se aliorum exemplo tuetur.

Cum plurima officia tua mihi grata & iucunda sunt, tum vel maxime, quod me celandum non putasti, fuisse apud te de versiculis meis multum copiosumque sermonem, eumque diversitate iudiciorum longius processisse: exstitisse etiam quosdam, qui scripta quidem ipsa non improbarent, me tamen amice simpliciterque reprehenderent, quod haec scriberem recitaremque. Quibus ego, vt augeam meam culpam, ita respondeo: Facio nonnunquam versiculos, seueros parum, facio comoedias, & audio & specto mimos, & lyricos lego, & sotadicos intelligo:

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι ἐννεαβοίων

hoc est, *aurea aeneis, & centum boum pretio aestimata cum armis nouem boum pretio.* Vide Beroald. T. 1. Lamp. Crit. p. 220.

mereri fatentur) litterae fatentur, se veniam non mereri.

Epist. III. 2. *mimos*) qui gestibus imitantur alios. *Herz.*

sotadicos) Libri antiqui fere omnes *Socraticos*: quod doctissimi viri corruptum putant ex *sotadicos*: recentes *satyricos* substituunt, quod longius a vestigiis veterum recedit. *Sotadeorum* versuum metra. Quinali-

aliquando praeterea rideo, iocor, ludo; vtque
omnia innoxiae remissionis genera breuiter am-
plectar, homo sum. Nec vero moleste fero, hanc 3
esse de moribus meis existimationem, vt, qui ne-
sciunt talia doctissimos, grauissimos, sanctissi-
mos homines scriptitasse, me scribere mirentur.
Ab illis autem, quibus notum est, quos quantos- 4
que auctores sequar, facile impetrari posse confi-
do, vt errare me, sed cum illis, sinant, quorum
non seria modo, verum etiam lusus exprimere,
laudabile est. An ego verear (neminem viuen- 5
tium, ne quam in speciem adulationis incidam,
nominabo) sed ego verear, ne me non satis de-
ceat, quod decuit M. Tullium, Caium Caluum,
Asinium Pollionem, Marcum Messallam, Quin-

---

tilianus examinat. I, 8, & IX, 4; materiem Martialis prodit epigr. II. v. 82.

Nec retro lego Sotaden cinaedum.

Et Ausonius Epist. 4. v. 29 Graece.

Σωτάδικόν τε κίναιδον

Fuit enim Sotades obscenissimus poeta.

innoxiae remissionis) immo noxiae, quia lasciui versus nocent moribus legentium.

4. *laudabile est*) sed lusus honestos exprimere & innoxios, non autem lasciuos & impudicos, in quo cum multis, quamlibet claris viris, errauit noster Secundus.

5. *C. Caluum, Asinium Pollionem*) Quos hic oratores laudat, poetica simul imbutos, plerosque etiam a Cicerone in Bruto & alibi, etiam a Quintiliano X, 1. laudatos legimus. *L. Sulla* dictator est, Satyrarum aliorumque versuum conditor, vt Plutarchus in vita, & Athenaeus l. VI. referunt. *Gaetulicus*, Epigrammatum scriptor, teste Martiale praefat. l. I. Inter Senecam & Verginium quidam *Luceium*, alii *Lucanum* interponunt: sed neutrum nomen in vetustis libris reperitur.

tum Hortensium, M. Brutum, L. Sullam, Q. Catulum, Quintum Scaeuolam, Ser. Sulpicium, Varronem, Torquatum, (immo Torquatos) C. Memmium, Lentulum, Gaetulicum, Annaeum Senecam, & proxime Verginium Rufum, &, si non sufficiunt exempla priuata, diuum Iulium, diuum Augustum, diuum Neruam, T. Caesarem?
6 Neronem enim transeo, quamuis sciam, non corrumpi in deterius, quae aliquando etiam a malis; sed honesta manere, quae saepius a bonis fiunt. Inter quos vel praecipue numerandus est P. Virgilius, Corn. Nepos, & prius Ennius, Acciusque. non quidem hi senatores: sed sanctitas morum
7 non distat ordinibus. Recito tamen, quod illi an fecerint, nescio: etiamsi illi iudicio suo poterant esse contenti, mihi modestior conscientia est, quam vt satis absolutum putem, quod a
8 me probetur. Itaque has recitandi caussas sequor: primum quod ipse qui recitat, aliquanto acrius scriptis suis, auditorum reuerentia, intendit: deinde, quod de quibus dubitat, quasi ex
9 consilii sententia statuit. Multa etiam a multis admonetur: &, si non admoneatur, quid quisque sentiat; perspicit ex vultu, oculis, nutu, manuum motu, murmure, silentio; quae satis aper-

---

7. *etiamsi*) Ita Palatinus: Ald. & Sich. *sed.*
conscientia) ex Casauboni coniectura, quam Boxhornius sequutus est: ceteri *constantia*, & *fiduciam* interpretantur.

9. *Multa*) circum multa. *Herz.*
nutu manuum) Vide lib. VI. ep. 17. n. 2. & quae ibi ex Casaubono notamus.

tis

tis notis iudicium ab humanitate discernunt. Atque adeo, si cui forte eorum, qui interfuerunt, 10
curae fuerit eadem illa legere, intelliget, me quaedam aut commutasse, aut praetermisse, fortasse etiam ex suo iudicio, quamuis ipse nihil dixerit mihi. Atque ita hoc disputo, quasi popu- 11
lum in auditorium, non in cubiculum amicos aduocarim, quos plures habere, multis gloriosum, reprehensioni nemini fuit. Vale.

IV.

C. PLINIVS VALERIANO SVO S.

Auaritiam Nominati causidici notat, qui Vicentinos, a quibus grandem pecuniam acceperat, fefellit.

Res parua, sed initium non parum. Vir praetorius Sollers a senatu petiit, vt sibi instituere in agris suis nundinas permitteretur:

---

ab humanitate) Verecunda adsentatio, quam vulgo ciuilitatem vocant, intelligitur, qua de amici scriptis interrogati, an placeant; honoris caussa liberalius respondemus, quam pro vero nostro iudicio. Hoc autem ex signis ac gestu perspici potest, quum ore dissimulatur. Adi Thom.

10 *legere*) quae antea ex me recitante audiuit. *Herz.*

iudicio) quod vultu s. manu prodidit. *Herz.*

Epist. IV. 1. *Sollers*) Viri nomen Catanaeo & aliis. Vetus Inscriptio apud Manut. in Orthogr. p. 728.

DOMITIVS SOLLERS VI. VIR.

a senatu petiit) Tum penes senatum erat ius nundinarum: postea ad principes translatum. Modestinus, qui sub Gordiano floruit, Lege 1 Dig. de nundinis; *Nundinis impetratis a principe.*

contradixerunt Vicentinorum legati: adfuit
2 Tuscillus Nominatus; dilata causa est. alio se-
natu Vicentini sine aduocato intrauerunt: dixe-
runt se deceptos. Lapsine verbo, an quia ita
sentiebant? interrogati a Nepote praetore, quem
docuissent; responderunt, Quem prius. Inter-
rogati an tunc gratis adfuisset: responderunt,
Sex millibus nummum. an rursus aliquid dedis-
sent, dixerunt, Mille denarios. Nepos postula-
3 uit, vt Nominatus induceretur. Hactenus illo

Vicentinorum) Vicentia Venetiae oppidum mediterraneum.

adfuit) caussam Vicentinorum tamquam aduocatus defendit. Vide I. I. epist. 5. n. 5.

2. *alio senatu*) alio die, quo senatus coierat. Nam hoc non singulis diebus fiebat, sed legitime tantum Calendis & Idibus secundum sanctionem Augusti, auctore Suetonio c 35; extra ordinem, quoties res exigebat, consule conuocante.

se deceptos) a Tuscillo, fidei prodigo homine.

lapsine verbo) haec interpunctio interrogatiua est a Casaubono.

quem docuissent) cui aduocato caussam suam exposuissent.

Quem prius) docuerant, eumdem scilicet Tuscillum.

Sex millibus nummum) Nummus, sestertius: millia nummum, sestertium.

Mille denarios) Denarius olim decem asses, quatuor sestertii; Hannibalis autem bello mutatus assis valor, vt denarius sedecim assibus permutaretur. *Plin. mai. l. XXXIII. c. 3.* Adde *Tacit. Annal. l. I. c.* 17. vbi denarius vt maior decem assibus describitur. Nomen tamen *denarii* mansit, & drachmae aequatum pondus.

induceretur) in senatum. Vide ad lib. II. ep. 11. n. 8. notata.

die.

die. Sed, quantum auguror, longius res procedet. Nam pleraque tacita, tantum ex minimo commota, latissime serpunt. Erexi aures tuas. 4
Quam diu nunc oportet, quam blande roges, vt reliqua cognoscas, si tamen non ante ob haec ipsa veneris Romam, spectatorque malueris esse, quam lector. Vale.

V.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Fannii obitum luget tum ob alias causas, tum maxime, quod opus de sceleribus Neronis imperfectum reliquerat.

Nuntiatum mihi est, C. Fannium decessisse, qui nuntius graui me dolore confudit. Primum, quod amaui hominem elegantem & disertum: deinde, quod iudicio eius vti solebam. Erat enim natura acutus, vsu exercitatus, varietate promtissimus. Angit me super ista casus 2
ipsius. Decessit veteri testamento: omisit, quos maxime diligebat: prosequutus est, quibus of-

---

4 *Erexi aures tuas*) te cupidum audiendi de exitu huius causae feci. Aeneid. lib. I. v. 152.

arrectis auribus adstant.

Quam diu, quam blande) Admodum diu, admodum blande. Vide Buchneri Supplem. ad Fabri Lex. in *Quam*.

Epist. V. 1 *confudit*) perturbauit. Sic lib. III. ep. 10. n. 2. *Veritus sum, ne vos festis diebus confunderem.* Atque ita *confusio* perturbatio est lib. I. ep. 22. extr.

varietate) multa lectione, siue, vt Barthius exponit, πολυ[illegible]ια.

2. *prosequutus est*) beneficio adfecit, legato ornauit. Hi amici erant, quum testamentum scriberetur: postea facti inimici.

fensior erat. Sed hoc vtcumque tolerabile: grauius illud, quod pulcerrimum opus imperfectum
3 reliquit. Quamuis enim agendis causlis distringeretur, scribebat tamen exitus occisorum aut relegatorum a Nerone: & iam tres libros absoluerat, subtiles, & diligentes, & Latinos, atque inter sermonem historiamque medios. Ac tanto magis reliquos perficere cupiebat, quanto fre-
4 quentius hi lectitabantur. Mihi autem videtur acerba semper & immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti quasi in diem viuunt, viuendi causlas quotidie finiunt: qui vero posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, vt quae semper inchoa-
5 tum aliquid abrumpat. Caius quidem Fannius quod accidit, multo ante praesensit. Visus est sibi per nocturnam quietem iacere in lectulo suo compositus in habitum studentis, habere ante se scrinium ita, vt solebat: mox imaginatus est venisse Neronem, in toro resedisse: promsisse pri-

3. *inter sermonem historiamque*) Sermo familiare colloquium & dialogus est, eiusque stilus humilis: elatior quodammodo Historiae; non autem sublimis, vt Orationis. Adde epist. 8. n. 9 huius libri.

4. *quasi in diem viuunt*) nihil solliciti de futuro, de posteritate, & immortalitate laudis. Visus sic etiam est Cicero Philipp. II, 4 sub fin.

viuendi causlas finiunt) vt quocumque die moriuntur, dolor propter ipsos excitari non debeat. Herz.

5. *ita, vt solebat*) Illud *vt* ex MSS. additum.

resedisse) Pariter hoc ex MSS. Vulgatum *sedisse*. Vid. Grut.

mum

mum librum, quem de sceleribus eius ediderat, eumque ad extremum reuoluisse; idem in secundo ac tertio feciſſe, tunc abiiſſe. Expauit; & 6
ſic interpretatus eſt, tamquam idem ſibi futurus eſſet ſcribendi finis, qui fuiſſet illi legendi: & fuit idem. Quod me recordantem miſeratio 7
ſubit, quantum vigiliarum, quantum laboris exhauſerit fruſtra. Occurſant animo mea mortalitas, mea ſcripta. Nec dubito, te quoque eadem cogitatione terreri pro iſtis, quae inter manus habes. Proinde, dum ſuppetit vita, eni- 8
tamur, vt mors quam pauciſſima, quae abolere poſſit, inueniat. Vale.

VI.

C. PLINIVS APOLLINARI SVO S.

Apollinari, qui Plinio, in Tuſcis aeſtatem acturo, timuerat, & ſalubritatem huius villae, & commoditatem exponit.

Amaui curam & ſollicitudinem tuam, quod, quum audiſſes me aeſtate Tuſcos meos petiturum, ne facerem ſuaſiſti, dum putas inſalubres. Eſt ſane grauis & peſtilens ora Tuſcorum, 2
quae per littus extenditur. Sed hi procul a mari

7. *pro iſtis, quae inter manus*) pro iſtis ſcriptis aut ſcribendis. Ad eumdem Maximum lib. IX. epiſt. 1. n. 5. *Si quid aliud in manibus, differ.*

8. *quae abolere poſſit*) inchoata, imperfecta.

Epiſt. VI. 1. *Amaui curam*) Placet mihi cura & ſollicitudo tua.

Tuſcos meos) villam, hac epiſtola verboſius deſcriptam.

2. *Tuſcorum*) Tuſci heic populus ſunt, alias Etruſci: & *ora Tuſcorum*, Etruria

Sed hi procul a mari) hi Tuſci mei, ſeu villa mea Etruſca procul a mari diſtat, ſita ſub radicibus Apennini.

receſ-

recesserunt: quin etiam Apennino, saluberrimo
3 montium, subiacent. Atque adeo, vt omnem pro me metum ponas, accipe temperiem coeli, regionis situm, villae amoenitatem: quae & tibi
4 auditu, & mihi relatu iucunda erunt. Coelum est hieme frigidum & gelidum, myrtos, oleas, quaeque alia assiduo tepore laetantur, aspernatur ac respuit: laurum tamen paritur, atque etiam viridissimam profert: interdum, sed non
5 saepius quam sub vrbe nostra, necat. Aestatis mira clementia. Semper aer spiritu aliquo mouetur; frequentius tamen auras, quam ventos
6 habet. Hinc senes multos videas, auos proauosque iam iuuenum; audias fabulas veteres, sermonesque maiorum: quumque veneris illo,
7 putes alio te seculo natum. Regionis forma pulcerrima: imaginare amphitheatrum aliquod immensum; & quale sola rerum natura possit

---

4. *sub vrbe nostra*) Como an Roma? illud *municipium* potius, quam vrbem dixisset: hanc simpliciter *vrbem* sine pronomine. Tamen & Cicero Diuin. II, 47. de Roma: *vrbis nostrae natalis*.

5. *Semper aer spiritu*) Ita Palat. & omnes vett. editiones: recentes *semper, ac spiritu*. Est autem *Spiritus* genus: *Aura* & *Ventus* species. Isidorus XIII, 11 *Spiritus magis, quam venti, sunt aura & altanus.*

auras quam ventos) Ergo Aura lenior: Ventus vehemens & impetuosus. Isidorus c. l. *Aura lenis est motus aeris.*

6. *proauosque iam iuuenum*) non puerorum tantum. Illud ergo maiorem in auis & proauis aetatem arguit.

alio te seculo) propter [illegible] cum grandaeuis & ex superiori quasi seculo seruatis.

essin.

effingere. Lata & diffusa planities montibus cingitur; montes summa sui parte procera nemora & antiqua habent. Frequens ibi & varia 8
venatio: inde caeduae siluae cum ipso monte descendunt: has inter pingues terrenique colles (neque enim facile vsquam saxum, etiam si quaeratur, occurrit) planissimis campis fertilitate non cedunt, opimamque messem ferius tantum, sed non minus percoquunt. Sub his per latus 9
omne vineae porriguntur, vnamque faciem longe lateque contexunt; quarum a fine imoque quasi margine, arbusta nascuntur; prata inde, campique. Campi, quos non nisi ingentes bo- 10
ues & fortissima aratra perfringunt. Tantis glebis tenacissimum solum; quum primum prosecatur, adsurgit, vt nono demum sulco perdometur. Prata florida & gemmea, trifolium, 11

7. *procera nemora & antiqua*) Quia antiqua, ideo procera. Vel enim religione, vel propter distantiam ab oppidis & villis immunia erant a caede: vnde a caeduis siluis, vt propioribus, mox distinguuntur.

8. *siluae descendunt*) accliuitatem montis imitantur siluae. *Herz.*

9. *vnamque faciem*) vnum adspectum.

10. *ingentes boues*) robusti, validi.

adsurgit) glebis asperum fit & cumulatum, quae quo grandiores sunt, hoc altius videtur ager inaequalitate illarum adsurgere.

nono demum sulco) nona aratione: non *nouo*, vt perperam contra MSS. & vett. edd. quidam legunt. Anunculus nostri H. N. lib. XVIII. c. 20. *Spissius solum, sicut plerumque in Italia, quinto sulco ferimelius est: in Tuscis vero, nono.*

11. *gemmea*) lucida propter flores, aut propter riuulos intercurrentes. *Catan.*

alias-

aliasque herbas, teneras semper & molles, & quasi
nouas, alunt. Cuncta enim perennibus riuis nu-
triuntur; sed vbi aquae plurimum, palus nulla;
quia deuexa terra quidquid liquoris accepit, nec
12 absorbuit, effundit in Tiberim. Medios ille
agros secat; nauium patiens, omnesque fruges
deuehit in vrbem, hieme dumtaxat & vere; aesta-
te submittitur, immensique fluminis nomen
13 arenti alueo deserit, auctumno resumit. Ma-
gnam capies voluptatem, si hunc regionis situm
ex monte prospexeris. Neque enim terras tibi,
sed formam aliquam, ad eximiam pulcritudinem
pictam, videberis cernere. Ea varietate, ea de-
scriptione, quocumque inciderint oculi, reficiun-
14 tur. Villa in colle imo sita, prospicit quasi ex-
summo, ita leniter & sensim cliuo fallente con-

12. *omnesque fruges deuehit*) Columella I. c. 2. ad bo-
nitatem villae requirit, *ne procul a mari, aut nauigabili flumine* (sit) *quo deportari fructus possint.* Idcirco lau-
dat Cicero S. Roscii praedia, pro filio oratione cap. 7. *Demonstratur*, inquit, *bonitas praediorum. nam fundos decem & tres reliquit, qui Tiberim fere omnes tangunt.* Et Horatius II. Oda 3.

Villaque flauus quam Tiberis lauit.

13. *formam aliquam*) imaginem, inusitata quamuis notione, qua Cassiodorus etiam X. c. 30. extr. vsus est, nec suppetunt antiquiora exempla. Quae causa est, vt malint cum Sichardo quidam legere *eximiamque*, non *ad eximiam*. Sic vetus notio vocabulo *forma* redibit.

ea descriptione) pictura, colorum distinctione.

14. *leniter & sensim cliuo fallente*) Cum Sichardo *leniter* lego, non *leuiter*, vt alii: quia in huiusmodi descriptionibus *lene, clemens, molle* adhiberi video, quibus nostrum *leniter* & *sensim* exprimitur. Palla-

sur-

surgit, vt quum adscendere non putes sentias adscendisse. A tergo Apenninum, sed longius habet. Accipit ab hoc auras, quamlibet sereno & placido die, non tamen acres & immodicas, sed spatio ipso lassas & infractas. Magna sui 15
parte meridiem spectat, aestuumque solem ab hora sexta, hibernum, aliquanto maturius, quasi inuitat in porticum latam, & pro modo longam. Multa in hac membra; atrium etiam ex more veterum. Ante porticum xystus concisus in 16
plurimas species, distinctusque buxo; demissus inde pronusque puluinus, cui bestiarum effigies

---

dius l. I. c. 5. *Campus apertior & humorem pluuium cliuo fallente subducens: vel collis molliter per latera inclinato deductus.* vbi *fallendi* verbo etiam similis nostro est. Calpurnius Ecl. 7. v. 25. *& cliuos lene iacentes.* Et Silius Italicus l. I. v. 274. *Clementer crescente iugo.*

sed longius) procul, aliquantum longe.

Accipit ab hoc auras) Generatim vox *aura* hoc loco posita, vt quemuis ventum sonet, non vt supra num. 5.

infractas) confractas, debilitatas.

15. *aliquanto maturius*) Supra epist. 3. huius libri n. 8. *aliquanto acrius.* Et Cic. in Verr VI. c. 34. *imponebat aliquanto amplius, quam ferre possent.* Non ergo insolens comparatiuus cum voce *aliquanto*, licet is gradus absolute saepe significet, quod positiuus cum *aliquanto*.

pro modo longam) pro mensura & proportione latitudinis.

membra) partes. Lib. II. epist. 17. n. 9. *adhaeret dormitorium membrum.* Apuleius lib. VII. post init. *Ianuae claustra sedulo explorauerat, & ipsa membra, in quels omne patrimonium condi solebat, curiose perspexerat.*

16. *xystus*) Vide lib. II. ep. 17. n. 17.

pronusque puluinus) Puluinus editior in area horti

inui-

inuicem aduersas buxus inscripsit. Acanthus in plano mollis, &, paene dixerim, liquidus.
17 Ambit hunc ambulatio pressis varieque tonsis viridibus inclusa: ab his gestatio in modum circi, quae buxum multiformem, humilesque & retonsas manu arbusculas circumit. Omnia maceria muniuntur: hanc gradata buxus operit &
18 subtrahit. Pratum inde non minus natura, quam superiora illa arte, visendum: campi de-
19 inde porro, multaque alia prata & arbusta. A capite porticus triclinium excurrit, valuis xystum desinentem, & protinus pratum, multumque ruris, videt fenestris. Hac latus xysti, & quod prosilit villae, ac adiacentis hypodromi ne-

---

pars inter duos sulcos. Columella lib. XI. c. 3. *Liratim seri debent, vt in puluinis positae minus infestentur hiemis aquis.* Et Palladius III. c. 24. *Ponendae sunt plantae per pulvinos arearum.*

inuicem aduersas mutuo oppositas.

buxus inscripsit effigies) topiaria arte.

17. *ambulatio, gestatio*) loca ad ambulandum, gestandum idonea. Vide lib. I. ep. 3. n. 1.

retonsas manu) arte, non natura.

operit) Ita Palat. & Aldus: Recentes perperam *aperit.*

19. *excurrit*) expendit sese. *Herz.*

valuis xystum desinentem) extrema xysti. *Valuis* Catanaeus *ab ostiis* interpretatur. nam a *fenestris* heic distinguuntur.

hypodromi) tectae ambulationis, clausi vndiquaque ambulacri, quod Sidonius II. ep. 2. cum *cryptoporticu* coniungit. Ibi Sirmondus restituit ex MSS. idemque Plinio reddendum esse contendit pro *hippodromo*, quod irrepserat. Et sane circo & hippodromo vix locus

mus

mus comasque prospectat. Contra mediam fere 20
porticum diaeta paullum recedit; cingit areolam, quae quatuor platanis inumbratur. Inter has marmoreo labro aqua exundat, circumiectasque platanos, & subiecta platanis leni adspergine fouet. Est in hac diaeta dormitorium 21
cubiculum, quod diem, clamorem fonumque excludit: iunctaque quotidiana amicorum coenatio. Areolam illam porticus alia, eademque omnia, quae porticus, adspicit. Est & aliud cu- 22
biculum a proxima platano, viride & vmbrosum, marmore excultum podio tenus: nec cedit gratiae marmoris, ramos, insidentesque ramis aues

inter arbusta & nemorum comas, quae hoc loco describuntur. Adi ipsum Sirmondum p. 28.

comasque) frondes, folia, vt in illo Horatii lib. IV. Oda 7 *Arboribusque comae.*

20. *diaeta paullum recedit*) Palat. *Zeta.* Grutero teste, quod Turnebus quoque adprobat Aduers. XXIV, 4. extr. Sed eadem res, vt *Zabolus* & *Diabolus* apud Ecclesiae scriptores: Hippo *Zarrhytus* pro *Diarrhytus* in Antonini Itiner. p. 4. Adde lib. II. ep. 17. n. 12. Zetam vero seu Diaetam Turnebus definit, quod sit pars vel membrum domus, coenationem & cubiculum habens.

subiecta platanis) Sich. & recentes *gramina* adiiciunt, non adnuentibus MSS. nec Aldina, nec Catanaei editione.

21. *Areolam illam*) in qua sunt platani.

quae porticus) illa lata, & pro modo longa. *Supra n.* 15.

22. *excultum*) Ita Ald. & Sich. aliique veteres: Catanaeus *exsculptum.*

podio tenus) Podium locus extra aedificium porrectus, seu prominentia aedificii.

imi-

23 imitata pictura, cui subest fonticulus. In hoc fonte crater, circa siphunculi plures miscent iucundissimum murmur. In cornu porticus amplissimum cubiculum a triclinio occurrit; aliis fenestris xystum, aliis despicit pratum, sed ante piscinam; quae fenestris seruit ac subiacet, strepitu visuque iucunda. Nam ex edito desiliens
24 aqua, suscepta marmore, albescit. Idem cubiculum hieme tepidissimum, quia plurimo sole perfunditur. Cohaeret hypocaustον, &, si dies
25 nubilus, immisso vapore, solis vicem supplet. Inde apodyterium balinei laxum & hilare excipit cella frigidaria; in qua baptisterium amplum atque opacum. Si natare latius aut tepidius velis, in area piscina est, in proximo puteus, ex quo
26 possis rursus adstringi, si poeniteat teporis. Frigidariae cellae connectitur media, cui sol beni-

---

23. *siphunculi*) siphones minores siue canales, quibus aqua ex cratere cum strepitu effluit.

in cornu) flexura, *Catan* vel fronte, procurrente parte, vt cornu aciei dicitur.

24. *Cohaeret hypocaustον*) structura caminata subterranea, caldario vel calidae lauationi supposita. *Vitruu.* V, 10.

25. *apodyterium*) locus, quo vestes deponebantur ab ingressuris balineum: etiam a certatoribus ante agonem. Vide Mercurial. Gymn. I, 10.

baptisterium) multae capacitatis labrum, vt innare homines potuerint: alias *piscina* dicta. *Mercur. III*, 14. Sed amplior aliquanto piscina fuit, quod ex verbis, quae sequuntur, apparet.

adstringi) refrigerari. Frigus enim adstringit, quod calor laxauerat.

gnissi-

gnissime praesto est; caldariae magis: prominet enim. In hac tres descensiones: duae in sole, tertia a sole longius, a luce non longius. Apo- 27
dyterio superpositum est sphaeristerium, quod plura genera exercitationis, pluresque circulos capit. Nec procul a balineo scalae, quae in cryptoporticum ferunt, prius ad diaetas tres. harum alia areolae illi, in qua platani quatuor, alia prato, alia vineis imminet, diuersasque coeli partes ac prospectus habet. In summa cryptoporticu 28
cubiculum, ex ipsa cryptoporticu excisum, quod hypodromum, vineas, montes, intuetur. Iungitur cubiculum obuium soli, maxime hiberno. Hinc oritur diaeta, quae villae hypodromum adnectit. Haec facies, hic visus a fronte. A la- 29
tere aestiua cryptoporticus in edito posita; quae non adspicere vineas, sed tangere videtur. In media triclinium saluberrimum adflatum ex Apenninis vallibus recipit: post latissimis fenestris vineas, valuis aeque vineas, sed per cryptoporticum quasi, admittit. A latere triclinii, 30

---

26. *tres descensiones*) Salmasius in Solin. p. 847 ed. non. τριάσεις *alueos* & *solia* interpretatur.

a luce non longius remotior a sole quidem: nec vero in obscuro & tenebroso loco.

27. *sphaeristerium*) Vide lib. II. ep. 17. n. 2. Hinc *sphaeristae*, pila ludentes, apud Sidon. lib. II. ep. 9.

pluresque circulos) membra sphaeristerii rotunda, vt in singulis diuersi separatim possint ludere.

in cryptoporticum porticum a sole occultam, tectam.

28. *hypodromum*) Supra ad num. 19. ex Sirmondo. Idem enim heic locus repetitur, qui ibi illustratus fuit.

quod

quod feneſtris caret, ſcalae conuiuio vtilia ſecretiore ambitu ſuggerunt. In fine cubiculum; cui non minus iucundum proſpectum cryptoporticus ipſa quam vineae praebent. Subeſt cryptoporticus, ſubterraneae ſimilis; aeſtate incluſo frigore riget, contentaque aere ſuo, nec de-
31 fiderat auras nec admittit. Poſt vtramque cryptoporticum, vnde triclinium deſinit, incipit porticus; ante medium diem, hiberna; inclinato die, aeſtiua. Hac adeuntur diaetae duae, quarum in altera cubicula quatuor, altera tria, vt
32 circuit ſol, aut ſole vtuntur, aut vmbra. Hanc diſpoſitionem amoenitatemque tectorum longe praecedit hypodromus: medius pateſcit, ſtatimque intrantium oculis totus offertur, platanis circuitur. Illae hedera veſtiuntur, vtque ſummae ſuis, ita imae alienis frondibus virent. Hedera truncum & ramos pererrat, vicinasque platanos tranſitu ſuo copulat; has buxus interiacet. Exteriores buxos circumuenit laurus, vmbrae-
33 que platanorum ſuam confert. Rectus hic hypodromi limes in extrema parte hemicyclo frangitur, mutatque faciem: cupreſſis ambitur & tegitur, denſiore vmbra opacior nigriorque; interioribus circulis (ſunt enim plures) puriſſi-

30. *ſecretiore ambitu*) Scalae ergo inſtar cochleae fuerunt.

31. *aut ſole vtuntur*) v. g. orienti obuerſa habent matutinum ſolem, vmbram meridianam.

32. *longe praecedit*) Ita MSS. & vett. edd. Recentes *longe lateque*.

ſummae) in cacumine.

mum

mum diem recipit. Inde etiam rosas effert, vm- 34
brarumque frigus non ingrato so'e distinguit. Finito vario illo multiplicique curuamine recto limiti redditur, nec huic vni. Nam viae plures, intercedentibus buxis, diuiduntur. Alibi pra- 35
tulum, alibi ipsa buxus interuenit in formas mille descripta, litteris interdum, quae modo nomen domini dicunt, modo artificis: alternis metulae surgunt, alternis inserta sunt poma: & in opere vrbanissimo subita velut illati ruris imitatio medium in spatium breuioribus vtrimque platanis adornatur. Post has acanthus hinc inde lubri- 36
cus & flexuosus, deinde plures figurae, pluraque nomina. In capite stibadium candido marmore, vite protegitur. Vitem quatuor columellae Carystiae subeunt. E stibadio aqua, velut ex-

33. *purissimum diem*) clarissimam lucem.

35. *in formas mille*) topiario opere.

nomen domini) possessoris, Plinii.

artificis) topiarii. Vide lib. III. epist. 19. n. 3.

metulae) paruae metae. Ita plerique libri: sed *viticulae* Sich.

poma) pro arboribus, inusitato more.

36. *stibadium*) accumbentium torus, forma semicirculari, vt C. sigma Graecorum. Vide Martial. epigr. XIV. v. 87. Sex, septem, in eodum octo homines capiebat, vt Ciacconius de Triclinio p. 7. ostendit. Heic ex marmore factum: alibi etiam ex gramine, aut frondibus. Vide Suid. & Hesych. in Graeco στιβάς, στιβάδος.

columellae Carystiae) ex marmore Carystio, quod Plinius H. N. XXXVI, 6. laudauit. Carystus autem Euboeae oppidum. Tibullus lib. III. eleg. 3.

Quidue domus prodest Phrygiis innixa columnis,
Tanare siue tuis, siue Caryste tuis.

pressa cubantium pondere, siphunculis effluit; cauato lapide susçipitur, gracili marmore continetur, atque ita occulte temperatur, vt impleat,
37 nec redundet. Gustatorium, grauiorque coenatio, margini imponitur; leuior nauicularum & auium figuris innatans circuit. Contra fons egerit aquam & recipit: nam expulsa in altum in se cadit, iunctisque hiatibus & absorbetur & tollitur. E regione stibadii aduersum cubiculum tantum stibadio reddit ornatus, quantum accipit
38 ab illo. A marmore splendet, valuis in viridia prominet & exit: alia viridia superioribus inferioribusque fenestris suspicit despicitque. Mox diaetula refugit quasi in cubiculum idem atque aliud. Lectus hic, & vndique fenestrae, & ta-
39 men lumen obscurum vmbra premente. Nam laetissima vitis per omne tectum in culmen nititur & adscendit. Non secus ibi, quam in nemore, iaceas: imbrem tantum, tamquam in nemore

37. *Gustatorium*) Aliis mensa aut repositorium est, in quo gustus seu antecoena ponebatur: aliis locus, quo gustatio fiebat. Adi interpretes Martial. epigr. XIV. v. 88. *figuris innatans*) tessellato & vermiculato pauimento. *hiatibus*) canaliculis.

38. *prominet & exit*) Ita Aldus, probante Grutero ex vestigiis MSS.

diaetula) Ita Aldus & Sichardus: Gruterus *Zetecula*: Sirmondus ad Sidon. VIII, 16. *Zothecula*) quem Veenhusius sequutus est. Sed nec *diaetula* spernendum, cuius defensionem doctissimus Thomasius suscepit.

39. *laetissima vitis*) Barth. *latissima*. Sed eleganter laetus de fruticibus & arbustis. Columella XI. c. 2. *oleae laetiores*: Curtius lib. V. c. 4. n. 8. *colles frondibus laeti.*

non

non sentias. Hic quoque fons nascitur, simul-
que subducitur. Sunt locis pluribus dispositа 40
sedilia e marmore, quae ambulatione fessos, vt
cubiculum ipsum, iuuant. Fonticuli sedilibus
adiacent, per totum hypodromum inductis fistu-
lis strepunt riui, &, qua manus duxit, sequuntur.
His nunc illa viridia, nunc haec, interdum simul
omnia, iuuantur. Vitassem iamdudum, ne vi-
derer argutior, nisi proposuissem omnes angulos
tecum epistola circumire. Neque enim vere- 41
bar, ne laborioſum esset legenti tibi, quod vi-
senti non fuisset; praesertim quum interquiesce-
re, si liberet, depositaque epistola, quasi residere,
saepius posses. Praeterea indulsi amori meo.
Amo enim, quae maxima ex parte ipse inchoaui,
aut inchoata percolui. In summa (cur enim non 42
aperiam tibi vel iudicium meum vel errorem?)
primum ego officium scriptoris existimo, vt titu-
lum suum legat, atque idemtidem interroget se,
quid coeperit scribere: sciatque, si materiae im-
moratur, non esse longum; longissimum, si ali-
quid arcessit atque attrahit. Vides, quot versi- 43
bus Homerus, quot Virgilius arma, hic Aeneae,
Achillis ille, describat: breuis tamen vterque
est, quia facit, quod instituit. Vides, vt Aratus
minutissima etiam sidera consectetur & colligat,
modum tamen seruat. Non enim excursus hic
eius, sed opus ipsum est. Similiter nos, vt parua 44

43. *Homerus*) Iliad. Σ. a v. 478.
Virgilius) lib. VIII. Aeneidos.

magnis (conferamus,) quum totam villam oculis tuis subiicere conamur, si nihil inductum, & quasi deuium, loquimur, non epistola, quae describit, sed villa, quae describitur, magna est. Verum illuc, vnde coepi; ne secundum legem meam iure reprehendar, si longior fuero in hoc,
45 quod excessi. Habes caussas; cur ego Tuscos meos Tusculanis, Tiburtinis, Praenestinisque meis praeponam. Nam super illa, quae retuli, altius ibi otium & pinguius, eoque securius, nulla necessitas togae, nemo arcessitor ex proximo. Placida omnia & quiescentia, quod ipsum salubritati regionis, vt purius coelum, vt aer liquidior, accedit. Ibi animo, ibi corpore, maxime
46 valeo. Nam studiis animum, venatu corpus exerceo. Mei quoque nusquam salubrius degunt; vsque adhuc certe neminem ex iis, quos eduxeram mecum (venia sit dicto) ibi amisi. Dii modo in posterum hoc mihi gaudium, hanc gloriam loco seruent. Vale.

---

44. *conferamus*) Abest a MSS. & ab Aldina, & hac antiquioribus: nec insolens nostro huiusmodi ellipsis.

Verum illuc) reuertendum, supple, aut simile verbum.

45. *Tiburtinis, Praenestinis*) Praedia sua diuersis regionibus sita, cum Tuscis confert.

salubritati - - accedit) Dandi casus ex Gruteri iudicio est: verbum *accedit*, pro vulgato *accidit*, ex Palat. & Aldina. Sensus: Quies & placidus status aeque salubritatem augent aut iuuant, quam purius coelum & aer liquidior.

46. *venia sit dicto*) Haec deprecandi fascini caussa adduntur.

VII.

VII.

C. PLINIVS CALVISIO SVO S.

Saturninus Plinium heredem instituerat & rempublicam Comensium, quod ipse ratum vult esse, etsi secundum leges respub. heres institui non possit, quod vt decurionibus iudicetur, rogat.

Nec heredem institui, nec praecipere posse rempublicam, constat: Saturninus autem qui nos reliquit heredes, quadrantem reipublicae nostrae, deinde pro quadrante praeceptionem quadringentorum millium dedit. Hoc, si 2
ius adspicias, irritum; si defuncti voluntatem, ratum & firmum est. Mihi autem defuncti voluntas (vereor, quam in partem iurisconsulti, quod sum dicturus, accipiant) antiquior iure est, vtique in eo, quod ad communem patriam voluit peruenire. An, cui de meo sestertium vn- 3
decies contuli, huic quadringentorum millium paullo amplius tertiam partem ex aduentitio

---

Epist. VII. 1. *heredem institui*] rempubl. posse, passiue. Vlpianus fragm. tit. 22. §. 5. *Nec municipia, nec municipes heredes institui possunt, quoniam incertum corpus est*, &c. Postea mutatum in hac lege fuit.

praecipere) ante capere ex hereditate, quae mox *praeceptio* appellatur.

2. *Mihi autem defuncti voluntas*) Pulcerrima sententia, qua aequum legibus & iuri antefertur. Adde lib. IV. ep. 10. n. 3.

communem patriam) Comensem rempub.

3. *vndecies*) 34375 vnciales. Sumtus hic factus in alendos pueros ingenuos. Vid. lib. VII. ep. 18.

paullo amplius tertiam partem] Tertia pars summae *vndecies HS.* paullo minor erat, quam quadrans hereditatis supra dictae, quantum nempe, 11458 supe-

denegem? Scio, te quoque a iudicio meo non abhorrere, quum eamdem rempublicam, vt ciuis
4 optimus diligas. Velim ergo, quum proxime decuriones contrahantur, quid sit iuris, indices, parce tamen & modeste; deinde subiungas, nos quadringenta millia offerre, sicut praecepit Saturninus. Illius hoc munus: illius liberalitas:
5 nostrum tantum obsequium vocetur. Haec ego scribere publice supersedi: primum, quod memineram pro necessitudine amicitiae nostrae, pro facultate prudentiae tuae, & debere te & posse perinde meis ac tuis partibus fungi: deinde, quia verebar, ne modum, quem tibi in sermone custodire facile est, tenuisse in epistola non
6 viderer. Nam sermonem vultus, gestus, vox ipsa moderatur: epistola, omnibus commendationibus destituta, malignitati interpretantium exponitur. Vale.

---

rantur ab 125co vncialibus nummis. Tantum enim erat, quod reipublicae ex hereditate debebat.

4. *decuriones contrahantur*) municipalis senatus conuocetur.

indices) significes sermone in conuentu decurionum, *quid sit iuris*, h. e. iure & secundum leges nihil posse municipium ex hereditate Saturnini capere: munus ergo & liberalitatem esse & legantis Saturnini, & Plinii concedentis, qui iure impedire possit.

sicut praecepit) iussit testamento. Sic Palat. & primae edd. Recentiores *praeceperit*.

5. *scribere publice*) decurionibus nostri municipii.

VIII.

C. PLINIVS CAPITONI SVO S.

Admonitus, vt historiam scriberet, respondet, sibi idem stetisse, causasque consilii ita exponit, vt discrimen simul orationis & historiae ostendat.

Suades, vt historiam scribam, & suades non solus: multi hoc me saepe monuerunt, & ego volo, non quia commode facturum esse confido, (id enim temere credas: nisi expertus,) sed quia mihi pulcrum inprimis videtur, non pati occidere, quibus aeternitas debeatur; aliorumque famam cum sua extendere. Me autem nihil 2
aeque ac diuturnitatis amor & cupido sollicitat: res homine dignissima, praesertim qui nullius sibi conscius culpae, posteritatis memoriam non reformidet. Itaque diebus ac noctibus cogito, si 3
qua me quoque possim tollere humo. (Id enim voto meo sufficit: illud supra votum) *victorque virum volitare per ora. Quamquam o!* Sed hoc satis est, quod prope sola historia polliceri videtur.

Epist. VII. *Capitoni*) Sidonius IV. epist. 22. huius generis epistolam *Caio Cornelio*, id est, Tacito scriptam tradit: & Sauaro ibi testis est, emendatiores libros *Tacito*, non *Capitoni*, praeferre.

1. *hoc*) circa hoc. *Herz.*

2. *diuturnitatis*) Modestius suis scriptis diuturnitatem sperat, quam aeternitatem aliorum operibus promissam:

posteritatis memoriam) vt posteri de se male loquantur. *Catan.*

3. *si qua me quoque possim*) Virgilii verba Georg. lib. III. v. 8.

victorque virum) ibidem v. 9.

Quamquam o! Aeneid. lib. V. v. 195. Aposiopesis.

4 Orationi enim & carmini parua gratia, nisi eloquentia sit summa: historia quoquo modo scripta delectat. Sunt enim homines natura curiosi, & qualibet nuda rerum cognitione capiuntur, vt qui fermunculis etiam fabellisque ducantur: me vero ad hoc studium impellit domesti-
5 cum quoque exemplum. Auunculus meus, idemque per adoptionem pater, historias, & quidem religiosissime, scripsit. Inuenio autem apud sapientes, honestissimum esse maiorum vestigia sequi, si modo recto itinere praecesserint. Cur ego cunctor? Egi magnas & graues causas.
6 Has (etiamsi mihi tenuis ex eis spes) destino retractare, ne tantus ille labor meus, ni hoc, quod reliquum est studii, addidero, mecum pariter intercidat. Nam si rationem posteritatis habeas, quidquid non est peractum, pro non inchoato
7 est. Dices, Potes simul & rescribere actiones, & componere historiam. Vtinam! sed vtrumque tam magnum est, vt abunde sit alterum effi-
8 cere. Vndeuicesimo aetatis anno dicere in foro

4. *carmini parua gratia*) subaudi *est*, quod recentes edd. post *carmini* inserunt, citra fidem MSS.orum.

5. *historias scripsit*) Hae perierunt iniuria temporum. Vid. Voss. de Hist. Lat.

Egi magnas & graues causas) forenses, vt patronus & aduocatus.

6. *retractare*) perlustrare atque polire. *Herz.*

pro non inchoato est) nam mors repentina, vt epist. 5. n. 4. huius libri dixit, semper inchoatum aliquid abrumpit.

8. *vndeuigesimo aetatis anno*) Exempla eiusdem aetatis oratorum, auctor de causs. corr. eloq. c. 34. n. 8. adfert.

coepi,

coepi, & nunc demum, quid praestare debeat orator, adhuc tamen per caliginem, video. Quid si huic oneri nouum accesserit? Habet qui- 9
dem oratio & historia multa communia, sed plura diuersa in his ipsis, quae communia videntur. Narrat iane ipsa; narrat haec, sed aliter. Huic pleraque humilia & sordida, & ex medio petita; illi omnia recondita, splendida, excelsa conueniunt. Hanc saepius ossa, musculi, nerui; illam 10
tori quidam & quasi iubae decent. Haec vel maxime vi, amaritudine, instantia; illa tractu & suauitate, atque etiam dulcedine, placet. Postremo alia verba, alius sonus, alia constructio. Nam plurimum refert, vt Thucydides ait, κτῆμα 11
sit, an ἀγώνισμα: quorum alterum oratio, alterum historia est. His ex caussis non adducor, vt duo dissimilia, & hoc ipso diuersa, quod maxima, confundam misceamque, ne tantum quasi colluuione turbatus ibi faciam, quod hic debeo.

---

9. *Huic*) Historiae. Sic & postea. *Hanc* n. 10.
ex medio petita) vulgaria, triuialia.
illi) Orationi: & n. 10. *illam* de hac intell ges.
10. *ossa, musculi*) necessariae partes: quibus *tori, iubae*, vt ornamenta & nitor opponuntur.
instantia) qua inhaeremus rei per orationem diducendae. *Herz.*
11. *vt Thucydides*) prooemio operis fol. 16.
κτῆμα, ἀγώνισμα) Illud res perpetuae possessionis est, vt memoria historiarum: hoc certamen, conflictus, vt in contentione orationum. Quintilianus lib. X. c. 1. p. 734. huc videtur respexisse. *Historia*, inquit, *scribitur ad narrandum, non ad probandum: totumque opus non ad actum rei pugnamque praesentem, sed ad memoriam posteritatis & ingenii famam componitur.*

12 Ideoque interim veniam, ne a forensibus verbis recedam, aduocandi peto. Tu tamen iam nunc cogita, quae potissimum tempora adgrediamur. Vetera & scripta aliis? parata inquisitio, sed onerosa collatio; intacta & noua? graues offen-
13 sae, leuis gratia. Nam praeter id, quod in tantis vitiis hominum plura culpanda sunt, quam laudanda: tum si laudaueris, parcus: si culpaueris, nimius fuisse dicaris: quamuis illud ple-
14 nissime, hoc restrictissime feceris. Sed haec me non retardant: est enim mihi pro fide satis animi. Illud peto praestruas, ad quod hortaris, eligasque materiam, ne mihi, iam scribere parato, alia rursus cunctationis & morae iusta ratio nascatur. Vale.

---

12. *veniam aduocandi peto*) Aduocandi, est moram nectendi; & Aduocatio, mora; vt in illo Senecae ad Marc. c. 10. *Nimis magnam aduocationem dedi.* Ab iudiciis manauit, vbi parum instructi ad respondendum, aduocationem ab iudice petunt, id est, moram & tempus deliberandi, & aduocandi amicos vel peritos. Ceterum haec scriptura ab Aldo est: priores edd. & Palat. MS. omnia aliter, sed vnde minus sensum aliquem exsculpseris. Nec etiam *veniam* habent, sed *veniet* vel *veniat*. Quod si vera Aldina lectio, erit quod Gronouii obseruationi de *aduocandi* verbo (in Senec. I. de Clem. c. 9.) opponi possit. Sed Sich. non *aduocandi* legit, verum *ornandi*, quo fit, vt maneat hic locus in dubiis ac male sanis. Adi & Gruterum.

13. *Nam praeter id*) A Casaubono haec lectio: libri aliter & turbate. Vid. Grut.

IX.

IX.

C. PLINIVS SATVRNINO SVO S.

Dolet, Valentem grauiter iacere: moleſtius fert, Auitum deceſſiſſe.

Varie me adfecerunt litterae tuae: nam partim laeta, partim triſtia continebant. Laeta, quod te in vrbe teneri nuntiabant. Nollem, inquis: ſed ego volo, propterea, quod recitaturum ſtatim, vt ego veniſſem, pollicebantur. Ago gratias, quod exſpector. Triſte illud, quod Iulius Valens grauiter iacet; quamquam ne hoc quidem triſte, ſi illius vtilitatibus aeſtimetur, cuius intereſt quam maturiſſime inexplicabili morbo liberari. Illud plane non triſte ſolum, verum etiam luctuoſum, quod Iulius Auitus deceſſit, dum ex quaeſtura redit. Deceſſit autem in naui, procul a fratre amantiſſimo, procul a matre, a ſororibus. Nihil iſta ad mortuum pertinent; ſed pertinuerunt quum moreretur: pertinent ad hos, qui ſuperſunt. Iam quod in

2

3

4

5

Epiſt. IX. 1. *Nollem*] in vrbe teneri.

recitaturum] te recitaturum orationes, carmina, vel alia ingenii tui monimenta. Saepe de hoc verbo diximus.

vt ego] poſtquam ego. *Herz.*

2. *ſi illius vtilitatibus*] Vtile Iulio Valenti cenſet, aliquamdiu aegrotare, & a morbo liberari. Nam, vt lib. VII. ep. 26. ait, optimi ſumus, dum infirmi ſumus. Quippe animus morbo conſaneſcit.

3. *Iulius Auitus*] Alius ab Iunio Auito, cuius mors lib. VIII ep. 23 narratur.

5. *Iam quod in flore*] Sic MSS. Recentiores *quidem* pro *quod* cum Aldo,

flore primo tantae indolis iuuenis exstinctus est, summa consequuturus, si virtutes eius maturuissent. Quo ille studiorum amore flagrabat? quantum legit? quantum etiam scripsit? quae nunc omnia cum ipso sine fructu posteritatis
6 aruerunt. Sed quid ego indulgeo dolori? cui si frenos remittas, nulla materia non maxima est. Finem epistolae faciam, vt facere possim etiam lacrymis, quas epistola expressit. Vale.

X.

C. PLINIVS ANTONINO SVO S.

Versus Antonini laudat, vt sibi inimitabiles, & ad plures edendos hortatur.

Cum versus tuos aemulor, tum maxime quam sint boni experior. Vt enim pictores pulcram absolutamque faciem raro, nisi in peius, effingunt; ita ego ab hoc archetypo labor & de-
2 cido. Quo magis hortor, vt quamplurima proferas, quae imitari omnes concupiscant, nemo, aut paucissimi, possint. Vale.

---

aruerunt) Ex iisdem MSS. libris. Sequiores *obierunt*. At etiam Apuleius IV. Metam. p. 154. ed. Elmenh. *miseratio exaruit*.

6. *nulla materia non maxima*) i. e. dolor, materiam, quae nulla est, fingere sibi potest, licet non sit maxima. *Herz.*

Epist. X. 1. *aemulor*] Latine vertendo, quos ille Graece scripserat. Vid. lib. IV. ep. 3. n. 5.

archetypo) Supra lib. 1. epist. 20. n. 9.

labor) Ita Sichardus: alii *labore*, vel *laboro*.

XI.

XI.

C. PLINIVS TRANQVILLO SVO S.

Tranquillum hortatur ad edenda sua scripta, quia ipse eorum spem hendecasyllabo fecerat.

Libera tandem hendecasyllaborum meorum fidem, qui scripta tua communibus amicis spoponderunt. Appellantur quotidie & flagitantur: ac iam periculum est, ne cogantur ad exhibendum formulam accipere. Sum & ipse 2
in edendo haesitator, tu mora tamen meam quoque cunctationem tarditatemque vicisti. Proinde aut rumpe iam moras, aut caue, ne eosdem illos libellos, quos tibi hendecasyllabi nostri blanditiis elicere non possunt, conuicio scazontes

---

Epist. XI. 1. *hendecasyllaborum*) de quibus lib. IV. epist. 14. Iis enim promiserat Secundus, Suetonium propediem nobilissima scripta editurum esse.

Appellantur) vt debitores appellantur de promissis & pactis.

formulam accipere) libellum actionis post litem contestatam. *Formula* enim praescriptum est, secundum quod est lis exigenda. Hanc iudex dabat tam accusato, quam accusanti. Additur *ad exhibendum*, i. e. ad praestandum, quod promiseram. Summa: *Formula*, & libellus ille est, & actio secundum istam formulam instituta, vt Torrentius tradit in Suet. Claud. c. 14. Dicitur ergo futurum esse, vt cogatur propter promissa, actionem & iudicium subire ad praestandam rei promissae praesentiam. Nam *exhibet, qui praestat eius, de quo agitur, praesentiam*. Lege vlt. Dig. de V. S.

2. *conuicio scazontes*) iambi claudicantes, qui spondaeum pro iambo amant in vltima regione; quidam etiam in alia. nam non vnius generis sunt. Vide Plotium de metris. Hi vero conuiciis apti, quia auctor

3 extorqueant. Perfectum opus absolutumque est: nec iam splendescit lima, sed atteritur. Patere, me videre titulum tuum; patere audire, describi, legi, vaenire volumina Tranquilli mei. 4 Aequum est, nos in amore tam mutuo eamdem percipere ex te voluptatem, qua tu perfrueris ex nobis. Vale.

XII.

C. PLINIVS FABATO PROSOCERO SVO S.

Prosocerum laudat, quod porticum dedicauerit, & in portarum ornatum pecuniam promiserit.

Accepi litteras tuas, ex quibus cognoui, speciosissimam te porticum sub tuo filiique tui nomine dedicasse; sequenti die in portarum ornatum pecuniam promisisse, vt initium nouae 2 liberalitatis esset consummatio prioris. Gaudeo primum tua gloria, cuius ad me pars aliqua pro necessitudine nostra redundat: deinde quod

---

Dial. de causs. corr. eloq. c. 10. *amaritudinem* iambis tribuit, quam auget claudicatio, fortius & asperius quiddam sonans: mollieres autem hendecasyllabi, vtpote vel Phaleucii generis, vel Sapphici, vel similis alius. Vide Diomedem lib. III.

3. *lima*] Vid. lib. I. epist. 2. n. 5. & ep. 8. n. 3. & I. VIII. ep. 4. n. 7.

atteritur] quia nimia cura, vt noster ait lib. IX. ep. 35. *deterit magis quam emendat*. Similiter Fabius lib. X. c. 4. *opus poliat lima, non extenuet*.

videre titulum tuum] in bibliopoliis aut bibliothecis.

Epist. XII. 1. *filiique*] qui socer Plinii Secundi fuit, iam vita defunctus, quum haec gener scriberet.

nouae liberalitatis) Ita Ald. & Sich. Alii *sequentis* pro *nouae*. In Palatino neutrum apparet.

memo-

memoriam ſoceri mei pulcerrimis operibus video proferri: poſtremo, quod patria noſtra floreſcit: quam mihi a quocumque excoli iucundum, a te vero laetiſſimum eſt. Quod ſupereſt, Deos precor, vt animum iſtum tibi, animo iſti tempus quam longiſſimum, tribuant. Nam liquet mihi futurum, vt peracto, quod proxime promiſiſti, inchoes aliud. Neſcit enim ſemel incitata liberalitas ſtare, cuius pulcritudinem vſus ipſe commendat. Vale.

XIII.

C. PLINIVS SCAVRO SVO S.

Orationem, paucis amicis recitatam, iudicio Scauri ſubiicit.

Recitaturus oratiunculam, quam publicare cogito, aduocaui aliquos, vt vererer: paucos, vt verum audirem. Nam mihi duplex ratio recitandi: vna, vt ſollicitudine incendar; altera, vt admoneor, ſi quid forte me, vt meum, fallat. Tuli, quod petebam: inueni, qui mihi copiam conſilii ſui facerent. Ipſe praeterea quaedam emendanda annotaui. Emendaui librum, quem miſi tibi. Materiam ex titulo cognoſces, cetera liber explicabit: quem iam nunc

---

Epiſt. XIII. 1. *aduocaui aliquos*) Diſtinctio a Medio eſt, epiſt. CXXII. Nouant. lect. Senſus: Ex multis, quos aduoco, aliqui ſunt, quos tantum verear; pauci, a quibus verum audirem, quia plures laudando adulantur.

vt admoneor) Idem infra lib. VII. ep. 17. n. 1.

vt meum) quia quisque ſua amat, ſuaeque inuentioni fauet, quo fit, vt ſincerius de alienis, quam de ſuis iudicet.

opor-

oportet ita consuescere, vt sine praefatione intel-
4 ligatur. Tu velim, quid de vniuerso, quid de partibus, sentias, scribas mihi. Ero enim vel cautior in continendo, vel constantior in edendo, si huc vel illuc auctoritas tua accesserit. Vale.

XIV.

C. PLINIVS VALERIANO SVO S.

Causa & iudicium Tuscilli, epist. IV. huius libri indicatum, quem exitum habuerit, pernarrat.

Et tu rogas, & ego promisi, si rogasses, scripturum me tibi, quem habuisset euentum postulatio Nepotis circa Tuscillum. Nominatum. Inductus est Nominatus; egit ipse pro se, nullo accusante. Etenim legati Vicentinorum non modo non presserunt eum, verum etiam sublea-
2 uauerunt. Summa defensionis, non fidem sibi in aduocatione, sed constantiam defuisse; descendisse vt acturum, atque etiam in curia visum; deinde sermonibus amicorum perterritum recessisse; monitum enim, ne desiderio senatoris, non iam quasi de nundinis, sed quasi de gratia, fama, dignitate certantis, tam pertinaciter, prae-

---

3. *ita consuescere*) Hoc *ita* ex Palatino est & antiquitus expressis, aptius sane, quam *ibi* vulgarium.

Epist. XIV. 1. *& ego promisi*) sub finem ep. 4. huius libri.

postulatio Nepotis) Ibidem n. 2. *Nepos* (praetor) *postulauit, vt* &c.

presserunt) accusarunt acriter.

subleuarunt) excusando, vel adferendo, quae pro illo erant.

2. *descendisse*) ex domo sua in forum.

senatoris) cui nomen Sollerti erat.

fertim

sertim in senatu, repugnaret: alioqui maiorem inuidiam, quam proxime, passurus. Erat sane 3
prius, tamen a paucis, acclamatum exeunti. Inde subiunxit preces multumque lacrymarum: quin etiam tota actione, homo in dicendo exercitatus, operam dedit, vt deprecari magis (id enim & fauorabilius & tutius) quam defendi videretur. Absolutus est sententia designati consulis Afranii Dextri, cuius haec summa: Melius quidem 4
Nominatum fuisse facturum, si caussam Vicentinorum eodem animo, quo susceperat, pertulisset: quia tamen in hoc genus culpae non fraude incidisset, nihilque dignum animaduersione admisisse conuinceretur, liberandum: Vicentinis, quod acceperat, redderet. Adsenserunt 5
omnes, praeter Flauium Aprum. Is interdicendum ei aduocationibus in quinquennium censuit: & quamuis neminem auctoritate traxisset, constanter in sententia mansit: quin etiam Dex-

---

quam proxime) Modius aliter (epist. 51. Nouant, lect.) distinguit, & *verum* legit, vbi nos *prius*. Palatinus autem vulgatis accedit. *Quam proxime* Catanaeus *statim* interpretatur, vt *quam* superlatiuo inseruiat. Sed cur non comparatiue *quam proxime* valere potest *quam nuper*? vt *quam* a comparatiuo *maiorem* pendeat, & postmodo per *prius* explicetur.

3. *Erat sane prius*) quum Vicentinis adesset.

tamen a paucis) propter inuidiam multorum, qui nolebant ipsum Vicentinis contra senatorem adesse.

exeunti) ex senatu.

4. *liberandum: Vicentinis*) Interponunt quidam *ita tamen vt*; sed a Palat. abest *tamen vt*, & Grutero iudice *ita* quoque abesse potest, quod consonum breuitati Plinianae.

trum,

trum, qui primus diuersum censuerat, prolata lege de senatu habendo, iurare coegit, e republi-
6 ca esse, quod censuisset. Cui, quamquam legitimae postulationi, a quibusdam reclamatum est. Exprobrare enim censenti ambitionem videbatur. Sed priusquam sententiae dicerentur, Nigrinus, tribunus plebis, recitauit libellum disertum & grauem, quo questus est vaenire aduocationes, vaenire etiam praeuaricationes; in lites coiri: & gloriae loco poni ex spoliis ciuium
7 magnos & statos reditus. Recitauit capita legum, admonuit SCtorum: in fine dixit, petendum ab optimo principe, vt quia leges, quia senatusconsulta contemnerentur, ipse tantis vitiis

---

5. *prolata lege*) allegata, citata, non lata noua. Haec itaque Aldi lectio concinnior, quam vulgaris *perlata*.

e republica) in reipublicae commodum. *Herz.*

6. *censenti*) sententiam ferenti. Verbum curiae. Sueton. Calig. extr. *Quidam sententiae loco censuerunt.* Idem Claudio cap. 6. *Senatus censuit, vt* &c. hoc est, decreuit.

ambitionem) quasi Tuscillus Dextrum ambisset, corrupisseteque, vt pro se censeret ac sententiam diceret.

in lites coiri) pacto, societate, & quidem elanculatia. De formula vide Leg. 6. Dig. ad Leg. Iul. de vi priv.

statos reditus) certos, atque pacto constitutos.

7. *capita legum*) Cinciae inprimis, *de donis & muneribus*, Cic. de Senect. cap. 4.

senatusconsultorum) quibus lex Cincia reuocata fuit, quum obsoleuisset, apud Tacit. XI. c. 5. XIII. c. 42. nec non Volusiani senatusconsulti, de quo Lege 6. Dig. ad Legem Iul. de vi priv. Adde epist. vlt. huius libri num. 4.

mede-

mederetur. Pauci dies, & liber principis seue- 8
rus, & tamen moderatus. Leges ipsum; est in
publicis actis. Quam me iuuat, quod in caus-
sis agendis non modo pactione, dono, munere,
verum etiam xeniis semper abstinui! Oportet 9
quidem, quae sunt inhonesta, non quasi illicita,
sed quasi pudenda, vitare: iucundum tamen, si
prohiberi publice videas, quod nunquam tibi
ipse permiseris. Erit fortasse, immo non du- 10
bie, huius propositi mei & minor laus, & ob-
scurior fama, quum omnes ex necessitate facient,
quod ego sponte faciebam. Interim fruor vo-
luptate, quum alii diuinum me, alii meis rapinis,
meae auaritiae occursum per ludum ac iocum
dictitant. Vale.

XV.

C. PLINIVS PONTIO SVO S.

Cornutum curatorem viae factum esse, vel ideo laetatus, quia tum amicitia semper, tum collegio non semel coniuncti fuerint. Addit de suis in villa hospitibus.

Secesseram in municipium, quum mihi nun-
tiatum est, Cornutum Tertullum accepisse

8. *liber principis*) rescriptum, decretum, quemadmodum *liber* de vna oratione ep. 20. n. 2. huius libri, & alibi dicitur. *Cell.* Verbum omissum est: *aderat. Herz.* *xeniis*) donis amicorum. Vide titulum lib. XIII. Martialis, & ibi interpretes.

10. *propositi*) instituti, consuetudinis spontaneae, sine legibus inductae. Horat. lib. III. od. 3. vocat.

Iustum & tenacem propositi virum.

diuinum me) praescientem, praeuidentem futuras leges & inhibitiones. Ita verbo hoc Corn. Nepos quoque vsus est Vita Attici c. 9. n. 1.

Epist. XV. 1. *municipium*) Comum.

Aemi-

2 Aemiliae viae curam. Exprimere non possum, quanto sim gaudio adfectus & ipsius & meo nomine. Ipsius, quod sit licet, sicut est, ab omni ambitione longe remotus, debeat tamen ei iucundus esse honor vltro datus; meo, quod aliquanto magis me delectat mandatum mihi offi-
3 cium, postquam par Cornuto datum video. Neque enim augeri dignitate, quam aequari bonis, gratius. Cornuto autem quid melius? quid sanctius? quid in omni genere laudis ad exemplar antiquitatis expressius? Quod mihi cognitum est non fama, qua alioqui optima & meritissima fruitur, sed longis magnisque experimen-
4 tis. Vna diligimus, vna dileximus omnes fere,

Aemiliae viae curam) Aemiliam Viam Strabo lib. V. f. 150. aliam per Pisas, Lunam, Sabata, & inde vsque Dertonam ducit; aliam, quae Flaminiam excipiens, ab Arimino Bononiam, & inde vsque Aquileiam ferat. Cura autem viarum amplissimae dignitatis erat, olim Censoribus conferri solita: ex instituto Augusti (*Suet. c. 37.*) nouo magistratui, quem *curatores viarum* appellabant, & hos tantae quoque auctoritatis, vt consulares etiam ei muneri praeficerentur.

2. *ipsius*) sc. nomine.

sicut est) De elegantissima hac formula diximus ad Nepotis Pelopidam cap. 3. n. 2. Etiam ad Cic. pro S. Rosc. c. 8.

mandatum mihi officium) cura aluei Tiberis & riparum. Catanaeo in h. l. & Reinesio ad Inscript. VI, 114. extr. est eadem cura Aemiliae: sed falluntur doctissimi viri, quia *par* mox *officium*, non *idem*, nominatur. Praeterea inscriptiones curam aluei & riparum Plinio tribuunt apud Gruter. p. 454; de cura viae nullum vsquam indicium exstat. Adde Buchner. h. l.

quos

quos aetas noſtra in vtroque ſexu aemulandos
tulit: quae ſocietas amicitiarum arctiſſima nos
familiaritate coniunxit. Acceſſit vinculum ne- 5
ceſſitudinis publicae. Idem enim mihi, vt ſcis,
collega, quaſi voto petitus, in praefectura aera-
rii fuit: fuit & in conſulatu. tum ego, qui vir,
& quantus eſſet, altiſſime inſpexi, quem ſeque-
rer vt magiſtrum, vt parentem vererer: quod
non tam aetatis maturitate, quam vitae, mere- 6
batur. His ex cauſſis vt illi, ſic mihi gratulor:
nec priuatim magis, quam publice, quod tandem
homines non ad pericula, vt prius, verum ad ho-
nores virtute perueniunt. In infinitum epiſto- 7
lam extendam, ſi gaudio meo indulgeam. Prae-
uertor ad ea, quae me, agentem hīc, nuntius de-
prehendit. Eram cum profecero meo, eram 8
cum amita vxoris, eram cum amicis diu deſide-

---

4. *in vtroque ſexu aemulandos*) Non Herennium modo, Arulenum & Mauricum, horumque ſimiles; ſed Gratillam quoque, Arriam, Fannìam, ſingulos virtutis eximiae exempla. Vide lib. III. ep. 11. n. 3.

5. *neceſſitudinis publicae*) ex ſocietate collegii & officiorum publicorum.

non tam aetatis) Fr. Modius (epiſt. 51. Nouant. lect.) illud *tam* expungi iubet ſecundum MSS. libros, & Graeco more ſubaudiri, praeſertim quod Vlpianus quoque & Modeſtinus ita locuti ſint. Sed nihil ex Palatino Gruterus monuit; etiam durior illa ellipſis videtur, quam vt ab editis, iisque antiquiſſimis, recedere liceat.

quam vitae) morum ſanctitate ac virtutibus laudatae.

6. *ad pericula, vt prius*) ſub Nerone & Domitiano, quo tempore periculoſum erat, virtutibus inclareſcere. Panegyr. c. 45. *Priores principes vitiis potius ciuium, quam virtutibus laetabantur.* Vide ibi plura.

ratis;

ratis; circumibam agellos; audiebam multum rusticarum querelarum: rationes legebam imitus & cursim (aliis enim chartis, aliis sum litteris initiatus) coeperam etiam itineri me praepa-
9 rare. Nam includor angustiis commeatus, eoque ipso, quod delegatum Cornuto audio officium, mei admoneor. Cupio te quoque sub idem tempus Campania tua remittat, ne quis, quum in vrbem rediero, contubernio nostro dies pereat. Vale.

XVI.

C. PLINIVS MARCELLINO SVO S.

Mortem Fundani filiae luget, & Marcellinum, vt patrem consoletur, monet.

Tristissimus haec tibi scribo. Fundani nostri filia minor est defuncta: qua puella nihil vnquam festiuius, amabilius, nec modo longiore vita, sed prope immortalitate, dignius
2 vidi. Nondum annos quatuordecim impleuerat, & iam illi anilis prudentia, matronalis grauitas erat: & tamen suauitas puellaris cum vir-
3 ginali verecundia. Vt illa patris ceruicibus inhaerebat? vt nos amicos paternos & amanter & modeste complectebatur? vt nutrices, vt pae-

---

9. *angustiis commeatus*) veniae, concessionis, quanto tempore mihi abesse liceat, quod breue a Traiano definitum erat. Idem lib. X. ep. 24. extr. *si mihi dederis commeatum XXX. dierum.*

Epist. XVI. 2. *anilis prudentia*) tamquam grandaeuae matronae. Quidam *senilis* legunt.

3. *vt*) mirum est, *sicut* illa &c. *Herz.*

dago-

dagogos, vt praeceptores, pro suo quemque officio, diligebat? quam studiose, quam intelligenter lectitabat? vt parce custoditeque ludebat? qua illa temperantia, qua patientia, qua etiam constantia nouissimam valetudinem tulit? medicis obsequebatur, sororem, patrem adhortabatur, ipsamque se destitutam corporis sui viribus, vigore animi sustinebat. Durauit hic illi 5 vsque ad extremum, nec aut spatio valetudinis, aut metu mortis infractus est; quo plures grauioresque nobis causas relinqueret & desiderii & doloris. O triste plane acerbumque funus! 6 o morte ipsa mortis tempus indignius! Iam destinata erat egregio iuueni, iam electus nuptiarum dies, iam nos vocati. Quod gaudium quo 7 moerore mutatum est? Non possum exprimere verbis, quantum animo vulnus acceperim, quum

---

pro suo quemque officio) Quo nobilius cuiusque officium erat, eo plus diligebat, vt praeceptores litterarum prae ceteris ministris.

parce custoditeque) temperanter & cum reuerentia illorum, qui adolescentiae eius praefecti erant.

4. *adhortabatur*) vt patientius ferrent suum morbum & imminentem mortem.

5. *spatio valetudinis*) i. e. a constantia sua non deterrita est, considerans spatium, per quod se valetudo aduersa extendit. *Herz.*

quo plures) *Quo* pro *vt*, ἐκβατικῶς, non τελικῶς. Florus IV. c. 2. n. 65. *Accessit copiis* (Pompeianis) *rex Iuba, vt latius vinceret Caesar.*

6. *Iam destinata erat*) Illud *erat* abest a Sichardina.

iam nos vocati) nos amici paterni inuitati eramus ad nuptias. Ald. & Gatan. *vocati*, eleganter; *aduocati* Sich.

audi-

audiui, Fundanum ipsum (vt multa luctuosa dolor inuenit) praecipientem, quod in vestes, margaritas, gemmas, fuerat erogaturus, hoc in thu-
8 ra & vnguenta & odores impenderetur. Est quidem ille eruditus & sapiens, vt qui se ab ineunte aetate altioribus studiis artibusque dediderit: sed nunc omnia, quae audiit saepe, quae dixit, aspernatur; expulsisque virtutibus aliis,
9 pietatis est totus. Et talis est pietas, cui ignoscas: laudabis etiam, si cogitaueris, quid amiserit. Amisit enim filiam, quae non minus mores eius, quam os vultumque referebat, totumque
10 patrem mira similitudine exscripserat. Proinde si quas ad eum de dolore tam iusto litteras mittes, memento adhibere solatium, non quasi castigatorium & nimis forte, sed molle & humanum.

---

7. *in thura & vnguenta*) quae in corpus defunctae & in rogum inspergerentur. Statius II. Silu. 1. v. 160. de rogo Glauciae:

Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi,
Quod Arabes Phariique - - - liquores
Arsuram lauere comam.

Virgilius Aen. lib. VI. v. 219.

corpusque lauant frigentis & vngunt.

& post paullo v. 224.

Auersi tenuere facem: congesta cremantur
Thurea dona.

8. *pietatis est totus*) amoris & adfectus in filiam. Sequentia: *Et talis est pietas, cui*, sunt ex MS. Modii & ed. Sich. quibus Palatinum quodammodo accedere, vestis Gruterus est. Sich. etiam postea *laudabilis* pro *laudabis*, legit.

9. *Amisit enim*) Supra lib. II. ep. 7. n. 3.

10. *castigatorium*) seueris verbis a dolore auocans. Ald. *castigatorum*.

Quod

Quod vt facilius admittat, multum faciet medii temporis spatium. Vt enim crudum adhuc vul- 11
nus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque vltro requirit; sic recens animi dolor consolationes reiicit ac refugit, mox desiderat, & clementer admotis acquiescit. Vale.

XVII.

C. PLINIVS SPVRINNAE SVO S.

Calpurnium bene recitasse nuntiat, fratrisque pietate laudata, nobiles adolescentes eruditi optat.

Scio, quantopere bonis artibus faueas, quantum gaudii capias, si nobiles iuuenes dignum aliquid maioribus suis faciant: quo festinantius nuntio tibi, fuisse me hodie in auditorio Calpurnii Pisonis. Recitabat ἐρωτοπαίγνιον; eruditam 2
sane luculentamque materiam. Scripta elegis erat fluentibus, & teneris, & enodibus, sublimibus etiam verbis, vt popposcit locus. Alte enim & varie nunc attollebatur, nunc residebat: excelsa depressis, exilia plenis, seueris iucunda mutabat: omnia ingenio pari. Commendabat 3
haec voce suauissima, vocem verecundia; multum sanguinis, multum sollicitudinis in ore, magna ornamenta recitantis. Etenim, nescio quo

---

medii temporis) i. e. vt doloris iam noui tempus aliquod praetermittas. *Herz.*

Epist. XVII. 1. *in auditorio*) loco recitationis.

2. ἐρωτοπαίγνιον) opus de ludo amoris.

enodibus) mollibus, suauibus.

3. *multum sanguinis*) signum verecundiae iam in voce laudatae.

pacto, magis in ſtudiis homines timor, quam
4 fiducia decet. Ne plura: (quamquam libet plura, quo ſunt pulcriora de iuuene, rariora de nobili,) recitatione finita, multum ac diu exoſculatus adoleſcentem, qui eſt acerrimus ſtimulus monendi, laudibus incitaui, pergeret qua coepiſſet, lumenque, quod ſibi maiores ſui praetuliſſent, poſteris ipſe praeferret. Gratulatus
5 ſum optimae matri, gratulatus & fratri, qui ex auditorio illo non minorem pietatis gloriam, quam ille alter eloquentiae tulit. Tam notabiliter pro fratre recitante primum metus eius, mox
6 gaudium eminuit. Dii faciant, vt talia tibi ſaepius nuntiem! Faueo enim ſeculo, ne ſit ſterile & effoetum: mireque cupio, ne nobiles noſtri nihil in domibus ſuis pulcrum, niſi imagines habeant: quae nunc mihi hos adoleſcentes tacite laudare, adhortari, &, quod amborum gloriae ſatis magnum eſt, agnoſcere videntur. Vale.

---

timor, quam fiducia) quia timor emendat; fiducia incurioſos facit. Vid. lib. VII. epiſt. 17. n. 13.

4. *acerrimus ſtimulus*) Laus exſtimulat bonas mentes, vt velint & pergant tales eſſe, quales exiſtimantur.

5. *pietatis gloriam*) amoris erga fratrem; vnde metus pro illo emanabat.

ille alter) qui recitauerat, Calpurnius Piſo. *Herz.*

6. *niſi imagines*) Vide lib. III. epiſt. 3. n 7. Significant natalium ſplendorem; non autem animi virtutem ac doctrinam. Vtramque ergo noſter coniungi optat.

agnoſcere) conatum, quo iuuenes ſuorum maiorum ſe ſimiles reddere allaborant, approbare. *Herz.*

XVIII.

XVIII.

C. PLINIVS MACRO SVO S.

Macro de secessus amoenitate gratulatur.

Bene est mihi, quia tibi bene est. Habes vxorem tecum, habes filium. Frueris mari, fontibus, viridibus, agro, villa amoenissima. Neque enim dubito esse amoenissimam, in qua se composuerat homo, felicior antequam felicissimus fieret. Ego in Tuscis & venor & studeo, 2
quae interdum alternis, & interdum simul facio: nec tamen adhuc possum pronuntiare, vtrum sit difficilius capere aliquid, an scribere. Vale.

XIX.

C. PLINIVS PAVLLINO SVO S.

Rogat, vt Paullinus villam suam Zosimo liberto commodet valetudinis recuperandae caussa.

Video, quam molliter tuos habeas: quo simplicius tibi confitebor, qua indulgentia

---

Epist. XVIII. 1. *viridibus*) Supra ep. 6. huius libri n. 17. *tonsa viridia*: & num. 38. *in viridia prominet*: dehinc *alid viridia*: Loca ergo sunt fruticibus & graminibus laeta. Sich. *amnibus*; quidam *vitibus* legunt.

homo, felicior) Catanaeus aliique ad Neruam referunt, a Domitiano iussum Tarentum secedere, vbi priuatus *felicior* vixerit, quam quum *felicissimus*, hoc est, imperator factus esset. Philostratus in Vita Apollonii lib. V. cap. 4. de Domitiano: Νερούᾳ δὲ προσέταξεν οἰκεῖν ἄρκτα. Imitatus est, vt solet, Sidonius Apollinaris lib. II. ep. vlt. de Petronio Maximo, Valentiniani III. successore: *Inuenies hominem beatiorem prius fuisse, quam beatissimus nominaretur.*

2. *Ego in Tuscis & venor*) Vide lib. I, ep. 6.

alternis] vicibus.

2 meos tractem. Est mihi semper in animo & Homericum illud, πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν, & hoc nostrum, PATERFAMILIAS. Quod si essem natura asperior & durior, frangeret me tamen infirmitas libertimei Zosimi, cui tanto maior humanitas exhibenda est, quanto nunc illa magis
3 eget. Est homo probus, officiosus, litteratus, & ars quidem eius, & quasi inscriptio, compedus, in qua plurimum facit. Nam pronuntiat acriter, sapienter, apte, decenter etiam; vtitur & cithara perite, vltra quam comoedo necesse est. Idem tam commode orationes & historias & carmina
4 legit, vt hoc solum didicisse videatur. Haec tibi sedulo exposui, quo magis scires, quam multa vnus mihi & quam iucunda ministeria praestaret. Accedit huc longa iam caritas hominis,
5 quam ipsa pericula auxerunt. Est enim a natura comparatum, vt nihil aeque amorem incitet & accendat, quam carendi metus, quem ego pro
6 hoc non semel patior. Nam ante aliquot annos, dum intente instanterque pronuntiat, san-

---

Epist. XIX. 2. *Homericum illud*) Odyss. B. v. 47. & 234. *Pater* autem *mitis & mansuetus* significatur.

cui tanto maior humanitas) Adprobat Gruterus hanc sectionem, quamquam cum vetustis libris non conueniat, heic certe nihil melius proferentibus.

3. *& quasi inscriptio*) Ad seruos venales adludit, qui titulo inscribebantur, quod quisque officium commodissime praestaret. *Inscriptio* ergo *titulus* est.

plurimum facit) plurimum valet.

carmina legit) Haec enim alio tono legebantur & ex metri praecepto.

guinem

guinem reiecit, atque ob hoc in Aegyptum miſſus a me, poſt longam peregrinationem confirmatus rediit nuper: deinde dum per continuos dies nimis imperat voci, veteris infirmitatis tuſſicula admonitus, rurſus ſanguinem reddidit. Qua ex cauſſa deſtinaui eum mittere in praedia 7
tua, quae Foroiulii poſſides. Audiui enim te ſaepe referentem, eſſe ibi & aerem ſalubrem, & hac huiusmodi curationibus accommodatiſſimum. Rogo ergo, ſcribas tuis, vt illi villa, vt 8
domus pateat; offerant etiam ſumtibus eius, ſi quid opus erit: erit autem opus modico. Eſt 9
enim tam parcus & continens, vt non ſolum delicias, verum etiam neceſſitates valetudinis frugalitate reſtringat. Ego proficiſcenti tantum viatici dabo, quantum ſufficit eunti in tua. Vale.

6. *in Aegyptum miſſus*) Plinius maior H. N. lib. XXXI. c. 6. Gallionem quoque ea de cauſſa Aegyptum petiiſſe refert. *Neque* (addit) *Aegyptus propter ſe petitur, ſed propter longinquitatem nauigandi.* Saluber enim nauigandi vſus & phthiſi adfectis, & ſanguinem egerentibus, *ibidem.* Et Celſus III. c. 22. *Si vera phthiſis eſt, - - - opus eſt longa nauigatione, - - - ideoque aptiſſime Alexandriam ex Italia itur.*

imperat voci) plus exigit a voce, quam ferre poſſit: nimis eam exercet.

7. *Foroiulii*) Maior Plinius lib. III. duo Foro Iulia Italiae commemorauit, alterum, cap. 19. *Transpadanum* in Venetia ſeu Carnis: alterum, *Concubienſe* cognomine, in Vmbria, cap. 12. Poſterius hoc loco intelligitur, cuius ſolum aptius Romanis praediis, quam illud Transpadanum ſub Alpibus.

9. *ſufficit eunti in tua*] Sic Aldina: nec aliter Palat. niſi quod *& eunti*, coniunctione addita: Sich. *& moderato & eunti*

XX.

C. PLINIVS VRSO SVO S.

Se Varenum, a Bithynis ex proconsulatu accusatum, defendisse narrat.

Iterum Bithyni, post breue tempus a Iulio Basso, etiam Rufum Varenum proconsulem detulerunt: Varenum, quem nuper aduersus Bassum aduocatum & postularant & acceperant. 2 Inducti in senatum, inquisitionem postulauerunt: tum Varenus petiit, vt sibi quoque defensionis caussa euocare testes liceret: recusantibus Bithynis, cognitio susceptа est. Egi ego pro Vareno, non sine euentu: nam bene an male, liber in- 3 dicabit. In actionibus enim vtrumque in partem fortuna dominatur: multum commendationis & detrahit & adfert memoria, vox, gestus, tempus ipsum; postremo vel amor vel odium rei: liber offensis, liber gratia, liber & secundis 4 casibus, & aduersis caret. Respondit mihi Fonteius Magius, vnus ex Bithynis, plurimis verbis, paucissimis rebus. Mos est plerisque Graeco-

---

Epist. XX. 1. *a Iulio Basso*) post Iulii Bassi accusationem, lib. IV. ep. 9.

Rufum Varenum] Pomponium Rufum Varenum, ibidem n. 3.

2. *euocare testes*] ex prouincia.

cognitio] inquisitio seu euolutio. *Hertz.*

liber indicabit] oratio pro Vareno habita. Vide finem epistolae, vbi *oratiunculam* vocat. Adde supra epist. 14. n. 8.

3. *liber offensis*] oratio scripta.

4. *Graecorum*] Asiaticorum, qui ab aliis Graecis mul-

rum,

rum, vt illis sit pro copia volubilitas: tam longas tamque rigidas periodos vno spiritu, quasi torrente, conuorquent. Itaque Iulius Candidus non 5
inuenuste solet dicere, ALIVD ESSE ELOQVENTIAM, ALIVD LOQVENTIAM. Nam eloquentia vix vni aut alteri, immo, si Marco Antonio credimus, nemini; haec vero, quam Candidus loquentiam appellat, multis, atque etiam impudentissimo cuique maxime contingit. Postero die dixit pro Vareno Homullus callide, 6
acriter, culte; contra Nigrinus presse, grauiter, ornate. Censuit Acilius Rufus, consul designatus, inquisitionem Bithynis dandam: postulationem Vareni silentio praeteriit. Haec forma negandi fuit. Cornelius Priscus consularis & 7

---

tum stili genere differebant. Cic. de Clar. Orat. c. 13. *Asiatici oratores non contemnendi nec celeritate, nec copia, sed parum pressi, & nimis redundantes.*

5. *Iulius Candidus*) iterum consul octauo Traiani anno. Spartianus in Hadr. c. 3. *Candido & Quadrato iterum coss.* Ad quem locum Casaubonus inscriptionem veterem adfert: T. IVLIO CANDIDO II. A. IVLIO QVADRATO II. COSS.

aliud loquentiam] Sallustius cap. V. de Catilina: *satis loquentiae, sapientiae parum.*

si Marco Antonio) oratori, a Cicerone saepius laudato. De hoc idem in Oratore cap. 5. *M. Antonius cui vel primas eloquentiae patrum nostrorum tribuebat aetas, difertos ait se vidisse multos, eloquentem omnino neminem.*

6. *Homullus*) lib. IV. epist. 9. n. 15.

Haec forma) modus, species negationis, silentium scilicet.

7. *Cornelius Priscus*) apud quem mortem Martialis luxit lib. III. ep. vlt.

accusatoribus, quae petebant, & reo tribuit, vicitque numero. Impetrauimus rem nec lege comprehensam, nec satis vsitatam, iustam tamen. Quare iustam, non sum epistola exsequuturus, vt desideres actionem. Nam si verum est Homericum illud

Τὴν γὰρ ἀοιδὴν μᾶλλον ἐπικλείουσ' ἄνθρωποι,
Ἥτις ἀκουόντεσσι νεωτάτη ἀμφιπέληται,

apud te prouidendum est mihi, ne gratiam nouitatis & florem, quae oratiunculam meam vel maxime commendat, epistolae loquacitate praecerpam. Vale.

XXI.

C. PLINIVS RVFO SVO S.

Centumuirale iudicium, senatusconsultio a praetore producto, dimissum dilatumque fuisse, & varios hominum sermones sequutos, nuntiat.

Descenderam in basilicam Iuliam, auditurus, quibus proxima comperendinatione re-

---

8. *actionem*) librum, orationem scriptam, vt lib. II. epist. 5. n. 1. & eiusdem libri epist. 19. n. 2.

Homericum illud) Odyss. A. v. 351. Latine: *Illam cantilenam magis celebrant homines, quae audientibus recentissima sit.*

ne gratiam nouitatis) lib. I. ep. 2. n. 6.

Epist. XXI. 1. *Descenderam*) ab Exquiliis, loco edito, vbi Plinius habitabat. Lib. III ep. vlt. n. 5.

in basilicam Iuliam) locum centumuiralis iudicii, vt ad lib. I epist. 18. n. 3. ex Quintiliano probatum fuit.

comperendinatione) Asconius in Verrin. de Praet. Vrb. p. 76. *Comperendinatio est ab vtrisque litigatoribus inuicem sibi denuntiatio in perendinum diem.* Quid ab *ampliatione* differat, ibidem docet. Pompe-

spon-

ſpondere debebam. Sedebant iudices, decemuiri 2
venerant, obſeruabantur aduocati; ſilentium longum, tandem a praetore nuntius. Dimittuntur centumuiri: eximitur dies, me gaudente, qui nunquam ita paratus ſum, vt non mora laeter. Cauſſa dilationis, Nepos praetor, qui legibus 3
quaerit. Propoſuerat breue edictum; admonebat accuſatores, admonebat reos, exſequuturum ſe, quae ſenatusconſulto continerentur. Suberat 4
edicto ſenatusconſultum: HOC OMNES, QVIDQVID NEGOTII HABERENT, IVRARE PRIVS QVAM AGERENT, IVBEBANTVR, NIHIL SE OB ADVOCATIONEM CVIQVAM DEDISSE, PROMISISSE, CAVISSE. His enim verbis, ac mille praeterea, & vaenire aduocationes & emi vetabantur. Peractis tamen ne- 5
gotiis, permittebantur pecuniam duntaxat decem

---

ius Feſtus in RES, *Res comperendinata ſignificat iudicium in tertium diem conſtitutum.* Vet. Gloſſ. *Comperendinatio*, τριήμερος ὑπερθεσις.

2. *decemuiri*) MSS. ita: vulgo *centumuiri*. At centumuiri ipſi iudices, qui heic *ſediſſe* dicuntur, diuerſi ab iis, qui *venerant*. Grut. in h. l. & Gronou. Obſeru. III, 24.

eximitur) praeſens ad iudicium dies deſtinatus ab hoc negotio quaſi liberatur. *Herz.*

3. *qui legibus quaerit*) ſecundum leges cognoſcit, leges veteres & SCta reducit.

quae SC. continerentur) Vide ep. 14. n. 7. huius libri.

5. *pecuniam decem millium*) ſubaudi *nummum*. Sequutus Nepos Claudium Caeſarem, qui apud Tacitum XI, 7. *capiendis pecuniis poſuit modum vsque ad dena ſeſtertia, quem egreſſi repetundarum teneren-*

millium dare. Hoc facto Nepotis commotus praetor, qui centumuiralibus praesidet, deliberaturus an sequeretur exemplum inopinatum, nobis
6 otium dedit. Interim tota ciuitate Nepotis edictum carpitur, laudatur. Multi, INVENIMVS, QVI CVRVA CORRIGERET. QVID? ANTE HVNC PRAETORES NON FVERVNT? QVIS AVTEM HIC EST, QVI EMENDET PVBLICOS MORES? Alii contra, RECTISSIME FECIT INITVRVS MAGISTRATVM: IVRA COGNOVIT: SENATVSCONSVLTA LEGIT: REPRIMIT NOVISSIMAS PACTIONES: REM PVLCERRIMAM TVRPISSIME VENIRE NON PATITVR. Tales vbique sermones: qui tamen alterutram in partem
7 ex euentu praeualebunt. Est omnino iniquum, sed usu receptum, quod honesta consilia vel turpia, prout male aut prospere cedunt, ita vel pro-

---

tur. Eadem vtrobique summa, CCC vncialium nostrorum & paullo plus, si sestertius quadrans drachmae est.

6. *qui curua corrigeret*) Prouerbiale dicterium, quale illud Senecae, de morte Claudii Ludo: *Hic nobis curua corrigit:* Hoc Buchnerus adnotauerat. Ceterum singulari *corrigeret* Aldus & Sichardus: paene multi alii *corrigerent* pluraliter.

initurus magistratum) Adhuc enim designatus tantum fuerat: nunc autem initurus erat.

nouissimas pactiones) Ita Palat. & vetustae edd. Aldus autem *foedissimas.*

turpissime venire) vendi turpis lucri caussa.

7. *prout male aut prospere cedunt*) Balbus & Oppius Ciceroni sub epist. 8. lib. IX. ad Atticum: *Nedum hominum humilium, vt nos sumus, sed etiam amplissimorum virorum consilia ex euentu, non ex volun-*

bantur

bantur vel reprehenduntur. Inde plerumque eadem facta modo diligentiae, modo vanitatis, modo libertatis, modo furoris nomen accipiunt. Vale.

LIBER VI.

I.

C. PLINIVS TIRONI SVO S.

Tironem hortatur, vt ex Piceno in vrbem redeat, qua impatienter desideretur.

Quamdiu ego trans Padum, tu in Piceno, minus te requirebam: postquam ego in vrbe, tu adhuc in Piceno, multo magis: seu quod ipsa loca, in quibus esse vna solemus, acrius me tui commonent: seu quod desiderium absentium nihil perinde ac vicinitas acuit: quoque propius accesseris ad spem fruendi, hoc impatientius careas. Quidquid in caussa, eripe me huic 2
tormento. Veni, aut ego illuc, vnde inconsulte properaui, reuertar, vel ob hoc solum, vt experiar an mihi, quum sine me Romae coeperis esse, similes his epistolas mittas. Vale.

---

tate, a plerisque probari solent. Et ipse Cicero pro Rabir. Postumo sub init. *Hoc plerumque facimus, vt consilia euentis ponderemus, & cui bene quid processerit, multum illum prouidisse; cui secus, nihil sensisse dicamus.*

Epist. I. 1. *trans Padum*) Comi.

Piceno) regione ad superum mare post Vmbriam.

loca, in quibus esse vna) Romae.

2. *inconsulte*) Sic Aldus: *consulte* Sichardus: & Catan. *consulto.*

II.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

De increbescente brevitate forensium actionum, qua studia negligantur, conqueritur ita, vt Regulum non tam desideret, quam reprehendat.

Soleo nonnunquam in iudiciis quaerere Marcum Regulum, nolo enim dicere, desiderare. 2 Cur ergo quaero? Habebat studiis honorem, timebat, pallebat, scribebat: quamuis non posset dediscere illud ipsum, quod oculum modo dextrum, modo siniſtrum circumlinebat; dextrum, si a petitore; alterum, si a possessore esset acturus, quod candidum splenium in hoc aut illud

---

Epist. II. 1. *Marcum Regulum*) de cuius moribus saepe notabiliter dictum fuit, lib. I. epist. 5. lib. II. ep. vlt. & lib. IV. ep. 2. ac 7.

2. *pallebat*) quod industriae signum & vigiliarum. *Palluit* autem *semper*, lib. I. epist. 5. n. 13.

circumlinebat) Variis de caussis faciem linebant veteres, vt interpretes Suetonii ad cap. vlt. Othonis observant. Vide ed. Graeu. ex Salmasio. Puto heic eam circumlitionem ex oleo intelligi, quae persuaderet hominibus, oculos lectione adfectos fatigatosque esse, vt de se puero Persius Satyr. III, 44. scribit.

Saepe oculos, memini tingebam parvus oliuo,
Grandia si nollem &c.

Ridet enim Regulum noster, quod saepe finxisset morbum luminum medicamento oculari, vt maiorem industriae suae opinionem omnibus faceret.

dextrum, si a petitore) Haec per iocum ita distribui videntur, quod oculi eius semper alienis bonis insidiabantur. *Petitor* accusator est, qui repetit ablata: *possessor*, reus, inuasor, vsurpator.

candidum splenium) fasciam albam, quae illitis oculis imponebatur, Martialis II. epigr. 29,

super-

supercilium transferebat: quod semper aruspices consulebat de actionis euentu, anili superstitione, sed tamen a magno studiorum honore veniebat. Iam illa perquam iucunda vna 3
dicentibus, quod libera tempora petebat, quod audituros conrogabat. Quid enim iucundius, quam sub alterius inuidia, quamdiu velis, & in alieno auditorio quasi deprehensum commode dicere? Sed vtcumque se habent ista, bene fecit 4
Regulus, quod est mortuus, melius, si ante. Nunc enim sane poterat sine malo publico viuere sub eo principe, sub quo nocere non poterat. Ideo fas est, nonnunquam eum quaerere. Nam 5
postquam obiit ille, increbuit passim & inualuit consuetudo, binas vel singulas clepsydras, interdum & dimidias, & dandi & petendi. Nam

---

Et numerosa sinunt stellantem splenia frontem.
Vbi & emplastra, aut medicamentis tinctus panniculus, intelligi possunt, leniendo capitis dolori, vel oculorum morbo adhibita. Vide ibi interpretes.

3. *libera tempora*) non circumscripta clepsydris, & in angustiam spatii coarctata, sed quanta ipse cupiebat. Nolebat enim sibi fines dicenti poni.

audituros conrogabat) Recurre ad lib. II. epist. 14. n. 4. seq.

4. *sub eo principe*) sub Traiano.

nocere non poterat) quemadmodum sub Domitiano & aliis. Supra l. I. ep. 5. & Tacit. Histor. IV. c. 42.

5. *binas vel singulas clepsydras*) Vide l. I. ep. 23. & l. IV. ep. 6.

& *dandi & petendi*) Dare clepsydras, iudicum erat: petere, accusatoris, rei, & aduocatorum. Vtrumque, pro more temporum, breuissimo spatio concludebatur. Vide n. 7.

& qui dicunt, egisse malunt quam agere; & qui audiunt, finire quam iudicare. Tanta negligentia, tanta desidia, tanta denique irreuerentia stu-
6 diorum periculorumque est. An nos sapientiores maioribus nostris? nos legibus ipsis iustiores, quae tot horas, tot dies, tot comperendinationes largiuntur? hebetes illi & supra modum tardi? Nos apertius dicimus, celerius intelligimus, religiosius iudicamus, qui paucioribus clepsydris praecipitamus causas, quam diebus explicari
7 solebant? O Regule, qui ambitione ab omnibus obtinebas, quod fidei paucissimi praestant! Equidem quoties iudico, quod saepius facio quam dico, quantum quis plurimum postulat,
8 aquae do. Etenim temerarium existimo, di-

---

egisse malunt) breuiter dicere, & statim finire actionem. *studiorum*) artis dicendi & eloquentiae.

periculorum) actionum forensium. Cic. pro Arch. cap. 2. *persona propter otium ac studium minime in iudiciis periculisque tractata.* Status ergo reorum *periculum* est, & quae illum sequuntur in foro actiones.

6. *tot horas*) Sex horae accusatori; reo nouem legibus datae, vt noster supra dixit lib. IV. epist. 9. n. 9. qui & ipse aliquando septem horis defendit, libri eiusdem epist. 16.

comperendinationes) conf. lib. V. epist. 21. n. 1.

7. *ambitione obtinebas*) spatia libera ad agendum. idque non fidei caussa, vt clienti consuleret, sed vt suae seruiret gloriae.

fidei) integritati, officio. Nam *officium* aduocato *cum fide impositum est*, Cic. pro Rosc. Am. c. 4.

aquae do) temporis concedo, quod clepsydra, aquae stillantis mensura, veteres metiebantur. Sic

uinare

uinare quam spatiosa sit caussa inaudita, tempusque negotio finire, cuius modum ignores; praesertim quum primam religioni suae iudex patientiam debeat, quae pars magna iustitiae est. At quaedam superuacua dicuntur: etiam; sed satius est & haec dici, quam non dici necessaria. Praeterea, an sint superuacua, nisi quum audieris, scire non possis. Sed de his melius coram, vt de pluribus vitiis ciuitatis. Nam tu quoque in more communi soles emendari cupere, quae iam corrigere difficile est. Nunc respiciamus domos nostras. Ecquid omnia in tua recte? in mea noui nihil. Mihi autem & gratiora sunt bona, quod perseuerant; & leuiora incommoda, quod adsueui. Vale.

III.

C. PLINIVS VERO SVO S.

Vero agellum, nutrici dono datum, colendum commendat.

Gratias ago, quod agellum, quem nutrici meae donaueram, colendum susceperis. Erat,

---

Apuleius Apolog. p. 292. ed. Elmenh. *Quoniam mihi pro accusationis longitudine largiter aqua supersit.*

8. *quum primam*) Aldus ita, quod etiam Gronouius tuetur Obseru. l. I. c. 7. *Primam* autem est, praecipuam, singularem. Vulgo *primum* lectum.

superuacua dicuntur: etiam;) ETIAM concessionis vocula, vt lib. V. epist. 13. n. 3. adfirmationis.

9. *in more communi*) Casauboni emendatio. Vulgo lectum *amore communium*. Et sane Sichardus *amore communi*, quod propius accedit ad emendatum.

quae) in iis emendari cupis, quae. *Herz.*

10. *domos nostras*) Vox *domos* abest a Palat. & Aldina prioribus: sed sensus videtur postulare,

quum

quum donarem, centum millium nummum: postea, decrescente reditu, etiam pretium mi-
2 nuit, quod nunc te curante reparabit. Tu modo memineris, commendari tibi a me non arbores & terram (quamquam haec quoque) sed munusculum meum; quod esse quam fructuosissimum non illius magis interest, quae accepit, quam mea, qui dedi. Vale.

IV.

C. PLINIVS CALPVRNIAE SVAE S.

Queritur, sibi non licuisse per occupationes, cum vxore in Campaniam secedere, indeque vt saepe litteras mittat, monet.

Nunquam fum magis de occupationibus meis questus; quae me non sunt passae aut proficiscentem te, valetudinis caussa, in Campaniam prosequi, aut profectam e vestigio subsequi.
2 Nunc enim praecipue simul esse cupiebam, vt oculis meis crederem, quid viribus, quid corpusculo adquireres, & qui denique secessus, voluptates, regionisque abundantiam inoffensa trans-

---

Epist. III. 1. *centum millium nummum*) Saepe dictum, nummos Romanorum esse ipsos sestertios. Nostrae monetae summa est 3125 thalerorum vncialium.

2. *quam mea, qui dedi*) quia quo nitidius donum, eo plus honoris atque laudis donanti reddit.

Epist. IV *Calpurniae*) vxori Plinii Secundi.

1. *in Campaniam*) in Baianas thermas; quia praecessit, *valetudinis caussa*.

2. *oculis meis crederem*) ipse viderem.

adquireres) Aldus *adpareres*.

inoffensa) Campania propter luxuriae materiem nit-

mitteres. Equidem etiam fortem te non sine 3
cura desiderarem. Est enim suspensum & an-
xium de eo, quem ardentissime diligas, interdum
nihil scire. Nunc vero me cum absentiae, tum 4
infirmitatis tuae ratio, incerta & varia sollicitudi-
ne exterret. Vereor omnia, (imaginor omnia)
quaeque natura metuentium est, ea maxime
mihi, quae maxime abominor, fingo. Quo im- 5
pensius rogo, vt timori meo quotidie singulis,
vel etiam binis epistolis consulas. Ero enim se-
curior, dum legam; statimque timebo, quum
legero. Vale.

V.

C. PLINIVS VRSO SVO S.

Licinium Nepotem & Iubentium Celsum in caussa Vareni inter se de legis additamento, quod Nepos suaserat, altercatos fuisse, non sine dolore refert.

Scripseram tenuisse Varenum, vt sibi euocare testes liceret: quod pluribus aequum, quibusdam iniquum, & quidem pertinaciter, visum; maxime Licinio Nepoti, qui sequenti senatu,

deliciae Romanorum, immo corruptela erat. Has voluptates noster suam sperat & monet sine offensa valetudinis transmissuram: de mentis enim firmitate certior omnino erat.

3. *fortem te non sine cura*) bene valentem, vt lib. IV. epist. 1. extr. & lib. VII. epist. 23. pr. Quidam legunt *& non sine c.* sed illud ET neque MSS. neque vett. edd. agnoscunt.

4. *imaginor omnia*) Haec Catanaeus legit: absunt a Palat. Ald. Sich. & vetustioribus cunctis editionibus. Nec vero, Grutero iudice, aliena hoc loco videntur.

Epist. V. 1. *tenuisse Varenum*) obtinuisse. De caussa relege lib. V. epist. 20.

quum

quum de rebus aliis referretur, de proximo senatusconsulto dissernit, finitamque caussam retra-
2 ctauit. Addidit etiam, petendum a consulibus, vt referrent, sub exemplo legis ambitus, de lege repetundarum, an placeret in futurum ad eam legem adiici, vt, sicut accusatoribus inquirendi testibusque denuntiandi potestas ex ea lege esset,
3 ita reis quoque fieret. Fuerunt, quibus haec eius oratio, vt sera & intempestiua & praeposterа, displiceret: quae omisso contradicendi tempore castigaret peractum, cui potuisset occurrere.
4 Iubentius quidem Celsus praetor, tamquam emendatorem senatus, & multis & vehementer increpuit. Respondit Nepos, rursusque Celsus:
5 neuter contumeliis temperauit. Nolo referre, quae dici ab ipsis molestе tuli: quo magis quosdam e numero nostro improbaui, qui modo ad Celsum, modo ad Nepotem, prout hic vel ille diceret, cupiditate audiendi cursitabant; & nunc quasi stimularent & accenderent, nunc, quasi

---

2. *referrent*) proponerent.
sub exemplo) ad imitationem legis illius.
legis ambitus) ab Augusto latae vel renouatae, *Suet.* 34. Vnde *Lex Iulia ambitus* vel *de ambitu* appellata, quae in Pandectis singulari titulo commemoratur.
testibusque denuntiandi) vocandi ad testimonium, cuius potestas penes iudicem est, *Quintil. V*, 7, certa lege etiam penes accusatorem.

3. *omisso*) Barth. *amisso*, eleganter, si libri consonent.

4. *Iubentius*) Ald. *Iuuentius*, quod idem nomen est, *B* & *V*, vt saepe fit apud veteres, permutatis.

recon-

reconciliarent componerentque, frequentius singulis, ambobus interdum, propitium Caesarem, vt in ludicro aliquo, precarentur. Mihi quidem 6
illud etiam peracerbum fuit, quod sunt alter alteri, quid pararent, indicati. Nam & Celsus Nepoti ex libello respondit, & Celso Nepos ex pugillaribus. Tanta loquacitas amicorum fuit, vt 7
homines iurgaturi id ipsum inuicem scirent, tamquam conuenissent. Vale.

VI.

C. PLINIVS FVNDANO SVO S.

Rogat Fundanum, vt se, pro Iulio Naſone petiturum, adiuuet.

Si quando, nunc praecipue cuperem esse te Romae, & sis, rogo. Opus est mihi voti, laboris, sollicitudinis socio. Petit honores Iulius Naso: petit cum multis, cum bonis; quos vt glorioſum, sic est difficile superare. Pendeo 2
ergo, & exerceor spe, atque adficior metu, & me

---

5. *propitium Caesarem*] Contrarium huic formulae est lib. V. epist. 25. n. 2. *iratum principem* cui *precari*.

vt in ludicro aliquo) In ludis mos erat, vt principem, qui proxime adsidebat, rogarent, vt huic vel illi parti faueret. Intellige ludos scenicos, circenses, athleticos. Hos enim *ludicrum* significabat. Curt. lib. IV. c. 5. n. 11. *Iisdem diebus solemne erat ludicrum Isthmiorum.* Et Liuius I. c. 35. *Ludicrum fuit, equi pugilesque ex Etruria acciti.*

6. *indicati*) proditi sibi inuicem.

Epist. VI. 1. *voti socio*) te adiutore, vt votum meum consequar. *Catan.*

con-

consularem esse non sentio. Nam rursus mihi videor omnium, quae decucurri, candidatus. 3 Meretur hanc curam longa mei caritate. Est mihi cum illo non sane paterna amicitia; neque enim potuit esse per meam aetatem: solebat tamen vixdum adolescentulo mihi pater eius cum magna laude monstrari. Erat non studiorum tantum, verum etiam studiosorum amantissimus: ac prope quotidie ad audiendos, quos tunc ego frequentabam, Quintilianum & Niceten Sacer-

---

2. *Nam rursus*) Abest *Nam* a Palat. & primis editionibus: tenent Ald. Sich. & alii.

decucurri] Ita Aldina: plures *decurri*. Supra l. II. ep. 1. itidem cum Aldo *adcucurrit* scripsimus. Livius quoque l. XXII. c. 4. *decucurrerunt* vt Gronouius ex membranis notauit. Paullinus ad Cyther. v. 769.

Sed sermo lapsus decucurrit longius.

Atque ita etiam in aliis compositis, vt *incucurrerat*, Liu. lib. XXVII. c. 18. vbi Gronouium filium consulas: *procucurrerunt* Caes. B. Ciu. I III c 93. & *discucurrit* Sueton. Calig. 32. *concucurrit* Flor. IV. c. 2. n. 33. & *praecucurrit* Prudent. Cathem. VII, 47. Heic autem quae decucurrisse se Plinius tradit, in alio exemplo l. I. ep. 14. n. 7. enumerauit. *Quaesturam*, inquit, *tribunatum, praeturam honestissime percucurrit.* Si *tribunatus* alieni exempli non placet, substitue *praefecturam aerarii & curam aluei Tiberini*, ex l. V. ep. 15 & Inscriptionibus.

candidatus] scil. pro Iulio Nasone tanto, ac si ipse mihi pararem honores, auxilio indigno. *Herz.*

3. *Quintilianum*] Plinii praeceptorem, l. II. ep. 14. n 9.

Niceten Sacerdotem) Dialog. de causs. corr. eloq c. 15. *Video etiam Gratis accidisse, vt longius absit Aeschine & Demosthene Sacerdos ille Nicetes.* Nobilis declamator illo aeuo fuit. Adi Lipsium,

dotem

dotem ventitabat: vir alioqui clarus & grauis, & qui prodesse filio memoria sui debeat. Sed multi 4
nunc in senatu, quibus ignotus ille, multi, quibus notus, sed non nisi viuentes reuerentur; quo magis huic, omissa gloria patris, in qua magnum ornamentum, gratia infirma, ipsi enitendum & laborandum est. Quod quidem semper, quasi 5
prouideret hoc tempus, sedulo fecit; parauit amicos; quos parauerat, coluit: me certe, vt primum sibi iudicare permisit, ad amorem imitationemque delegit. Dicenti mihi sollicite ad- 6
stitit, adsidet recitanti; primus etiam & cum maxime nascentibus opusculis meis interest, nunc solus, ante cum fratre, cuius nuper amissi ego 7
suscipere partes, ego vicem debeo implere. Doleo enim & illum immatura morte indignissime raptum, & hunc optimi fratris adiumento desti-

---

4. *non nisi viuentes*) Conferri cum his merentur verba lib. IX. epist. 9. n. 1.

gratia infirma) quoniam non quae proaui, sed quae ipsi facimus, prudentes pro meritis habent. *Herz.*

5. *sibi iudicare permisit*) Aldus: *sibi aetas iudicare p.* Sed Catanaeus, Sichardus, & hos sequuti, nihil interserunt, sensusque planus: vt primum sibi ipse permisit de me iudicare.

6. *adstitit, adsidet*) Quia *dicere* est caussam in foro agere: *recitare* autem in auditorio amicorum praelegere; quidam hinc coniiciunt, recitantes eorumque amicos sedisse: dicentes autem in foro & illorum amicos aduocatos, qui honoris caussa prosequebantur, quamdiu peroratum sit, stetisse. Vid. Buchner. Sed, an verbis hisce tam accurate distinxerit Plinius, non deest, quod dubitemus.

7. *raptum*) Conuenit verbum *rapi* cum immatura

tutum,

8 tutum, solisque amicis relictum. Quibus ex causis exigo, vt venias, & suffragio meo tuum iungas. Permultum interest mea, te ostentare, & mecum circuire. Ea est auctoritas tua, vt putem, me efficacius tecum etiam meos amicos
9 rogaturum. Abrumpe, si qua te retinent. hoc tempus meum, hoc fides, hoc etiam dignitas postulat. Suscepi candidatum, & suscepisse me notum est: ego ambio, ego periclitor. In summa, si datur Nasoni quod petit, illius honor; si negatur, mea repulsa est. Vale.

VII.

C. PLINIVS CALPVRNIAE SVAE S.

Respondet vxori, in Campania commoranti, se non minori desiderio pro illa teneri, quam illam pro se.

Scribis, te absentia mea non mediocriter adfici, vnumque habere solatium, quod pro me libellos meos teneas, saepe etiam in vestigio meo
2 colloces. Gratum est, quod nos requiris, quod

---

morte. Statius II. Silu. I. v. 208. *Hic finis rapto.* Vbi Barthius; *RAPTI dicuntur ante diem exstincti.* Inscriptio vetus apud Reines. XII, 126. SI TIBI NON RAPIAT MORS INVIDA TAM CITO NATOS.

8. *te ostentare*) scilicet *te*. Aut cum Barthio faciendum, qui *ostentari* emendat. Sic nihil restat, quod subaudiatur.

circuire) prensare senatores, penes quos tum ius suffragiorum erat, ex Tiberii instituto, Tacit. Annal. I, 15. Adde supra lib. II. epist. 9. n. 5.

9. *hoc tempus meum*) quia mox: ego ambio, ego periclitor.

Epist. VII. 1. *in vestigio meo*) in loco, vbi sedere, cubare

his

his fomentis adquieſcis: inuicem ego epiſtolas tuas lectito, atque idemtidem in manus quaſi nouas ſumo; ſed eo magis ad deſiderium tui accendor. Nam cuius litterae tantum habent ſuauitatis, huius ſermonibus quantum dulcedinis ineſt! Tu tamen frequentiſſime ſcribe, licet hoc ita me delectet, vt torqueat. Vale. 3

VIII.

C. PLINIVS PRISCO SVO S.

Attilium Priſco in cauſſa pecuniaria commendat tum ab amicitia, quam cum Plinio colat; tum a propria virtute, adſperſo metu vindicandi damni, quia facetiſſimus ſit.

Attilium Creſcentem & noſti & amas. Quis enim illum ſpectatior paullo aut non nouit, aut non amat? Hunc ego non vt multi, ſed arctiſſime diligo. Oppida noſtra vnius dici iti nere dirimuntur: ipſi amare inuicem, qui eſt flagrantiſſimus amor, adoleſcentuli coepimus. 2

---

teeum ſolitus ſim. Barthius huc refert Val. Flacci lib. VIII. v. 8.

Ante perantiqui carpſit veſtigia ſomni.

2. *his fomentis*) Ita Aldus: alii addunt *meis*, ſuperfluc. *Fomenta* autem litteraria ſolatia ſignificant.

3. *vt torqueat* (deſiderio tui, quod per litteras renovatur

Epiſt. VIII. 1. *non nouit, aut non amat*) propter facetum illius ingenium, de quo poſt paullo num. 7.

2. *Oppida noſtra*) patria vtriusque, Comum Plinii; Mediolanum forte Attilii, quod ideo veriſimile Catanaeo, quia ibi inſcriptio reperiatur ATTILIVS A. F. CRESCENS.

Manſit

Mansit hic postea, nec refrixit iudicio, sed in-
ualuit. Sciunt, qui alterutrum nostrum fami-
liarius intuentur. Nam & ille amicitiam meam
latissima praedicatione circumfert, & ego prae
me fero, quam sit mihi curae modestia, quies,
3 securitas eius. Quin etiam quum insolentiam
cuiusdam tribunatum plebis inituri vereretur,
idque indicasset mihi, respondi:

Οὔ τις ἐμεῦ ζῶντος γε καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο,
Σοὶ κοίλης παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει.

4 Quorsum haec? Vt scias non posse Attilium,
me incolumi, iniuriam accipere. Iterum dices,
Quorsum haec? Debuit ei pecuniam Valerius
Varus: huius est heres Maximus noster, quem
5 & ipse amo, sed coniunctius tu. Rogo ergo,
exigo etiam pro iure amicitiae, cures, vt Attilio
meo salua sit non sors modo, sed etiam vsura
plurium annorum. Homo est alieni abstinen-
tissimus, sui diligens: nullis quaestibus sustine-
6 tur, nullus illi, nisi ex frugalitate reditus. Nam

---

iudicio) quod cum aetate se exserit, vt alter de altero potuerit iudicare. Opponitur amori adolescentium, qui sine iudicio plerumque coalescit.

latissima praedicatione) variis locis & apud varios disseminata. Ceterum *latissima* est Sich. Veenh. & Thomasii: *latissime* Aldi, Boxh. & aliorum.

3. Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος) *nemo me viuente & super terris vidente* (*lumen vitale*) *superimponat graues manus tibi ad concauas naues.* Homer. Iliad. A. v. 88. Quidam libri tantum hemistichium prioris versus habent, vt solet in notis sententiis. *Steph.*

5. *non sors modo, sed etiam vsura*) Barbare dicimus, Non modo *capitale*, sed etiam *interesse*.

studia,

ſtudia, quibus plurimum praeſtat, ad voluptatem tantum & gloriam exercet. Grauis eſt ei vel minima iactura, quia reparare, quod amiſeris, grauius eſt. Exime hunc illi, exime hunc mihi 7
ſcrupulum: ſine me ſuauitate eius, ſine leporibus perfrui. Neque enim poſſum triſtem videre, cuius hilaritas me triſtem eſſe non patitur. In 8
ſumma, noſti facetias hominis, quas velim attendas, ne in bilem & amaritudinem vertat iniuria. Quam vim habeat offenſus, crede ei, quam in amore habet. Non feret magnum & liberum ingenium cum contumelia damnum. Verum 9
vt ferat ille, ego meum damnum, meam contumeliam vindicabo: ſed non tamquam pro mea, hoc eſt, grauius iraſcar. Quamquam quid denuntiationibus & quaſi minis ago; Quin potius,

---

7. *exime hunc mihi ſcrupulum*) Cicero pro Roſc. Am. cap. 2. extr. *euellere ſcrupulum* dixit. Nota translatio.

ſine leporibus) permitte, concede leporibus frui.

8. *noſti facetias hominis*) Exempla ſunt l. I. ep. 9. extr. & lib. II. epiſt. 14. n. 2.

vertat iniuria) ne iniuria facetias in conuicia conuertat.

crede ei) potentiae.

9. *vt ferat ille*) vtcumque ferat, quamuis ferat.

vindicabo) Sic ex veteri libro Gruterus reſtituit. Vulgo *iudicabo*. Gronouio videtur particula excidiſſe, *ego, vt meum damnum, meam contumeliam, vindicabo*.

hoc eſt grauius) Interpretatio eſt. Quidam parentheſi haec verba includunt.

& quaſi minis ago] locatur cum amico.

vt coeperam, rogo, oro, des operam, ne ille se, quod validissime vereor, a me, ego me neglectum a te putem. Dabis autem, si hoc perinde curae est tibi, quam illud mihi. Vale.

IX.

C. PLINIVS TACITO SVO S.

Respondet Tacito Nasonem commendanti.

Commendas mihi Iulium Nasonem candidatum. Nasonem mihi? quid si me ipsum? Fero tamen & ignosco. Eumdem enim commendassem tibi, si, te Romae morante, ipse abfuissem. Habet hoc sollicitudo, quod omnia ne-
2 cessaria putat. Tu tamen, censeo, alios roges; ego precum tuarum minister, adiutor, particeps ero. Vale.

X.

C. PLINIVS ALBINO SVO S.

Conqueritur, Verginio Rufo, viro nunquam satis laudato, post decimum mortis annum nondum absolutum sepulcrum.

Quum venissem in socrus meae villam Alsiensem, quae aliquando Rufi Verginii fuit,

---

Epist. IX. 1. *Iulium Nasonem*] quem supra ep. 6. noster Fundano commendauerat.

quid si me ipsum?] quia Nasonem diligo, vt me ipsum; idem est, ac si me mihi commendasses, quum illum mihi commendasti.

2. *alios roges*] quia ipse sibi diffisus in hac causa fuerat libri huius epist. 6.

Epist. X. 1. *villam Alsiensem*] Alsium Etruriae oppidum XVIII. M. P. ab ostio Tiberino, cuius villae etiam Ciceronis memoratae pro Milone c. 20. extr. & IX. fam. epist. 6.

Rufi Verginii] cuius funus lib. II. ep. 1. laudatum fuit.

ipse

ipse mihi locus optimi illius & maximi viri desiderium non sine dolore renouauit. Hunc enim incolere fecessum, atque etiam senectutis suae nidulum vocare consueuerat. Quocumque me 2
contuliſſem, illum animus, illum oculi requirebant. Libuit etiam monimentum eius videre, & vidiſſe poenituit. Eſt enim adhuc imperfectum, nec difficultas operis in cauſſa, modici, ac potius exigui; ſed inertia eius, cui cura mandata eſt. Subit indignatio cum miſeratione, poſt 3
decimum mortis annum reliquias, neglectumque cinerem, ſine titulo, ſine nomine iacere, cuius memoria orbem terrarum gloria peruagetur. At ille mandauerat caueratque, vt diui- 4
num illud & immortale factum verſibus inſcriberetur,

HIC SITVS EST RVFVS, PVLSO
QVI VINDICE QVONDAM,

---

2. *monimentum*) ſepulcrum.

3. *reliquias*) oſſa, cinerem, & quidquid ex rogo reliquum. *gloria*] Sextus caſus, per gloriam, propter nominis famam.

4 *caueratque, vt*] iuſſerat, conſtituerat. Sic eleganter *Vt* poſt *cauere*. Noſter Panegyr. 39 *cauit, vt ſeruarentur immunes*. Sueton, Dom. 9. *qui caueret, vt certam ſummam viritim praeſtaret heres ſuus*, i. e. teſtamento iuſſerat.

immortale factum) recuſatio imperii ſeu principatus, non ſemel Rufo a militibus oblati. Dio Caſſius lib. LXIII. p. 725. Ῥοῦφος τὴν αὐτοκράτορα ἀρχὴν, καίτοι τῶν ἐρρτιωτῶν πολλάκις αὐτῷ ἐγκειμένων, οὐκ ἠθέλησε δέξασθαι. Adde I. II. ep. 1. n. 2. & Plutarch. in Galba p. 1055. D.

pulſo qui Vindice) Iulius Vindex, ſenatoris filius,

IMPERIVM ADSERVIT NON SIBI, SED PATRIAE.

5 Tam rara in amicitiis fides, tam parata obliuio mortuorum, vt ipsi nobis debeamus etiam conditoria exstruere, omniaque heredum officia praesumere. Nam cui non est verendum, quod videmus accidisse Verginio? cuius iniuriam vt indigniorem, sic etiam notiorem ipsius claritas facit. Vale.

6

XI.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Laetatur, nobiles adolescentes ad sui imitationem egisse, & nomen ac famam ex studiis petere.

O Diem laetum! adhibitus in consilium a praefecto vrbis, audiui ex diuerso agentes

---

Gallorum regio genere ortus, a Nerone defecit, suamque ab illo prouinciam abalienauit, non tam vt ipse sibi imperium sumeret, quam vt Galbae illud pararet. Hunc Verginius Rufus, tum Germaniae praefectus, oppressit. *Dio o. l. p. 724. seq.*

non sibi, sed patriae) Persuasit enim militibus, senatui & populo potestatem eligendi principis competere. *Dio p. 726.* Ceterum versus hos vide repetitos & explicatos lib. IX. epist. 19.

5. *conditoria*) sepulcra.

praesumere) ante capere, praeoccupare. Sic *praesumtum diadema* Claudian. IV. cons. Hon. v. 167. est ante legitimam aetatem susceptum.

6. *quod videmus*) imperfecto sub monumento, quo tamen memoria prorogatur, cubare. *Herz.*

Epist. XI. 1. *a praefecto vrbis*) Summus magistratus praefectura vrbis, cui omnia cognoscendi, non modo in vrbe, sed etiam intra centesimum lapidem, potestas erat. *Dig. de Off. praef. vrbi.*

ex diuerso) quorum alter defendendam, alter ac-

summae

summae spei, summae indolis iuuenes duos, Fuscum Salinatorem & Numidium Quadratum, egregium par, nec modo temporibus nostris, sed litteris ipsis ornamento futurum. Mira vtrique 2
probitas, constantia salua, decorus habitus, os planum, vox virilis, tenax memoria, magnum ingenium, iudicium aequale: quae singula mihi voluptati fuerunt: atque inter haec illud, quod & ipsi me, vt rectorem, vt magistrum intuebantur, & iis, qui audiebant, me aemulari, meis instare vestigiis videbantur. O diem (repetam 3
enim) laetum, notandumque mihi candidissimo calculo! Quid enim aut publice laetius quam

---

cusandam rem sumserat. Sic Tacitus in sensu proprio Ann. XIII. 40. *Assultare ex diuerso.* *Herz.*

Fuscum Salinatorem) de quo etiam epistola 26. huius libri agitur.

Numidium Quadratum) lib. VII. epist. 24.

2 *constantia salua*) qua ab vtroque afferebatur, quod ad rem necessarium est. *Herz.*

os planum) Catanaeus *expertam pronuntiationem* interpretatur. Ita Palat. & edd. ante Aldinam, quae *os Latinum* exhibet, non male, si consensu fiat codicum. Etiam Sich. *os planum* ex suo nobis codice ostendit.

& iis, qui audiebant) Planissima lectio. Torquent se, qui vel tollunt primum pronomen, vel recto casu *ii* legunt. Vide Grutero notata.

3. *candidissimo calculo*) lib. I. epist. 2. n 5. *album calculum* dixerat. Sed ibi suffragium significabat: heic nota est auspicatioris diei. Plinius auunculus VII. c. 40. de Thracum gente: *calculos colore distinctos pro experimento cuiusque diei in vrnam condit, ac supremo die separatos dinumerat, atque ita de quoque pronuntiat.* Opponitur lapillus seu calculus *ater*, vt de suffragiis Ouidii XV. Metam. v. 41. apparet.

clarissimos iuuenes nomen & famam ex studiis petere, aut mihi optatius, quam me ad recta tendentibus quasi exemplar esse propositum? Quod gaudium vt perpetuo capiam, deos oro: ac eosdem testes peto, vt omnes, qui me imitari tanti putabunt, meliores esse, quam me velint. Vale.

XII.

C. PLINIVS FABATO PROSOCERO SVO S.

Prosoceri binis respondet, commendatitiis, & castigatoriis, quamquam his immeritis.

Tu vero non debes suspensa manu commendare mihi, quos tuendos putas. Nam & te decet multis prodesse, & me suscipere quicquid ad curam tuam pertinet. Itaque Vectio Priscо, quantum plurimum potuero, praestabo, praesertim in arena mea, hoc est, apud centumuiros. Epistolarum, quas mihi, vt ais, aperto pectore scripsisti, obliuisci me iubes: at ego nullarum libentius memini. Ex illis enim vel praecipue sentio, quantopere me diligas, cum sic exegeris

4. *ac eosdem testes*) Ita Palat. & Sich. ac omnes ante Aldum, qui immutauit.

quam me velint) Dii sc. velint esse meliores, quam voluerunt me esse. *Herz.*

Epist. XII, 1, *Tu vero*) Elegans vsus aduersatiuae *Vero* in responsionis exordio. Vid. Cic. l. IV, fam. epist. 6. VII. 30. IX, 5. Adde nostrum ep. 15. n. 2. huius libri.

suspensa manu) timide, dubie. Sic *animo suspenso & sollicito*, Cic. II. Attic. ep. 18. pr.

2. *in arena mea*) in officio & ordinario labore meo. Multum enim ei negotium apud centumuiros, vel vt iudici, vel vt aduocato. Translatio autem a gladiatoribus desumta.

3. *exegeris*) expostulaueris. Aut simpliciter *egeris*, quod etiam in quibusdam libris est.

mecum

mecum, vt solebas cum tuo filio. Nec dissimulo, hoc mihi iucundiores eas fuisse, quod habebam bonam caussam, quum summo studio curassem, quod tu curari volebas. Proinde etiam atque etiam rogo, vt mihi semper eadem simplicitate quoties cessare videbor (nunquam enim cessabo) conuicium facias. Quod & ego intelligam a summo amore proficisci, & tu non meruisse me gaudeas. Vale. 4 5

XIII.

C. PLINIVS VRSO SVO S.

Caussam Bithynorum aduersus Varenum, iam tum ex lib. IV, 9. & V, 20. notam, narrare pergit.

Vnquamne vidisti quemquam tam laboriosum & exercitum, quam Varenum meum? cui, quod summa contentione impetrauerat, defendendum & quasi rursus petendum fuit. Bithyni senatusconsultum apud consules carpere & labefactare sunt ausi, atque etiam absenti principi criminari: ab illo ad senatum remissi, 2

---

5. *simplicitate*) supra, *aperto pectore*, hoc est, sincere, sine dissimulatione.

conuicium facias) In bonam partem pro amicali obiurgatione. Cic. XII. fam. epist. 25. *Meo iustissimo honestissimo conuicio te tuam dignitatem summa tua virtute tenuisse, vehementer gaudeo.*

Epist. XIII. 1. *quam Varenum meum*) quia Plinius defensionem illius susceperat, lib. V. epist. 20. n. 2.

2. *senatusconsultum*) quo licuit Vareno testes euocare. Vide citatam ep. 20.

absenti principi) Ita plerique libri. Veenhusius *absente principe*, qui & aliam lectionem adfert, *ab-*

non destiterunt. Egit Claudius Capito irreuerenter magis quam constanter, vt qui ipsum senatusconsultum apud senatum accusaret. Respondit Fronto Catius grauiter & firme: senatus ipse mirificus. Nam illi quoque, qui prius negarant Vareno, quae petebat, eadem danda, postquam erant data, censuerunt. Singulos enim, integra re, dissentire fas esse; peracta, quod pluribus placuisset, cunctis tuendum. Acilius tantum Rufus, & cum eo septem an octo? (septem immo) in priore sententia perseuerarunt. Erant in hac paucitate nonnulli, quorum temporaria grauitas, vel potius grauitatis imitatio, ridebatur. Tu tamen aestima, quantum non in ipsa pugna certaminis maneat, cuius quasi praelusio atque praecursio has contentiones excitauit. Vale.

---

sentem, Varenum puta, *principi criminari*, scilicet ausi sunt.

3. *grauiter & firme*] Sic Aldus: quidam *grauiter magis &*.

mirificus) conspiciebatur.

4. *integra re dissentire*] In hanc sententiam Liuius egregie XXXII. c. 20. *Dicendi aut suadendi, quod quisquam velit aut optimum putet, nunc occasionem esse, priusquam quidquam decernamus. Vbi semel decretum erit, pro bono atque vtili fore defendendum.*

peracta) re, cui *integra re*, quod praecessit, opponitur.

5. *temporaria*) breuis, momentanea. Sic *temporarium & subitum* coniungit noster Paneg. c. 91. & Apuleius XI. Metam. *larem temporarium mihi constituo*, h. e. ad breue tempus.

XIV.

XIV.

C. PLINIVS MAVRICO SVO S.

Aduentum in villam Maurici promittit sub conditione.

Sollicitas me in Formianum: veniam ea conditione, ne quid contra commodum tuum facias: qua pactione inuicem mihi caueo. Neque enim mare & littus, sed te, otium, libertatem sequor: alioqui satius est in vrbe remanere. Oportet enim omnia aut ad alienum arbitrium, 2
aut ad suum facere: mei certe stomachi haec natura est, vt nihil nisi totum & merum velit. Vale.

XV.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Passieni exemplo, ab Iaboleno interpellati, monet, recitaturis sanae mentis auditores adhibendos esse.

Mirificae rei non interfuisti: ne ego quidem: sed me recens fabula excepit. Passienus Paullus, splendidus eques Romanus, & inprimis

---

Epist. XIV. 1. *Sollicitas*] Inuitas me in villam, quae ad Formias est, notissimum Latii Noui oppidum.

inuicem mihi) ne quid contra commodum meum faciam.

mare & littus) loci amoenitatem.

2. *ad alienum arbitrium*] nempe in vrbe.

aut ad suum) arbitrium, in secessu.

merum) solum, non mixtum, h. e. aut in vrbe occupari vrice, aut in secessu otiari plene.

Epist. XV. 1. *recens fabula*] rumor recens, simul ac gesta res fuit, ad me translatus est.

Passienus Paullus) Iulius Paullus poeta fuit littera-

eruditus, scribit elegos. Gentilitium hoc illi: est enim municeps Propertii, atque etiam inter
2 maiores suos Propertium numerat. Is quum recitaret, ita coepit dicere, PRISCE IVBES? Ad hoc Iabolenus Priscus (aderat enim vt Paullo amicissimus) EGO VERO NON IVBEO. Co-
3 gita, qui risus hominum, qui ioci. Est omnino Priscus dubiae sanitatis: interest tamen officiis, adhibetur consiliis, atque etiam ius ciuile publice respondet: quo magis quod tunc fecit, & ridi-
4 culum & notabile fuit. Interim Paullo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit. Tam sollicite recitaturis prouidendum est, non solum vt sint ipsi sani, verum etiam vt sanos adhibeant. Vale.

---

rum veterum impense doctus, Hadriani temporibus, *Gell. XIX*, 7.

municeps Propertii) Meuanienſis, quod Vmbriae oppidum est. Scaligero videtur Amerinus, cui dicam scripsit Philippus Siluius.

2. *Prisce iubes*) Honoris caussa veniam recitandi a spectantissimis auditorum petebant.

Iabolenus Priscus] cuius frequens inter veteres iurisconsultos in Pandectis mentio. Scribitur & *Iauolenus*.

3. *dubiae sanitatis*] non satis sanae mentis.

4. *aliquantum frigoris*) timiditatis, tarditatis, impedimenti, quod Catanaeus ad recitantem refert, Buchnerus ad auditores. Suetonius Claud. c. 41. sic vsus est verbo *refrigeratus*, itidem de recitatione.

XVI.

XVI.

C. PLINIVS TACITO SVO S.

Auunculi exitum Tacito, historiam scripturo, rogatus narrat.

Petis, vt tibi auunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago: nam video, morti eius, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam. Quamuis enim pulcerrimarum clade terrarum, vt populi, vt vrbis memorabili casu, quasi semper victurus occiderit: quamuis ipse plurima opera & mansura condiderit; multum tamen perpetuitati eius scriptorum tuorum aeternitas addet. Equidem beatos puto, quibus deorum munere datum est aut facere scribenda, aut scribere legenda: beatissimos vero, quibus vtrumque. Horum in numero auunculus meus & suis libris & tuis erit. Quo libentius suscipio, deposco etiam, quod iniungis. Erat Miseni, 2 3 4

Epist. XVI. 1. *auunculi mei*] C. Plinii Secundi, naturalium rerum scriptoris.

2. *vt vrbis*] Ex Casauboni emendatione. Vulgo *vrbes*. Sententia: Quemadmodum eorum mors nobilitatur, qui in aliqua insigni strage ceciderunt, vt populorum sunt, ac vrbium: ita auunculi exitus clarior factus terrarum clade, quae rarior, quam vrbis aut populi.

plurima opera) lib. III. epist. 5. enumerata, quae *mansura*, hoc est, aeterna fore, auguratur filius adoptatus, propter ingenii, ex quo profecta erant, excellentiam, & mirificam copiam eruditionis.

3. *Equidem beatos puto*) lib. III. epist. 7. n. 14.

4. *Erat Miseni*) quod oppidum & promontorium Campaniae.

classemque imperio praesens regebat. Nono calend. Septembris, hora diei fere septima, mater mea indicat ei, apparere nubem inusitata & magnitudine & specie. Vsus ille sole, mox frigida; gustauerat iacens, studebatque: poscit soleas, adscendit locum, ex quo maxime miraculum illud conspici poterat. nubes (incertum procul intuentibus, ex quo monte: Vesuuium fuisse postea cognitum est) oriebatur, cuius similitudinem & formam non alia magis arbor, quam pinus expresserit. Nam longissimo velut trunco elata in altum, quibusdam ramis diffundebatur, credo quia recenti spiritu euecta, deinde senescente eo destituta, aut etiam pondere suo victa, in latitudinem vanescebat: candida interdum, interdum sordida & maculosa, prout terram cineremue sustulerat. Magnum propiusque noscendum id eruditissimo viro visum. Iubet Liburnicam aptari: mihi si venire vna vellem,

---

classemque imperio] Augustus classem Miseni, & alteram Rauennae, ad tutelam superi & inferi maris, collocauerat. *Suet.* 49. Misenensi tum Praefectus erat Plinius.

5. *Vsus ille sole*) quod solemne ipsi fuit, l. III. ep. 5 n. 11. Erat autem *insolatio* [ita dicebatur] in praesidiis valetudinis apud veteres. Vid. Mercurial. Gymn. l. VI. c. 1.

mox frigida;] scilicet *vsus est*. Ita ex Palatino Gruterus. Vulgo, *frigidam gustauerat*, quae verius separantur secundum lib. III. epist. 5. n. 11.

gustauerat] Gustare est leuiter vesci, vt veteres circa meridiem solebant. Vid. Sueton. Aug. c. 76.

7. *id eruditissimo viro visum*] Pronomen *id* a Casaubono est: ante quem *vt* lectum.

Liburnicam] nauem velocem biremem, a Liburnis, facit

facit copiam. Respondi, studere me malle: & forte ipse, quod scriberem, dederat: Egrediebatur domo, accipit codicillos. Retinae classiarii imminenti periculo exterriti (nam villa ea subiacebat, nec vlla nisi nauibus fuga) vt se tanto discrimini eriperet, orabant. Non vertit ille consilium, sed quod studioso animo inchoauerat, obit maximo. Deducit quadriremes, adscendit ipse non Retinae modo, sed multis (erat enim frequens amoenitas orae) laturus auxilium. Properat illuc, vnde alii fugiunt; rectumque cursum, recta gubernacula in periculum tenet, adeo solutus metu, vt omnes illius mali motus, omnes figuras, vt deprehenderat oculis, dictaret enotaretque. Iam nauibus cinis inciderat, quo propius accederet, calidior & densior; iam pumices etiam, nigrique & ambusti & fracti igne lapides: iam vadum subitum, ruinaque montis littora obstantia, cunctatusque paullum, an retro flecteret, mox gubernatori vt ita faceret monenti, FORTES, inquit, FORTVNA IVVAT:

8 9 10 11

Illyrici populis, qui eo genere antiquitus vtebantur, nomen trahentem. *Appian. fragm. Illyr.*

8. *Retinae*] quae villa sub Miseno, cui milites quidam classiarii impositi erant.

9. *frequens amoenitas orae*] multis villis vicisque habitata.

11. *iam vadum subitum ruinaque*] Duae caussae, cur tenere littus non potuerit, & succurrere periclitantibus, *vadum*, ex terrae motu ortum, vt infra epist. 20, huius libri n. 9. dicetur; & *littus*, ruina montis, hoc est, saxis & sauillis, & quidquid Vesuuius eructabat, infestum.

Fortes fortuna) Vetus verbum. Liuius VIII. c. 28.

Pomponianum pete. Stabiis erat, diremtus sinu
12 medio. Nam sensim circumactis curuatisque littoribus mare infunditur. Ibi, quamquam nondum periculo appropinquante, conspicuo tamen, &, quum crescceret, proximo, sarcinas contulerat in naues, certus fugae, si contrarius ventus resedisset: quo tunc auunculus meus secundissimo inuectus complectitur trepidantem, consolatur, hortatur: vtque timorem eius sua securitate leniret, deferri se in balineum iubet; lotus accubat, coenat, idque hilaris, aut, quod est aeque
13 magnum, similis hilari. Interim e Vesuuio monte pluribus locis latissimae flammae altaque incendia relucebant, quorum fulgor & claritas tenebris noctis excitabatur. Ille agrestium trepidatione igni relictas desertasque villas per solitudinem ardere, in remedium formidinis, dictabat: tum se quieti dedit, & quieuit verissimo quidem somno. Nam meatus animae, qui illi propter

---

Euentus docuit, fortes fortunam iuuare. Poeta verbum mutat metri lege Aeneid. lib. X. v. 284.

Audentes fortuna iuuat.

Pomponianum pete) Dirige cursum Stabias, vbi Plinii amicus Pomponianus erat.

Stabiis erat) Stabiae oppidum Campaniae maritimum, sociali bello deletum, in villam abiit. *Plin. III, 5.*

12. *sarcinas contulerat*) Pomponianus.

idque hilaris] A Casaubono est: vulgo, *atque hilaris.*

similis hilari] Magni animi est, in periculis ita animum vincere, vt nihil timeamus: saltem ita nos gerere, vt nihil metuere videamur.

13. *excitabatur*) augebatur. *Barth.*

igni relictas) Grut. ex primis edd. Aliae *ignis r.*

meatus animae) respiratio, halitus reciprocatus.

ampli-

amplitudinem corporis grauior & sonantior erat, ab iis, qui limini obuersabantur, audiebatur. Sed area, ex qua diaeta adibatur, ita iam cinere, 14
mixtisque pumicibus oppleta surrexerat, vt si longior in cubiculo mora esset, exitus negaretur. Excitatus procedit, seque Pomponiano, ceterisque, qui peruigilerant, reddit. In commune 15
consultant, an intra tecta subsistant, an in aperto vagentur. Nam crebris vastisque tremoribus tecta nutabant, & quasi emota sedibus suis, nunc huc, nunc illuc abire aut referri videbantur. Sub 16
dio rursus, quamquam leuium exesorumque, pumicum casus metuebatur. quod tamen periculorum collatio elegit, & apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit. Cerui-

---

Saepe enim *anima* halitus, spiritus est. Plautus Asin. a. 5. sc. 2. v. 44. *An foetet anima vxoris tuae?* Ouidius I. Fast. v. 425. *animam tenere*, quod est spiritum comprimere. *limini obuersabantur*) Panegyr. c. 48. n. 4. *obuersabantur foribus.*

14. *diaeta*) Palat. & edd. vett. *zeta*. Vide lib. V. ep. 6. n. 20. notata.

15. *an intra tecta, an in aperto*) Peruulgatum hodie *an - - an*; veteribus non itidem, quibus prius per *num*, vel *vtrum*, vel *ne* enclitica exprimitur. Nec vero iisdem geminatum *an* plane inauditum. Curtius VIII. c. 6. n. 25. *an ad consolandum - an ad incitandum.* Et ipse Cicero II. ad Att. ep. 6. *an hic, an Antii considam*, vt in MSS. est, quamquam in alio, *Hic, an Antii*, quod venustius videtur. Adde nostrum lib. VIII. ep. 14 n. 24.

16. *timorem timor vicit*) quod antea timuerat, desierunt timere, grauiore periculo, quod timendum erat, imminente.

calia

calia capitibus impoſita linteis conſtringunt. Id
17 munimentum aduerſus decidentia fuit. Iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior denſiorque: quam tamen faces multae variaque lumina ſoluebant. Placuit egredi in littus, & e proximo adſpicere, ecquid iam mare admitteret, quod adhuc veſtum & aduerſum permanebat.
18 Ibi ſuper abiectum linteum recubans, ſemel atque iterum frigidam popoſcit, hauſitque: deinde flammae, flammarumque praenuntius odor ſul-
19 furis, alios in fugam vertunt, excitant illum. Innixus ſeruis duobus adſurrexit, & ſtatim concidit, vt ego coniecto, craſſiore caligine ſpiritu obſtructo, clauſoque ſtomacho, qui illi natura inualidus & anguſtus & frequenter interaeſtuans
20 erat. Vbi dies redditus (is ab eo, quem nouiſſime viderat, tertius) corpus inuentum eſt integrum, illaeſum opertumque, vt fuerat indutus: habitus corporis quieſcenti, quam defuncto,
21 ſimilior. Interim Miſeni ego & mater. Sed nihil ad hiſtoriam, nec tu aliud, quam de exitu
22 eius, ſcire voluiſti. Finem ergo faciam: vnum adiiciam, omnia me, quibus interfueram, quae-

17. *ecquid iam mare admitteret*] vtrum fluctibus ſedatis nauigationem ad effugiendum admitteret. *Ecquid* dubitanter poſitum, vt Cicero pro S. Roſcio c. 33: *Videamus nunc, ecqua facultas ſuſcipiendi maleficii fuerit.*

19 *interaeſtuans*) per interualla ex cruda concoctione aeſtuans. Quidquid autem huius rei eſt, tamquam ſuffocationem adiuuerit, a noſtro adnotatum fuit.

20. *tertius*] a die mortis.

quieſcenti) dormienti. Vide mox epiſt. 20. n. 4.

que

que statim, quum maxime vera memorantur, audieram, vere persequutum: tu potissima excerpes. Aliud est enim epistolam, aliud historiam; aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.

XVII.

C. PLINIVS RESTITVTO SVO S.

Indignatur, quosdam, eruditos sibi visos, recitanti amico nullum signum laetitiae dedisse.

Indignationiculam, quam in cuiusdam amici auditorio cepi, non possum mihi temperare, quo minus apud te, quia non contigit coram, per epistolam effundam. Recitabatur liber absolu- 2
tissimus: hunc duo aut tres, vt sibi & paucis videntur, diserti, surdis mutisque similes audiebant. Non labra diduxerunt, non mouerunt manum, non denique adsurrexerunt, saltem lassitudine sedendi. Quae tanta grauitas? quae tanta sa- 3
pientia? quae immo pigritia, arrogantia, sinisteritas ac potius amentia, in hoc totum diem

---

Epist. XVII. 1. *non contigit*) Palat. & vett. edd. *contigit*: aliae *contingit*.

2. *absolutissimus*) perfectissimus. Infra lib. IX. ep. 38. *liber omnibus numeris absolutus*.

non mouerunt manum) Casaubonus ad Charact. Theophr. cap. περὶ κολακείας p. 114. tribus maxime modis veteres approbationem in recitationibus significasse tradit, *silentio attento* (lib. II. ep. 10. n. 7.) *gestu corporis aliquo*, [*vel manibus plaudentes, vel adsurgentes exsultantesque, vel certo quodam modo vultum componentes*) & *secunda acclamatione*. Adde lib. V. ep. 3. n. 9.

3. *sinisteritas*) maleuolentia, aut morosa placendi imperitia. Lib. IX. ep. 5. n. 2. *sinisteritatis, atque etiam* impen-

impendere, vt offendas, vt inimicum relinquas, ad quem tamquam amiciſſimus veneris? Diſertior ipſe es? tanto magis ne inuideris: nam, qui
4 inuidet, minor eſt. Denique, ſiue plus, ſiue minus, ſiue idem praeſtas, lauda vel inferiorem, vel ſuperiorem, vel parem. Superiorem, quia niſi laudandus ille eſt, non potes ipſe laudari; inferiorem aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam quam maximum videri, quem praecedis vel exae-
5 quas. Equidem omnes, qui aliquid in ſtudiis faciunt, venerari etiam mirarique ſoleo. Eſt enim res difficilis, ardua, faſtidioſa, & quae eos, a quibus contemnitur, dedignatur. Niſi forte aliud iudicas tu: quamquam quis vno te reuerentior huius operis, quis benignior aeſtimator?
6 Qua ratione ductus, tibi potiſſimum indignationem meam prodidi, quem habere ſocium maxime poteram. Vale.

---

malignitatis famam conſequi, vbi Buchnerum conſulas.

Diſertior ipſe es?) Vnumquemque ex ſiniſtris, quos taxat, auditoribus alloquitur.

tanto magis) ſc. opera tibi danda eſt, ne videaris ac ſi inuidia proſequutus ſis, qui accedit tibi proxime in eloquentia. Qui enim inuidet, minor eſt. Quia inuidia tangit ea bona, quae nondum aſſequuti ſumus. *Herz.*

5. *in ſtudiis faciunt*) praeſtant, ſcribunt, componunt.

dedignatur) Palat. ita & vetuſtae edd. Variant Ald. Sich. & aliae.

aeſtimator) Idem Palat. & edd. vett. *atteſtator*. Aldus tamen cum pluribus *aeſtimator*, quod conuenientius videtur.

XVIII.

XVIII.

C. PLINIVS SABINO SVO S.

Promittit, Firmanorum se cauſſam acturum eſſe.

Rogas, vt agam Firmanorum publicam cauſſam: quod ego, quamquam plurimis occupationibus diſtentus, admitar. Cupio enim & ornatiſſimam coloniam aduocationis officio, & te gratiſſimo tibi munere obſtringere. Nam 2
quum familiaritatem noſtram, vt ſoles praedicare, ad praeſidium ornamentumque tibi ſumſeris, nihil eſt quod negare debeam, praeſertim pro patria petenti. Quid enim precibus aut honeſtius piis, aut efficacius amantis? Proinde Firmanis 3
tuis, ac iam potius noſtris, obliga fidem meam; quos labore & ſtudio meo dignos cum ſplendor ipſorum, tum hoc maxime pollicetur, quod credibile eſt optimos eſſe, inter quos tu talis exſtiteris. Vale.

Epiſt. XVIII. 1. *Firmanorum*) Firmum oppidum Piceni & colonia. *Vellei.* I, 14.

2. *pro patria petenti*) Firmum patria Sabini, ad quem data epiſtola.

precibus piis) quia pro patria. *Pietas* enim *erga patriam, aut parentes, aut alios ſanguine coniunctos officium conſeruare monet*, Cic. de Inuent. II, 22.

obliga fidem meam) certiores fac Firmanos, me fidem meam illorum cauſſae agendae addixiſſe.

XIX.

C. PLINIVS NEPOTI SVO S.

Pretium agrorum creuisse scribit, quia candidati tertiam patrimonii partem in praedia Italica iussi sint impendere.

Scis tu accessisse pretium agris, praecipue suburbanis? Causa subitae caritatis, res multis agitata sermonibus, proximis comitiis honestissimas voces senatui expressit: CANDIDATI NE CONVIENTVR, NE MITTANT MVNE-
2 RA, NE PECVNIAS DEPONANT. Ex quibus duo priora tam aperte, quam immodice fiebant: hoc tertium, quamquam occultaretur, pro com-
3 perto habebatur. Homullus deinde noster, vsus vigilanter hoc consensu senatus, sententiae loco postulauit, vt consules desiderium vniuersorum notum principi facerent, peterentque, sicut aliis vitiis, huic quoque prouidentia sua occurreret:
4 occurrit. Nam sumtus candidatorum, foedos illos & infames, ambitus lege restrinxit: eosdem patrimonii tertiam partem conferre iussit in ea,

---

Epist. XIX. 1. *Scis tu*) Interrogationis forma a Casaubono restituta.

candidati ne conuiuentur) his & quae sequuntur, id cauebant, vt suffragia libera essent, nullis beneficiis aut muneribus capta.

2. *immodice*) confer Cornel. Nepot. Attic. c. 6. quibus temporibus iam alte radices hoc malum egerat. *Herz.*

hoc tertium) ... mere pecuniam, vt suffragator esset cautus. *Catan.*

3. *Homullus*) lib. IV. epist. 9. n. 15.

quae


Septentrio
Vulturnus
Sabatus
Caletia
Taburnus mons
Cales
Casilinum
Tifata mons
Capua
Suessula
Avella
Vulturnus fl.
Acerra
Trebula
Nola
Liternus qui et Clanis
Atella
Vesevus
Cumæ
Avernus lacus
Lucrinus lacus
Puteoli
Neapolis
Vesuvius
Baiæ
Nesis
Herculanium
SINUS BAIANUS
et
PUTEOLANUS
Sarnus fl.
Misenum prom. at oppid.
Pompeii
Nuceria
Prochyta inf.
Pithecusa s. Aenaria inf.
Stabiæ
Surrentum
Mineruæ prom.
Capreæ
Meridies
Sirenum scopuli

quae solo continerentur, deforme arbitratus (vt erat) honorem petituros, vrbem Italiamque non pro patria, sed pro hospitio aut stabulo quasi peregrinantes habere. Concurrant ergo candidati 5
certatim; quidquid venale audiunt, emitant; vt sint quoque plura venalia efficiunt. Proinde, 6
si poenitet te Italicorum praediorum, hoc vendendi tempus tam hercule, quam in prouinciis comparandi; dum iidem candidati illic vendunt, vt hic emant. Vale.

XX.

C. PLINIVS CORNELIO TACITO SVO S.

Narrat, quae ex Vesuuii incendio, cum matre Miseni relictus, pertulerit.

Avis, te adductum litteris, quas exigenti tibi de morte auunculi mei scripsi, cupere cognoscere, quos ego Miseni relictus (id enim ingressus abruperam) non solum metus, verum etiam casus pertulerim.

Quamquam animus meminisse horret, - - -
Incipiam.

Profecto auunculo, ipse reliquum tempus studiis 2

---

4. *quae solo continerentur*) fundo, agris, *an liegenden Gruud.*
vt erat) de formula *sicut est*, Lib. V. ep. 12. n. 2.
stabulo] diuersorio, mansione. Gloss. Vet. *Stabulum*, καταγώγιον. *Cell.* Dum sc. nullos ibi haberent fundos, sed solis honoribus fruerentur, quos ex vrbe reportabant. *Herz.*
6. *tam hercule*) sc. est.
Epist. XX 1. *adductum litteris*] supra epist. 16. huius libri.
id enim ingressus) in antecedente nempe epistola attingens, quod ipse Plinius tunc Miseni haeserit, filum narrationis abruperat. *Herz.*
Quamquam animus) ex Virgil. Aen. II. v. 12.

(ideo

(ideo enim remanseram) impendi: mox bali-
3 neum, coena, somnus inquietus & brevis. Prae-
cesserat per multos dies tremor terrae minus for-
midolosus, quia Campaniae solitus: illa vero
nocte ita invaluit, vt non moueri omnia, sed
4 euerti crederentur. Irrumpit cubiculum meum
mater: surgebam inuicem, si quieisceret, excita-
turus. Resedimus in area domus, quae mare a
5 tectis modico spatio diuidebat. Dubito con-
stantiam vocare an prudentiam debeam: age-
bam enim duodeuicesimum annum. Posco
librum Titi Liuii, & quasi per otium lego, atque
etiam, vt coeperam, excerpo, Ecce, amicus auun-
culi, qui nuper ad eum ex Hispania venerat, vt
me & matrem sedentes, me vero etiam legentem
videt, illius patientiam, securitatem meam corri-
6 pit: nihilo segnius ego intentus in librum. Iam
hora diei prima, & adhuc dubius & quasi langui-
dus dies, iam quassatis circumiacentibus tectis,

---

3. *quia Campania*) Addunt quaedam recentes editiones, indignante Grutero, contra fidem veterum & Palatini codicis. Seneca VI. Quaest. Nat. cap. 1. de terrae motu: *Campania nunquam secura huius mali, indemnis tamen.*

4. *si quieisceret*) dormiret, vt epist. 16. n. 20. huius libri. Adde, si lubet, Curt. IV, c. 5. n. 20. qui & plenius *quieisceré somno* dixit eod. lib. IV. cap. 13. n. 18.

5. *corripit*) reprehendit. Supra lib. III. ep. 5. n. 16. *Repeto, me correptum ab eo, cur ambularem.* Sic *clamoribus* quem *corripere*, Coelius VIII epist. 2. ad Cicer. dixit: *voce magistri corripi*, Horat. II. Sat. 3. v. 217.

6. *languidus* obscurata sc. luce per fauillam & fumum, splendor diei lenae & languide suas vires exserebat. *Herz.*

quam-

quamquam in aperto loco, angusto tamen, magnus & certus ruinae metus. Tum demum excedere oppido visum. Sequitur vulgus attonitum, quodque in pauore simile prudentiae, alienum consilium suo praefert, ingentique agmine abeuntes premit & impellit. Egressi tecta consistimus: Multa ibi miranda, multas formidines patimur. Nam vehicula quae produci insseramus, quamquam in planissimo campo, in contrarias partes agebantur, ac ne lapidibus quidem fulta, in eodem vestigio quiescebant. Praeterea mare in se resorberi & tremore terrae quasi repelli videbatur. Certe processerat littus, multaque animalia maris in siccis arenis detinebat. Ab altero latere nubes atra & horrenda igni spiritus tortis vibratisque discursibus rupta, in longas flammarum figuras dehiscebat: fulgoribus illae & similes & maiores erant. Tum vero ille idem ex Hispania amicus, acrius & instantius, Si frater, inquit, tuus, si tuus auunculus viuit, vult 7 8 9 10

7. *in pauore simile prudentiae*) quod metus sentit suam consilii inopiam; aliorum non itidem sentit.

8. *Egressi tecta*) Tecta, quarto casu vt infra extremo lib. VII. *Historia non debet egredi veritatem.* Et Tacitus Hist. lib. III. c. 30. *tecta altitudinem moenium egressa.*

9. *mare in se resorberi*) Supra epist. 16. n. 11. *subitum vadum* appellat.

processerat) recedebat mare a littore in se, & sic littus ostendebat maius maiusque spatium aqua denudatum. *Herz.*

10. *Si frater, inquit, tuus, si tuus*) Illa matri, haec filio loquitur, conuersus ad hunc ab illa.

esse

esse vos saluos: si periit, superstites voluit: proinde quid cessatis euadere? Respondimus, non commissuros nos, vt de salute eius incerti, nostrae
11 consuleremus. Non moratus vltra proripit se, effusoque cursu periculo aufertur: nec multo post, illa nubes descendere in terras, operire maria. Cinxerat Capreas & absconderat: Mi-
12 seni quod procurrit, abstulerat. Tum mater orare, hortari, iubere, quoquo modo fugerem: posse enim iuuenem, se & annis & corpore grauem bene morituram, si mihi caussa mortis non fuisset. Ego contra, saluum me, nisi vna, non futurum: deinde manum eius amplexus, addere gradum cogo: paret aegre, incusatque se,
13 quod me moretur. Iam cinis, adhuc tamen rarus: respicio; densa caligo tergis imminebat, quae nos torrentis modo infusa terrae sequeba-

---

11. *proripit se*) Ita etiam Virgilius de celeriore cursu, eclog. 3. v. 19. *quo nunc se proripit ille?*

effuso cursu) Et Curtius lib. V. cap. 13. n. 12. *effuso cursu eunt*, id est, celerrime.

descendere, operire] subaudi *coepit*.

Capreas) insulam Campaniae adiacentem, Tiberii secessu nobiliorem redditam.

Miseni quod procurrit, quod de Miseno promontorio in mare prominet. Seruius ad Virgilii illud Aen. V. v. 204. *saxis in procurrentibus haesit*, interpretatur *prominere*) *obiici*, & *velut obuiam venire*. Columella quoque lib. VI. c. 27. *Sacer mons Hispaniae procurrit in occidentem iuxta Oceanum*.

12. *orare, hortari*) ellipsi notissima subaudiendum *coepit*.

posse enim iuuenem) sc. effugere, dum viribus valens iam tergo inhaerens periculum effugere posset. *Herz.*

tur.

tur. Deflectamus, inquam, dum videmus, ne in via strati, comitantium turba in tenebris obteramur. Vix consederamus, & nox, non quasi 14
illunis aut nubila, sed qualis in locis clausis lumine exstincto: audires vlulatus feminarum, infantium quiritatus, clamores virorum: alii parentes, alii liberos, alii coniuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant: hi suum casum, illi suorum miserebantur: erant qui metu mortis mortem precarentur. Multi ad deos manus tol- 15
lere, plures, nusquam iam deos vllos, aeternamque illam & nouissimam noctem mundo interpretabantur. Nec defuerunt, qui fictis mentitisque terroribus vera pericula augerent. Ade-

---

14. *quiritatus*) lamentationes. *Lamentabiles quiritatus trepidae aures receperunt*, Valer. Max. IX. c. 2. n. 1. *Quiritare* autem est grauiter vociferari, & fidem quasi Quiritium inuocare, quod in extremis iniuriis fiebat.

15. *nusquam iam deos vllos*) Hoc non tam ex negato auxilio, quam ex veterum opinione persuasum erat, qui mundo finem instare credebant, quo cuncta in chaos reuerterentur. A quo casu ne deos quidem eximebant. Seneca Thyeste v. 831.

Iterumque deos hominesque premat
Deforme chaos.

Vbi plura in hanc rem grauiter dissertata videas.

nouissimam noctem) Mundi interitum aeternam noctem sequuturam esse, omnibus rebus in chaos resolutis, crediderunt. Id timuisse homines Vesuuio ardente, Dio Cassius in Tito auctor est.

mentitisque terroribus) Passiue. Sic vetus poeta apud Sueton. Oth. c. 3. *mentito honore*. Apuleius V. Metam. p. 170. (ed. Elmenh.) *mentito nomine*: & lib. IX. p. 222. *stupore mentito*.

rant, qui Miseni illud ruisse, illud ardere, falso,
16 sed credentibus nuntiabant. Paullum reluxit; quod non dies nobis, sed aduentantis ignis indicium videbatur: & ignis quidem longius substitit: tenebrae rursus, cinis rursus multus & grauis: hunc identidem adsurgentes excutiebamus: operti alioqui, atque etiam obliti pondere esse-
17 mus. Possem gloriari, non gemitum mihi, non vocem parum fortem in tantis periculis excidisse, nisi me cum omnibus, omnia mecum perire, misero, magno tamen mortalitatis solatio credidis-
18 sem. Tandem illa caligo tenuata quasi in fumum nebulamue decesit: mox dies vere, sol etiam effulsit, luridus tamen: qualis esse, quum deficit, solet. Occurrabant trepidantibus adhuc oculis mutata omnia, altoque cinere, tamquam
19 niue, obducta. Regressi Misenum, curatis vtcumque corporibus, suspensam dubiamque noctem spe ac metu exegimus: metus praeualebat. Nam & tremor terrae perseuerabat, & plerique

---

17. *misero mortalitatis solatio*) Miserum omnino & triste solatium, quod ex communi omnium interitu concipitur. Cuiusmodi est illud, quo Seneca Thyeste, actu IV. extremo, chorum finire fingit:

Abeant questus,
Discede timor. Vitae est auidus,
Quisquis non vult, mundo secum
Pereunte, mori.

18. *dies vere*) Ita Aldus: alii *verus*. Sichardus neutrum agnouit.

19. *dubiamque noctem*) Ita antiquae edd. & Sich. & Pal. MS. Quidam *mensem*, minus bene.

lympha-

lymphati terrificis vaticinationibus & sua & aliena mala ludificabantur. Nobis tamen ne 20
tunc quidem, quamquam & expertis periculum, & exspectantibus, abeundi consilium, donec de auunculo nuntius. Haec, nequaquam historia 21
digna, non scripturus leges, & tibi, scilicet qui requisisti, imputabis, si digna ne epistola quidem videbuntur. Vale.

XXI.

C. PLINIVS CANINIO SVO S.

Verginii Romani probitatem & doctrinam, praesertim in comoedia scribenda, laudat.

Sum ex iis, qui mirer antiquos: non tamen, vt quidam, temporum nostrorum ingenia despicio. Neque enim, quasi lassa & effoeta, natura, vt nihil iam laudabile pariat. Atque adeo 2
nuper audiī Verginium Romanum paucis legen-

---

lymphati) attoniti, tamquam insanientes. Hi, vt metus quaenis peiora ominatur, augebant terrorem aliorum & suum terrificis, sed falsis, praedictionibus.

20. *de auunculo nuntius*) Quidam addunt *veniret*, quod venustius subauditur antiquis editionibus & Palatino MS.

21. *non scripturus leges*) Glossema haec & alia quaedam Grutero, qui Plinium scripsisse censet: *Haec nequaquam historia digna: tibi imputabis, si digna ne epistola quidem videbuntur.*

Epist. XXI. 1. *quasi lassa & effoeta*) frustra natura accusatur, vbi ignauia sua homines deficiunt. Videtur Epicuraeos & Stoicos notare, qui vt initium ac finem mundi, ita etiam senium statuebant. Lucretius lib. II, v. 1150.

Iamque adeo fracta est aetas, effoetaque tellus
Vix animalia parua creat.

tem comoediam, ad exemplar veteris comoediae scriptam, tam bene, vt esse quandoque possit ex-
3 emplar. Nescio, an noris hominem, quamquam nosse debes. Est enim probitate morum, ingenii elegantia, operum varietate monstrabilis. Scripsit mimiambos tenuiter, argute, venuste, atque in hoc genere eloquentissime. Nullum est enim genus, quod absolutum, non possit eloquentissi-
4 mum dici. Scripsit comoedias, Menandrum aliosque aetatis eiusdem aemulatus. Licet has inter Plautinas, Terentianasque numeres. Nunc primum se in vetere comoedia, sed non tamquam
5 inciperet, ostendit. Non illi vis, non granditas, non subtilitas, non amaritudo, non dulcedo, non lepos defuit. Ornauit virtutes, insectatus est

2. *veteris comoediae*) cuius norma & exemplum Aristophanes, quemadmodum nouae Menander. Vetus plus libertatis sibi sumebat, non fictas, sed gestas ciuium res persequuta.

quandoque) aliquando, olim, futuro tempore.

3. *monstrabilis*) Imitatus est pro more Sidonius lib. III. ep. 7. *ob omnia felicitatis naturaeque dona demonstrabilis.*

mimiambos tenuiter) Character mimiambi Tenuitas, sed cum venustate & argutiis. *Cellar.* Est vero mimiambus versus senarius, inclusum continens aliquod dicterium, quo mimus s. histrio in comoedia vti potest, Vid. Voss. instit. poetic. c. 30. *Herz.*

absolutum) si est.

4. *in vetere comoedia*) quia Menandri aemulatione in noua adhuc se exercuerat. Vide supra n. 2.

5. *non granditas, non subtilitas*) Subtilitas tenuitas est, & granditati opponitur. Cicero in Oratore c. 29. *Is est eloquens, qui & humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperate potest dicere.* Plura h. l. Buchn.

vitia,

vitia, fictis nominibus decenter, veris vsus est apte. Circa me tantum benignitate nimia modum excessit, nisi quod tamen poetis mentiri licet. In summa, extorquebo ei librum, legendumque, immo edisendum, mittam tibi. Neque enim dubito futurum, vt non deponas, si semel sumseris. Vale. 6 7

XXII.

C. PLINIVS TIRONI SVO S.

Tironem, prouinciam sortitum, exemplo Bruttiani monet, a familiari suo accusati, ne cuiquam nimis fidat.

Magna res acta est omnium, qui sunt prouinciis praefuturi, magna omnium, qui se simpliciter credunt amicis. Lustricus Bruttianus quum Montanum Atticinum comitem suum in multis flagitiis deprehendisset, Caesari scripsit. Atticinus flagitiis addidit, vt quem deceperat, accusaret. Recepta cognitio est: fui in consilio: egit vterque pro se; egit autem carptim, & κατὰ κεφάλαια, quo genere veritas statim ostenditur. Protulit Bruttianus testamentum suum, quod Atticini manu scriptum esse dicebat. Hoc enim & arcana familiaritas, & querendi de eo, 2 3

Epist. XXII. 2. *Lustricus Bruttianus*) Bruttianum poetam Martialis laudat lib. IV. epigr. 23. qui forte hic ipse est.
comitem suum) legatum. *Catan.* Legati autem prouinciae rectori adiungebantur.
fui in consilio) inter iudices huius causae electus.
carptim & κατὰ κεφάλαια) breuiter & summatim.
3. *Atticini manu*) testamenta enim vel sua, vel amicissimorum manu scribebant.

4 quem sic amasset, necessitas indicabatur. Enumerauit crimina foeda manifestaque: ille, quum diluere non posset, ita regessit, vt, dum defenditur, turpis, dum accusat, sceleratus probaretur. Corrupto enim scribae seruo, interceperat commentarios, intercideratque, ac per summum nefas vtebatur aduersus amicum crimine suo. Fe-
5 cit pulcerrime Caesar. Non enim de Bruttiano, sed statim de Attieino perrogauit. Damnatus & in insulam relegatus: Bruttiano iustissimum integritatis testimonium redditum, quem quidem
6 etiam constantiae gloria secuta est. Nam defensus expeditissime, accusauit vehementer; nec mi-
7 nus acer, quam bonus & sincerus apparuit. Quod tibi scripsi, vt te sortitum prouinciam praemonerem, plurimum tibi credas, nec cuiquam satis fidas: deinde scias, si quis forte te, quod abomi-

---

4. *ita regessit*) oppositi, contra criminationem respondit: Sic vetusta editio: nec abludit Palatinus, qui *rem gessit*, quod Buchnero non displicet. Vulgares *recessit*.

5. *perrogauit*) sic Palat. Ald. & Sich. Est enim omnium, qui ad censendum vocati, sententiam rogare. Noster Paneg. 60. *Parum est, vt in curiam venias, nisi & conuocas: vt interfis senatui, nisi & praesidas: vt censentes audias, nisi & perrogas.* Ciuilitatem Traiani laudat, qui iudicaturus, omnium sententias perrogauerit. De Augusto Suetonius 35. *Sententias de maiore negotio non more atque ordine, sed prout libuisset, perrogabat.*

7. *prouinciam*) Baeticam in Hispania. Vide lib. VII. epist. 16. n. 3.

satis fidas) nimis fidas. Sauaro ad Sidon. IX, 13. p. 575.

nor,

nor, fallat, paratam vltionem: qua tamen ne sit opus, etiam atque etiam attende. Neque enim 8
tam iucundum est vindicari, quam decipi miserum. Vale.

XXIII.

C. PLINIVS TRIARIO SVO S.

Caussae defensionem, quam rogatus fuerat, ea lege promittit, vt Ruso adolescens, quem in forum producturus erat, secum ageret.

Impense petis, vt agam caussam pertinentem ad curam tuam, pulcram alioquin & famosam: faciam, sed non gratis. Qui fieri potest, inquis, vt non gratis tu? Potest. Exigam enim mercedem honestiorem gratuito patrocinio. Peto, atque etiam paciscor, vt simul agat Cremutius Ruso. Solitum hoc mihi, & iam in pluribus claris adolescentibus factitatum. Nam mire concupisco bonos iuuenes ostendere foro, adsignare famae. Quod, si cui, praestare Rusoni 3
meo debeo, vel propter natales ipsius, vel pro-

---

8. *Neque enim*) Posset enim ad antecedentem Plinii admonitionem excipi, iucundum esse vindicari: regerit vero Plinius, vltioni non inesse tantam *iucunditatem*, quanta *miseria* est, si quis decipitur. *Herz.*

Epist. XXIII. 2. *ostendere foro*) Supra lib. II. epist. 14. n. 3. laudatus mos est, quo non licuit adolescentibus in foro caussas primum agere, *nisi aliquo consulari producente*. Vide, quae ibi notauimus.

3. *propter natales*) Generis conditionem hoc verbum significat, vt lib. VIII. ep. 18. n. 8. *mulier natalibus clara*: & Tacit. X, 21. *dedecus natalium*, i. e. inhonestas generis. Quod si nihil additum, vt hoc loco, *cla-*

pter eximiam mei caritatem: quem magni aestimo in iisdem iudiciis, ex iisdem etiam partibus, conspici, audiri. Obliga me, obliga antequam
4 dicat. Nam quum dixerit, gratias ages. Spondeo sollicitudini tuae, spei meae, magnitudini causae suffecturum. Est indolis optimae, breui productus alios, si interim prouectus fuerit a
5 nobis. Neque enim cuiquam tam clarum statim ingenium est, vt possit emergere, nisi illi materia, occasio, fautor etiam commendatorque contingat. Vale.

XXIV.

C. PLINIVS MACRO SVO S.

Famam in factis conditionem facientium sequi, exemplo municipis feminae, quae marito dux & comes mortis fuerat, ostendit.

Quam multum interest, quid a quo fiat. Eadem enim facta claritate vel obscuritate facientium aut tolluntur altissime, aut humillime deprimuntur. Nauigabam per Larium no-
2 strum, quum senior amicus ostendit mihi villam, atque etiam cubiculum, quod in lacum promi-

---

ritas natalium significatur, vt Tacitus loquitur Hist. lib. I. c. 49. n. 5.

mei caritatem) ipsius amorem erga me; vt *mei* passiue sonet. *Catan.*

4. *productus alios*) tamquam magister & exercitatus orator, etiam honoribus, quos sperat clarus, alios tirones adolescentes in forum producet. Repete quae n. 2. huius epistolae, & lib. II. ep. 14. n. 3. dicta fuerunt.

Epist. XXIV. 1. *quid a quo*) Casauboni emendatio. Vulgo, *quid a quoque.*

2. *per Larium nostrum*) lacum, cui Comum, patria Plinii, adiacet.

net.

net. Ex hoc, (inquit) aliquando municeps no-
stra cum marito se praecipitauit. Causſam re- 3
quisiui. Maritus ex diutino morbo circa ve-
landa corporis, vlceribus putrescebat: vxor, vt
inspiceret, exegit: neque enim quemquam fide-
lius iudicaturum, possetne sanari. Vidit, despe- 4
rauit: hortata est, vt moreretur, comesque ipsa
mortis, dux immo & exemplum, & necessitas
fuit. Nam se cum marito ligauit, abiecitque in
lacum. Quod factum ne mihi quidem, qui mu- 5
niceps, nisi proxime auditum est: non quia mi-
nus illo clarissimo Arriae facto, sed quia minor
est ipsa. Vale.

XXV.

C. PLINIVS HIPANO SVO S.

De Robusto, qui peregre profectus disparuerat, promittit se quaesiturum esse: ex simili autem exemplo timet, ne frustra sit.

Scribis, Robustum, splendidum equitem Ro-
manum, cum Attilio Scauro, amico meo,
Ocriculum vsque commune iter peregisse, dein-
de nusquam comparuisse: petis, vt Scaurus ve-
niat, nosque, si potest, in aliqua inquisitionis
vestigia inducat. Veniet; vereor, ne frustra. 2

---

4. *& necessitas fuit*) quia ligatum traxit secum in lacum.
5. *Arriae facto*) Vide lib. III. epist. 16.

Epist. XXV. 1. *Ocriculum vsque*) Vmbriae oppidum in Sabinorum confinio, atque sic vltimum Vmbrorum, Romam versus.

commune iter peregisse) vna profectos esse. *Peregisse* est veterum librorum: recentium *feciſſe*.

Suspicor enim tale nescio quid Robusto acciditse, quale aliquando Metilio Crispo, municipi meo. 3 Huic ego ordines impetraueram, atque etiam proficiscenti quadraginta millia nummum ad instruendum se ornandumque donaueram; nec postea aut epistolas eius, aut aliquem de exitu 4 nuntium accepi. Interceptusne sit a suis, an cum suis, dubium: certe non ipse, non quisquam ex seruis eius apparuit. Vtinam ne in Robusto idem experiamur! Tamen arcessamus 5 Scaurum. Demus hoc tuis, demus optimi adolescentis honestissimis precibus, qui pietate summa, mira etiam sagacitate, patrem quaerit. Dii faueant, vt sic inueniat ipsum, quemadmodum iam, cum quo fuisset, inuenit! Vale.

XXVI.

C. PLINIVS SERVIANO SVO S.

Gratulatur Seruiano, quod patricio viro filiam destinasset.

Gaudeo, & gratulor, quod Fusco Salinatori filiam tuam destinasti. Domus patricia;

3. *Huic ego ordines*) dignitatem militarem, vt ductor ordinum esset.

quadraginta millia) Ita Pal. & edd. primae, quod probant Gruterus & Casaubonus. Alii *quadringenta* legunt, quae summa Plinium non liberalem, sed prodigum nimis efficeret. Nam & quadraginta centurioni aut ordinum ductori donare, magnum est, quia vel millenos vnciales superat.

5. *pietate summa*) adfectu in parentem. Vide epist. 18. n. 2. huius libri.

cum quo fuisset) cum Scauro.

Epist. XXVI. 1. *Fusco Salinatori*) de quo epist. 11. huius libri.

pater

pater honestissimus; mater pari laude. Ipse est studiosus, litteratus, etiam disertus: puer simplicitate, comitate iuuenis, senex grauitate: neque enim amore decipior. Amo quidem effuse 2
(ita officiis, ita reuerentia meruit) iudico tamen, & quidem tanto acrius, quanto magis amo: tibique, vt qui explorauerim, spondeo, habiturum te generum, quo melior fingi, ne voto quidem, potuit. Super est, vt auum te quam maturissime 3
simillimo sui faciat. Quam felix tempus illud, quo mihi liberos illius, nepotes tuos, vt meos vel liberos vel nepotes, ex vestro sinu sumere, & quasi pari iure tenere continget! Vale.

XXVII.

C. PLINIVS SEVERO SVO S.

Rogantem designatum consulem, quid in laudem principis adferret, docet exemplo suo, quid faciendum: addit & nouam ex nouis rebus gestis materiam.

Rogas, vt cogitem, quid designatus consul in honorem principis censeas. Facilis inuentio, non facilis electio. Est enim ex virtutibus eius larga materia: tamen quod malo qui-

3. *simillimo sui*) scilicet nepote, quod ex Casauboni castigatione est. Vulgo, *simillimum sui*, inepte. Cl. Thomasio placuit etiam *simillimorum sui*. Non male.

Epist. XXVII. 1. *vt cogitem*) excogitem, inueniam. *in honorem principis censeas*) Censere, curiae verbum, quo in publicum consulentes sententiam suam confirmabant. Noui consulis erat, principi, a quo consul factus fuerat, gratias in senatu agere, eiusque laudes recensere, cuius orationis materiam a Plinio Seuerus petiit. Per Principem vero Traianum intelligit.

tamen quod malo quidem) Ita ex vestigiis Palatini.

dem, indicabo, si prius haesitationem meam ostendero. Dubito, num idem tibi suadere,
2 quod mihi, debeam. Designatus ego consul, omni hac, etsi non adulatione, specie tamen adulationis, abstinui: non tamquam liber & constans, sed tamquam intelligens principis nostri: cuius videbam hanc esse praecipuam laudem, si
3 nihil quasi ex necessitate decernerem. Recordabar etiam, plurimos honores pessimo cuique delatos; a quibus hic optimus separari non alio modo magis poterat, quam diuersitate censendi: quod ipsum dissimulatione & silentio non praeterii, ne forte non iudicium illud meum, sed obliuio videretur. Hoc tunc ego: sed non omni-
4 bus eadem placent, nec conueniunt quidem.

---

quod etiam Sich. in margine notauit. Prima editio, *tamen quod malo, indicabo*. Aldus & vulgares omnes; *tamen quod sentiam*.

2 *adulatione*) quod sub malis principibus fiebat, vt falsis laudibus colerentur.

liber & constans) sine adulatione. Seruile enim & temporarium, adulari.

intelligens principis) gnarus indolis ac sensuum Traiani, quod odisset adulatores & qui speciem adulationis multis laudibus praeberent. Sic verbo *intelligere* vsus est etiam lib. VIII. epist. 23. n. 5.

quasi ex necessitate) vt sub malis principibus, quos necesse erat a consulibus magnopere laudari.

3. *pessimo cuique*) Tiberio, Caligulae, Neroni, Domitiano.

hic optimus) consulatus ab optimo principe distributus. *Herz.*

censendi) sententiam suam dicendi de principe, quod consulum praecipue erat.

Prae-

Praeterea, faciendi aliquid vel non faciendi, vera ratio, cum hominum ipsorum, tum rerum etiam ac temporum conditione mutatur. Nam recentia opera maximi principis praebent facultatem noua, magna, vera censendi: quibus ex caussis, vt supra scripsi, dubito, an idem nunc tibi, quod tunc mihi, suadeam. Illud non dubito, debuisse me in parte consilii tui ponere, quod ipse fecissem. Vale.

XXVIII.

C. PLINIVS PONTIO SVO S.

Excusationem Pontii admittit: fructus, quos miserat, moderandos imposterum, denuntiat.

Scio, quae tibi caussa fuerit impedimento, quo minus praecurrere aduentum meum in Campaniam posses: sed, quamquam absens, totus huc migrasti. Tantum mihi copiarum tam vrbanarum quam rusticarum nomine tuo oblatum est, quas omnes improbe quidem, accepi tamen. Nam me tui, vt ita facerem, rogabant; & verebar, ne & mihi & illis irascereris, si non fecissem:

4. *mutatur*) Sic Catan. ex Romano codice. Alii *initur*: Boxh. *nititur*.

5. *recentia opera*) bellum Dacicum, deuicto Decebalo.

in parte consilii tui) i. e. vt tuo consilio accederem. *Herz.*

Epist. XXVIII. 1. *totus huc migrasti*) donis & muneribus tuis.

copiarum) fructuum ex hortis suburbanis & ex villis. Sic *copiarum* vocabulo vsus idem lib II epist. 17. num. 26. & 28.

improbe) rustice feci accipiendo eas. *Catan.*

in posterum, nisi adhibueris modum, ego adhibebo. Etiam tuis denuntiaui, si rursus tam multa attulissent, omnia relaturos. Dices, oportere me tuis rebus vt meis vti: etiam; sed perinde illis ac meis parco. Vale.

XXIX.

C. PLINIVS QVADRATO SVO S.

Quietum monet tum Thraseae dicto, tum suo exemplo, quae caussae agendae sint.

Avidius Quietus, qui me vnice dilexit, & quo non minus gaudeo, probauit, vt multa alia Thraseae (fuit enim familiaris) ita hoc saepe referebat, praecipere solitum, suscipiendas esse caussas aut amicorum, aut destitutas, aut ad exemplum pertinentes. Cur amicorum? Non eget interpretatione. Cur destitutas? Quod in illis maxime & constantia agentis & humanitas cerneretur. Cur pertinentes ad exemplum? Quia plurimum refert, bonum an malum induceretur. Ad haec ego genera caussarum, ambitiose fortasse, addam tamen claras & illustres. Aequum enim est agere nonnunquam gloriae & famae: id est, suam caussam. Hos terminos, quia me consuluisti, dignitati ac verecundiae tuae statuo. Nec me praeterit, vsum & esse & haberi

Epist XXIX. 1. *vnice*) valde. Cic. V. fam. epist. 8. *vnice diligo.* Horat. lib. I. Od 26, *vnice securus.*

Thraseae) Paeti Thraseae, de quo Tacitus Agric. c. 2. & noster lib. III. epist. 16. n. 10.

2. *induceretur*) scilicet exemplum. Ita vetustae editiones.

4. *vsum esse dicendi magistrum*) Multa in hanc opti-

optimum dicendi magistrum. Video etiam, multos paruo ingenio, litteris nullis, vt bene agerent, agendo consequutos. Sed & illud, quod vel Pollionis, vel tamquam Pollionis accepi, verissimum experior: Commode agendo factum est, vt saepe agerem: saepe agendo, vt minus commode: quia scilicet assiduitate nimis facilitas magis quam facultas, nec fiducia, sed temeritas, paratur. Nec vero Isocrati, quo minus haberetur summus orator, offecit, quod infirmitate vocis, mollitie frontis, ne in publico diceret, impediebatur. Proinde multum lege, scribe, meditare, vt possis, quum voles, dicere; dicas, quum velle debebis. Hoc fere temperamentum ipse seruaui. Nonnunquam necessitati, quae pars rationis est, parui. Egi enim quasdam, a senatu iussus, quae tertio in numero fuerunt ex illa

5 6 7

rem a multis dicta sunt. Noster supra lib. I. epist. 20. n. 12. *Vsus magister egregius:* quod a Cicerone habuit, qui pro Rab. Post. c. 4. dixit, *Vsus magister est optimus:* & lib. I. de Orat. c. 4. *Vsus frequens omnium magistrorum praecepta superat.*

5. *Pollionis, vel tamquam*) Circumferebatur tamquam Asinii Pollionis dictum, sed dum addit *tamquam Pollionis*, ipse dubitat de auctore.

6. *mollitie frontis*) Verecundia & pudore. Cicero II. de Orat. cap 3. *Ille pater eloquentiae de se Isocrates scripsit ipse, pudore, a dicendo, & timiditate ingenua quadam refugisse.*

ne in publico diceret) Idem de Clar. Orat. cap. 8. *Isocrates magnus orator & perfectus magister forensi luce caruit, intraque parietes aluit eam gloriam,* &c.

7. *quae pars rationis est*) Cic IV. epist. 9. *Necessitati parere semper sapientis est habitum.*

Thra-

Thraseae diuisione, hoc est, ad exemplum perti-
8 nentes. Adfui Baeticis contra Baebium Massam. Quaesitum est, an danda esset inquisitio: data est. Adfui rursus, iisdem querentibus de Caecilio Classico. Quaesitum est, an prouinciales, vt socios ministrosque proconsulis, plecti
9 oporteret: poenas luerunt. Accusaui Marium Priscum; qui, lege repetundarum damnatus, vtebatur clementia legis, cuius seueritatem immanitate criminum excesserat: relegatus est.
10 Tuitus sum Iulium Bassum, vt incustoditum nimis & incautum, ita minime malum; iudicibus
11 acceptis in senatu remansit. Dixi proxime pro Vareno, postulante, vt sibi inuicem vocare testes liceret: impetratum est. In posterum opto, vt ea potissimum iubear, quae me deceat vel sponte feciſse. Vale.

XXX.

C. PLINIVS FABATO SVO S.

Proficeri villae durum & laboriosum hominem praeficiendum esse suadet.

Debemus, me hercule, natales tuos perinde ac nostros celebrare, cum laetitia nostrorum ex tuis pendeat, cuius diligentia & cura hic

---

8. *contra Baebium Massam*) Vide lib. VII. ep. vlt.
de Caecilio Classico) lib. III. epist. 4.
9. *Marium Priscum*) lib. II epist. 11.
10. *Iulium Bassum*) lib. IV epist. 3.
11 *pro Vareno*) De hoc vide lib. V. epist. 20.
Epist. XXX. 1. *laetitia nostrorum*) natalium.

hilares,

hilares, isthic securi sumus. Villa Camilliana, 2
quam in Campania possides, est quidem vetustate
vexata; ea tamen quae sunt pretiosiora, aut in-
tegra manent, aut leuissime laesa sunt. Atten- 3
dimus ergo, vt quam saluberrime reficiantur.
Ego videor habere multos amicos, sed huius ge-
neris, cuius & tu quaeris, & res exigit, prope
neminem. Sunt enim omnes togati & vrbani: 4
rusticorum autem praediorum administratio
poscit durum aliquem & agrestem, cui nec labor
ille grauis, nec cura sordida, nec tristis solitudo
videatur. Tu de Rufo honestissime cogitas: 5
fuit enim filio tuo familiaris. Quid tamen no-
bis ibi praestare possit, ignoro: velle plurimum,
credo. Vale.

XXXI.

C. PLINIVS CORNELIANO SVO S.

Quid Centumcellis in secessu principis, quo euocatus fuerat, peractum sit egregie, amico enarrat, simulque loci situm & munitionem describit.

Euocatus in consilium a Caesare nostro ad
Centum Cellas (hoc loco nomen) longe

---

2. *Villa Camilliana*) quae quondam Camilli fuerat. *Catan.*

3. *Attendimus*) Sich. *Attendemus.*

4. *togati*) officiis ciuilibus adsueti. *Catan.* Columella I, 8. pr. vetat villicum ex eo ordine legi, qui *vrbanas & delicatas artes exercuerit.*

poscit durum) Idem Columella c. 1. *Eligendus est rusticis operibus ab infante duratus, & inspectus experimentis.*

Epist. XXXI. 1. *Centum Cellas*) Etruriae oppidum cum portu, & iuxta portum villa Traiani. Oppidum laudat Promaxi-

2 maximam cepi voluptatem. Quid enim iucundius, quam principis iustitiam, grauitatem, comitatem in secessu quoque, vbi haec maxime recluduntur, inspicere? Fuerunt variae cognitiones, & quae virtutes iudicis per plures species
3 experirentur. Dixit caussam Claudius Aristo, princeps Ephesiorum, homo munificus, & innoxiae popularitatis: inde inuidia, & ab dissimillimis delator immissus: itaque absolutus vindi-
4 catusque est. Sequenti die audita est Gallita, adulterii rea. Nupta haec tribuno militum, honores petituro, & suam & mariti dignitatem centurionis amore maculauerat: maritus

---

copius II. Goth. B. cap. 7; Portum Rutilius Itiner. v. 237. seq. Hodie vulgo audit Ciuitaucecchia.

2. *vbi haec maxime recluduntur*) quia in secessu cum paucis agebat, ideoque apertius, humanius, quam in vrbe, & in conspectu omnium.

cognitiones) iudicia caussarum ciuilium & criminalium. Ideo Plinius in consilium seu iudicialem consensum cum aliis enocatus fuerat. Adeo se in secessu quidem otium Traiano erat.

3. *princeps*) primarius ciuis, aut buleuta.

popularitatis) Fauor & studium erga populum popularitas est. Popularibus opponuntur *studiosi optimi cuiusque*, Cic. Off. lib. I. c. 25. Haec autem *innoxia* popularitas dicitur, quia alia cum ambitione coniuncta erat.

ab dissimillimis delator) Aldus ita: Catanaeus verbo auget, *dissimilis* delator, quod vulgo repetitum fuit. Sichardus *ad dissimillimum delator*, forte quod *ab* ante *D* inusitatius visum. Sed non est extra vsum. *Ab domo* enim Cicero in Verr. VI, 18. & Liuius I. XXVI. c. 50. pr. dixere; *ab discursu* idem Liuius l. XXV. c. 25.

legato

legato consulari, ille Caesari scripserat. Caesar, excussis probationibus, centurionem exauctoravit, atque etiam relegauit. Supererat criminis, quod nisi duorum esse non poterat, reliqua pars vltionis; sed maritum, non sine aliqua reprehensione patientiae, amor vxoris retardabat. quam quidem, etiam post delatum adulterium, domi habuerat, quasi contentus aemulum remouisse. Admonitus, vt perageret accusationem, peregit inuitus, sed illam damnari, etiam inuito accusatore, necesse erat damnata, & Iuliae legis poenis relicta est: Caesar & nomen centurionis, & commemorationem disciplinae militaris sententiae adiecit, ne omnes eiusmodi causas reuocare

5

6

4. *legato consulari*) Duo genera legatorum sub Caesaribus. Legatus *consularis* (ex consularibus enim viris fuit) qui omnibus legionibus praeerat, tamquam principis seu imperatoris legatus: & *legati praetorii*, qui singularum legionum erant. Vide Tacit. Agric. c. 7. & Lipsium Mil. Rom. I. II. Dial. 11. & nostrum infra lib. VII. ep. 31. n. 2.

5. *exauctoravit*) ab ordinibus cum infamia reiecit. Lege 2. §. 2. Dig. de his qui not. infam. *Si eum exauctoraverit, id est, insignia militaria detraxerit; inter infames efficit, licet non addidisset, ignominiae causa se eum exauctorasse.*

6. *Iuliae legis poenis*) Lex Iulia de adulteriis, ferente Augusto, ad quam Titulus in Digestis pertinet, quo tamen nulla eius poena expressa. quod mitatur Lipsius ad Tacit. IV Annal. c. 42, ex quo loco & aliis ipse colligit, relegationis poenam ordinariam fuisse.

ne omnes eiusmodi causas) de adulterio. Has non omnes, sed quae inter milites tantum fuerunt, Caesar suae voluit cognitionis esse: reliquis ad ordinarios iudices reiectis.

ad

7 ad se videretur. Tertio die inducta cognitio est, multis sermonibus & vario rumore iactata de Iulii Tironis codicillis, quos ex parte veros esse
8 constabat, ex parte falsi dicebantur. Substituebantur crimini Sempronius Senecio, eques Romanus, & Eurythmus, Caesaris libertus & procurator. Heredes, quum Caesar esset in Dacia, communiter epistola scripta, petierant, vt
9 susciperet cognitionem: susceperat. Reuersus diem dixerat: &, quum ex heredibus quidam, quasi reuerentia Eurythmi, remitterent accusationem, pulcerrime dixerat, NEC ILLE POLYCLETVS EST, NEC EGO NERO. Indulserat tamen petentibus dilationem; cuius tempore
10 exacto, consederat auditurus. A parte heredum intrauerunt duo: omnino postularunt, vt omnes heredes agere cogerentur, quum detulissent omnes, aut sibi quoque desistere permitteretur.
11 Loquutus est Caesar summa grauitate, summa moderatione: quumque aduocatus Senecionis & Eurythmi dixisset, suspicionibus relinqui reos,

7. *de Iulii Tironis*) Praepositio Casauboni consilio addita. Abest enim a libris.

codicillis) testamento superadditis. Vide lib. II. epist. 16. n. 1.

8. *Substituebantur crimini*) accusabantur.

9. *quasi reuerentia Eurythmi*) quia libertus Caesaris erat.

Nec ille Polycletus) Neronis libertus potentissimus & auarissimus, de quo Tacitus videatur Ann. XIV. c. 39. & Hist. I. c. 37. n. 6 ac II. c. 95. n. 3. & Dio Cass. p. 720. in Nerone. Non enim tantum libertis suis Traianus, quantum mali principes, indulgebat. Vid. Paneg. c. 88.

nisi

nisi audirentur; NON CVRO, inquit, AN ISTI SVSPICIONIBVS RELINQVANTVR: EGO RELINQVOR. Dein, conuersus ad nos, 12
Ἐπίσασθε, quid facere debeamus? isti enim queri volunt, quod sibi licuerit non accusare. tum ex consilii sententia iussit denuntiari heredibus omnibus aut agerent, aut singuli approbarent causas non agendi, alioqui se vel de calumnia pronuntiaturum. Vides, quam honesti, quam seueri dies, 13
quos iucundissimae remissiones sequebantur. Adhibebamur quotidie coenae: erat modica, si principem cogites: interdum ἀκροάματα audiebamus; interdum iucundissimis sermonibus nox

---

11. *ego relinquor*) ac si plus aequo liberto fauerem, ac ideo non licere illum accusari.

12. Ἐπίσασθε) scitote, decernite, censete. Stephanus ex veteri libro mauult κατανήσασθε.

queri volunt) Sic Ald. & Sich. & plerique alii; quasi indignabundus Caesar dixerit, heredes tergiuersatione id agere, vt conqueri possint; saltem aliis suspicionem praebeant, sibi non licuisse per liberti gratiam. Confirmat hoc sententia consilii, quae subsequitur. nam poenam minatur, nisi persequuti fuerint, quod coepissent. Catanaeus & Thom. *quaeri* legunt, quasi dicat: Volunt, vt quaeramus, quod possint iure desistere.

ex consilii sententia) Veteres libri *ex consulis*, quod displicet Gronouio, vt *consilii* praeferat.

de calumnia) quod eos detulissent, contra quos nolint agere et probare.

13. ἀκροάματα) Hoc nomine appelantur, qui dictis aut canticis voluptatem auribus faciunt, vt musici, histriones, aretalogi, ridicularii. *Buchn.* De Augusti coena Sueton. 74. *aut acroamata, & histriones, aut*

duce-

14 ducebatur. Summo die abeuntibus nobis (quam diligens in Caesare humanitas!) xenia sunt missa: sed mihi, vt grauitas cognitionum, consilii honor, suauitas simplicitasque conuictus, ita 15 locus ipse periucundus fuit. Villa pulcerrima cingitur viridissimis agris: imminet littori, cuius in sinu quam maximus portus, velut amphitheatrum. Huius sinistrum brachium firmissimo 16 opere munitum est: dextrum elaboratur. In ore portus insula adsurgit, quae illatum vento mare obiacens frangat, tutumque ab vtroque latere decursum nauibus praestet. Adsurgit autem arte visenda. Ingentia saxa latissima nauis prouehit: contra, haec alia super alia deiecta ipso pondere manent, ac sensim, quodam velut 17 aggere, construuntur. Eminet iam & apparet

---

etiam triuiales ex circo ludios interponebat. Vbi Torrentius acroamata pueros symphoniacos interpretatur.

14. *Summo die*) nouissimo die consilii.

quam diligens) Ita Modius & Gruterus ex MSS. & editis primis. Sequiores *tam diligens.*

xenia) munuscula, quae hospitibus dabantur.

15. *velut amphitheatrum*) Rutilius de hoc portu v. 237.

Molibus aequoreum concluditur amphitheatrum.

16. *frangat*) fluctus ad littus impellentes retundit. Sic Virg. Aen. lib. I. v. 162. *omnis ab alto Erangitur. Herz.*

arte visenda) digna visu arte. Nam arte haec insula constructa fuit & emunita.

prouehit) Ergo illo tempore Traianus occupatus erat in insula illa vel fundanda vel adstruenda.

haec alia super alia) haec ingentia saxa.

saxeum

saxeum dorsum: impactosque fluctus in immensum elidit & tollit. Vastus illic fragor, canumque circa mare. Saxis deinde pilae adiiciuntur; quae procedenti tempore enatam insulam imitentur. Habebit hic portus etiam nomen auctoris, eritque vel maxime salutaris. Nam per longissimum spatium littus importuosum hoc receptaculo vtetur. Vale. 18

XXXII.

C. PLINIVS QVINTILIANO SVO S.

Nubenti Quintiliani filiae dono offert L millia nummum.

Quamuis & ipse sis continentissimus, & filiam tuam ita constitueris, vt decebat filiam tuam, Tutilii neptem; quum tamen sit nuptura honestissimo viro, Nonio Celeri, cui ratio ciui-

---

17. *saxeum dorsum*) moles lapidea, aquae imposita. *immensum*) siue mare.

canumque) Spuma caena, quae aquae valde commotae extremam marginem cingere solet. *Herz.*

pilae adiiciuntur) Festus: *Pila, quae parietem sustentat.*

enatam insulam) Exempla enatarum & noue, sed natura, non manu, surgentium insularum in Aegeo mari, Seneca Quaest. Nat. II, 26. prodidit.

18. *nomen auctoris*) Ptolemaeus l. III. c. 1. in Etruriae littore, Τραϊανὸς λιμὴν, *Portus Traianus*, quod nomen apud posteriores obsoleuisse videtur, qui veteri *Centumcellas* hunc portum plerique appellant.

Epist. XXXII. *Quintiliano*) Fabio Quintiliano rhetori.

lium

lium officiorum necessitatem quamdam nitoris imponit; debet, secundum conditiones mariti, veste, comitatu (quibus non quidem augetur 2 dignitas, ornatur tamen) instrui. Te porro animo beatissimum, modicum facultatibus scio: itaque partem oneris tui mihi vindico, & tamquam parens alter puellae nostrae, confero quinquaginta millia nummum: plus collaturus, nisi a verecundia tua sola mediocritate munusculi impetrari posse confiderem, ne recusares. Vale.

XXXIII.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Triumphat oratione sua, pro Accia apud centumviros habita, cuius artes detegit, & cum Demosthenea pro Ctesiphonte an conferri possit, amici iudicium exquirit.

Tollite cuncta, inquit, coeptosque auferte labores. Seu scribis aliquid, seu legis, tolli, auferri iube, & accipe orationem meam, vt illi arma, diuinam. Num superbius

---

1. *necessitatem nitoris imponit*) splendidiorem cultum poscit; *Muss einen Staat führen.*

comitatu -- instrui) Lectio haec & ex Modii & Gruteri MSS. etiam ex vett. edd. est; Aldinam sequuti addunt nonnihil.

2. *modicum facultatibus*) dinitem quidem respectu aliorum rhetorum, *Iuuenal. VII*, 189. non autem respectu consularis Plinii, aut generi Celeris, si forte is est, quem Martialis lib. VII. epigr. 51. Hispaniae praesidem laudat.

Epist. XXXIII. 1. *Tollite cuncta*) Virgilianus versus ex Aen. VIII. v. 439. quo Vulcanus Cyclopibus arma, fabricanda Aeneae, imperauit.

vt illi) Cyclopes. Quidem hoc *arma diuina* legunt, potui?

potui? reuera, vt inter meas pulcram. Nam mihi
satis est certare mecum. Est haec pro Accia Variola 2
& dignitate personae & exempli raritate, & iu-
dicii magnitudine insignis. Nam femina splen-
dide nata, nupta praetorio viro, exheredata ab
octogenario patre, intra vndecim dies, quam
ille nouercam ei, amore captus, induxerat, qua-
druplici iudicio bona paterna repetebat. Sede- 3
bant iudices centum & octoginta: tot enim
quatuor consiliis conscribuntur, ingens vtrimque
aduocatio, & numerosa subsellia; praeterea
densa circumstantium corona latissimum iudi-
cium multiplici circulo ambibat. Ad hoc, sti- 4
patum tribunal, atque etiam ex superiore basili-

---

sed Sich. & Casaub. *diuinam*, puta orationem. Conuin-
cunt, quae proxime sequuntur.

potui) dicere, dum orationem meam diuinam voco. *Herz.*

2. *vndecim dies, quam*) QVAM, h. e. *postquam*. Liuius XXI. c. 15. *Octauo mense, quam coeptum oppugnari, captum Saguntum*. Eutropius l. II. extr. *intra sex dies, quam venerant*. Idem lib. IV. c. 5. n. 8. *Carthago septingentesimo anno, quam condita erat, deleta est*.

quadruplici iudicio) Vide lib. I. epist. 5. n. 4.

3. *quatuor consiliis conscribuntur*) De quatuor consi-
liis, vnde quadruplex iudicium vocatur, vide ibidem, & Brisson. de S. V. in *Centumuiri*. Verbum *conscribun-
tur* ex Palat. & Sich. & ed. antiquissima. Vulgatum *col-
liguntur*.

corona) Vocabulum *coronae*, &, quod sequitur, *cir-
culi* eleganter de multitudine in orbem quasi aut semiorbem circumstante. Cic. pro Flacco 28. *Vox in coronam turbam-
que effunditur*. De *Circulo* ad Nepotis Epamin. 3. n. 3. diximus.

4. *stipatum tribunal*) plenum hominibus, vt

cae parte, qua feminae, qua viri, & audiendi, quod erat difficile, &, quod facile, visendi studio imminebant. Magna exspectatio patrum, magna
5 filiarum, magna etiam nouercarum. Sequutus est varius euentus. Nam duobus consiliis vicimus, totidem victi sumus. Notabilis prorsus res & mira; eadem in causa, iisdem iudicibus, iisdem aduocatis, eodem tempore tanta diuersitas accidit casu quidem, sed non vt casus videre-
6 tur. Victa est nouerca: ipsa heres ex parte sexta. Victus Suberrinus; qui exheredatus a patre singulari impudentia alieni patris bona
7 vindicabat, non ausus sui petere. Haec tibi exposui, primum vt ex epistola scires, quae ex oratione non poteras: deinde, (nam detegam artes) vt orationem libentius legeres, si non legere tibi, sed interesse iudicio videreris: quam, sit licet magna, non despero gratiam breuissimae
8 impetraturam. Nam & copia rerum, & arguta diuisione, & narratiunculis pluribus, & eloquendi varietate, renouatur. Sunt multa (non auderem nisi tibi dicere) elata; multa pugnantia,

---

nihil spatii supereſſet, Liuius XXXIII. cap. 18. *stipata phalanx.*

6. *Victus Suberrinus*) Variant libri in hoc nomine, quod ita Palatinus expressit. Sed parum refert, quale fuerit: refert autem scire, fuisse nouercae filium, Acciae nimirum, qui *alieni patris*, vitrici octogenarii, bona vindicabat, sui patris bona petere non ausus.

7. *gratiam breuissimae*) orationis. Nam gratior semper breuitas & audienti & legenti, quam diffusa verbosi-
tas, quae fastidium parit.

multa

multa subtilia. Interuenit enim acribus illis & 9
erectis frequens necessitas computandi, ac paene
calculos tabulamque poscendi, vt repente in pri-
nati iudicii formam centumuirale vertatur. De- 10
dimus vela indignationi; dedimus irae, dedimus
dolori; & in amplissima caussa, quasi magno
mari, pluribus ventis sumus vecti. In summa, 11
solent quidam ex contubernalibus nostris existi-
mare hanc orationem (iterum dicam) praeci-
puam, vt inter meas ὡς ὑπὲρ Κτησιφῶντος esse.
An vere, tu facillime iudicabis, quia tam memo-
riter tenes omnes, vt conferre cum hac, dum
hanc solam legis, possis. Vale.

XXXIV.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Maximi munus gladiatorium in funere vxoris commendat: dolet autem pantheras tardius aduenisse.

Recte feci sti, quod gladiatorium munus Ve-
ronensibus nostris promisisti; a quibus

9. *in priuati iudicii formam*) in formam iudicii domestici, quo v. g. rationes a procuratore dominus exigit. Paullus Lege XX. Dig. de procurat. etiam inter *iudicium publicum* & *priuatum* distinguit. Alio sensu & centumuirale priuatum est. Vide iuris consultos.

11. ὡς ὑπὲρ Κτησιφῶντος) tamquam Demosthenis praestantissimam orationem, qua Ctesiphontem, qui coronam Demostheni decreuerat, contra Aeschilum, id reprehendentem, defendit validissime. Vide ad lib. I. epist. 2. n. 1. notata.

Epist. XXXIV. 1. *Gladiatorium munus*) inter alios ludos exhibebant proceres suis impensis cruentos, dum certi quidam homines pretio quodam conducebantur, vt publice inter se pugnarent, seque inuicem interficerent, si populus veniam dare nolebat. Vid. quae collegit Kipping. antiquit. lib. II. c. 6. *Herz.*

Veronensibus nostris) quia Verona in Transpadana,

olim amaris, suspiceris, ornaris. Inde etiam vxorem carissimam tibi & probatissimam habuisti; cuius memoriae vt opus aliquod, ita maxime funebre debebatur. 2 Praeterea, tanto consensu rogabaris, vt negare non constans, sed durum videretur. Illud quoque egregium, quod tam facilis, 3 tam liberalis in edendo fuisti. Nam per haec etiam magnus animus ostenditur. Vellem Africanae, quas coemeras plurimas, ad praefinitum diem occurrissent: sed licet cessauerint illae, tempestate detentae, tu tamen meruisti, vt acceptum tibi fieret, quod, quo minus exhiberes, non per te stetit. Vale.

---

in qua & Plinii Comum est. Recole lib. I. epist. 16. n. 5. de Catullo.

ita maxime funebre) in illustrium funeribus gladiatores editi. Lipsium consule lib. I. Saturn. c. 8. Ceterum lectio haec in Palatino & vett. edd. fundata, etiam in margine a Sichardo expressa. Vulgares libri interponunt alia.

3. *Africanae*) pantherae, quae in Africa frequentissimae. Plinius maior de eisdem H. N. lib. VIII. c. 17. *SC. fuit vetus, ne liceret Africanas in Italiam aduehere.* Suetonius Calig. c. 18. *Edidit Circenses plurimos, interiecta modo Africanarum venatione.* Symmachus *Libycas* appellat II, 46. & VII, 122. vel pantheras, vel alias Africae bellnas intelligens, quemadmodum II, 75. de leonibus *congressionem Libycam*, h. e. spectaculum & venationem Poenorum leonum, dixit.

acceptum tibi fieret) Gruterus mauult *ferrent*, quam *fierent*: quod mollius omnino est, & sensus postulat, quaecumque etiam lectio seruetur.

LIBER

LIBER VII.

I.

C. PLINIVS RESTITVTO SVO S.

Aegrotantem amicum hortatur, vt valetudinem patienter ferat, suoque exemplo docet, non indulgendum appetitui, sed medicis obtemperandum esse.

Terret me haec tua tam pertinax valetudo, &, quamquam te temperantissimum nouerim, vereor tamen, ne quid illi etiam in mores tuos liceat. Proinde moneo patienter resistas. 2
Hoc laudabile, hoc salutare admittit humana natura, quod suadeo; ipse certe sic agere sanus cum meis soleo. Spero quidem, si forte in aduersam valetudinem incidero, nihil me desideraturum vel pudore vel poenitentia dignum: si 3
tamen superauerit morbus, denuntio, ne quid mihi detur, nisi permittentibus medicis: sciantque, si dederint, ita vindicaturum, vt solent alii, quae negantur. Quin etiam quum perustus ardentissima febri, tandem remissus vnctusque acciperem a medico potionem, porrexi 4

Epist. I. 1. *in mores tuos liceat*) temperantiam tuam corrumpat. *Buchn.*

3. *superauerit morbus*) inualuerit & abstinentiam meam vicerit.

alii) vindicare illa &c.

4. *remissus*) sedato calore, finito paroxysmo.

vnctusque) Cum remissione morbi coniungit vnctionem. Sic Celsus II, 14. *Vngi leniterque pertractari corpus etiam in acutis & recentibus morbis oportet; in remissione tamen & ante cibum.*

manum, vtque me tangeret, dixi, admotumque
5 iam labris poculum reddidi. Postea quum vicesimo valetudinis die balineo praepararer, mussantesque medicos repente vidissem, caussam requisiui. Responderunt, posse me tuto lauari, non
6 tamen omnino sine aliqua suspicione. Quid (inquam) necesse est? Atque ita spe balinei, cui iam videbar inferri, placide leniterque dimissa, ad abstinentiam rursus, non secus, ac modo ad
7 balineum, animum vultumque composui. Quae tibi scripsi, primum vt te non sine exemplo monerem, deinde vt in posterum ipse ad eamdem temperantiam adstringeres, quum me hac epistola quasi pignore obligauissem. Vale.

II.

C. PLINIVS IVSTO SVO S.

Promittit aliquid scriptorum suorum, quum aestas transmissa fuerit.

Quemadmodum congruit, vt simul & adfirmes, te assiduis occupationibus impediri, & scripta nostra desideres, quae vix ab otiosis

---

vtque me tangeret) venam tangeret, vtrum desierit calor, nec ne. Persius Sat. 3. v. 101. *Tange miser venas.*

5. *quum balineo praepararer*) Vsus balinei in febribus Supra lib. II. epist. 8. n. 2. & Cornel. Cels. lib. II. cap. 17.

6. *necesse est*) me lauari. Possum enim etiam intermittere.

animum vultumque composui) sedato adfectu & compressa cupiditate lauandi.

impe-

impetrare aliquid perituri temporis possunt? Patiar ergo, aestatem inquietam vobis exercitamque transcurrere; & hieme demum, quum credibile erit, noctibus saltem vacare te posse, quaeram quid potissimum ex mugis meis tibi exhibeam. Interim abunde est, si epistolae non sunt molestae. Sunt autem, & ideo breuiores erunt. Vale.

III.

C. PLINIVS PRAESENTI SVO S.

Amicum a longo recessu in vrbem reuocat.

Tantane perseuerantia tu modo in Lucania, modo in Campania? Ipse enim (inquis) Lucanus, vxor Campana. Iusta caussa longioris absentiae, non perpetuae tamen. Quin ergo aliquando in vrbem redis? vbi dignitas, honor, amicitiae tam superiores quam minores. Quousque regnabis? quousque vigilabis quum voles? dormies quamdiu voles? quousque calcei

---

Epist. II. 2. *inquietam vobis*) Palat. ita & vett. edd. Vulgares *nobis*.

3. *abunde est*) sufficit. Supra lib. IV. extremo: *Mihi abunde est, si satis expressi, quod efficitur.*

Epist. III. 1. *Tantane perseuerantia*) sexto casu, quod est *tamdiu*.

2. *regnabis*) libere vines in villis tuis, quod in vrbe propter ciuilia munera non licebat. Terent. in Phorm. a. II sc. 3. v. 58. *Quandoquidem solus regnas.* Vbi Donatum legas.

dormies, quamdiu) Erant in vrbe etiam antelucana officia, seu ante lucem peragenda, lib. III. epist. 5. n. 9. quae non sinebant, somno indulgere.

quousque calcei nusquam?) Distinctio ab Lipsio est

3 nusquam? toga feriata? liber totos dies? Tempus est, te reuisere molestias nostras, vel hoc solum, ne voluptates istae satietate languescant. Saluta paullisper, quo sit tibi iucundius salutari. Terere in hac turba, vt te solitudo dele-
4 ctet. Sed quid imprudens, quem reuocare conor, retardo? Fortasse enim his ipsis admoneris, vt te magis ac magis otio immoluas; quod ego
5 non abrumpi, sed intermitti volo. Vt enim, si coenam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutosque miscerem, vt obtusus illis & oblitus stomachus his excitaretur; ita nunc hortor, vt

---

Quaest. epist. 1. n. 5. Calceorum autem & togae vsus idem & coniunctus, nempe in vrbe: in municipiis tunica contenti & soleis. Quaerit ergo: Quousque tibi non sunt calcei? quousque toga otiosa, nec corpori applicata? siccine totos dies liber in manu, nec vis ad ciuilia redire officia? In secessu enim studiis vacabant, ceteris omnibus posthabitis.

3. *Tempus est, te reuisere*) Dicimus *tempus nascendi* Cic. Diuin. II. 45; *adeundi*, fam. epist. II. n. 16. *concionandi*, Sueton. Caes. c. 55; verum etiam cum Infinito, Liuius VI. c. 18. *tempus est maiora conari*, & XXI. c. 54. *nunc corpora curare tempus est.*

molestias nostras) lites forenses, officia ciuilia.

hoc) ex hoc s. hac causa. *Herz.*

Saluta paullisper) inuise amicos in vrbe, vt viciſſim te inuisant & salutent.

Terere) Passiue, pro *tere te, exerce te* forensibus aliisque negotiis ciuium.

4. *imprudens retardo*) mentione occupationum vrbanarum, quibus admoneris, vt vrbem fugias, ac diutius in otio & secessu delitescas.

abrumpi) perpetuo vitari.

oblitus) ab oblinere.

iucun-

iucundissimum genus vitae nonnullis interdum quasi acoribus condias. Vale.

IV.

C. PLINIVS PONTIO SVO S.

Miranti, qui Plinius, seuerus homo, hendecasyllabos scripserit, poetica sua studia ab vltima aetate recenset.

Ais, legisse te hendecasyllabos meos: requiris etiam, quemadmodum coeperim scribere, homo, vt tibi videor, seuerus, vt ipse fateor, non ineptus. Nunquam a poetice (altius enim repetam) alienus fui: quin etiam quatuordecim natus annos Graecam tragoediam scripsi. Qualem? inquis. Nescio, tragoedia vocabatur. Mox quum e militia rediens, in Icaria insula ventis detinerer, Latinos elegos in illud ipsum mare ipsamque insulam feci. Expertus sum me aliquando & heroico, hendecasyllabis nunc primum, quorum hic natalis, hae caussae. Legebantur in Laurentino mihi libri Asinii Galli

5. *quasi acoribus*) Ita Palat. & Sichardina: alii *acrioribus*, minus adposite.

Epist. IV. 1. *hendecasyllabos*) Vide lib. IV. epist. 14. n. 8.

3. *e militia*) ex Syria, vbi tribunus militauerat, lib. III. epist. 11. n. 5.

in Icaria insula) Aegei maris, iuxta Samum.

hae caussae) Grut. ex Palatino. Alii, Aldum sequuti, *haec caussa est*.

4. *Asinii Galli*) qui filius fuit Asinii Pollionis, aequalis Ciceroni, aut paullo iunioris. Librum, quem de patre & Cicerone scripsit, confutauit Claudius Caesar. Suetonius 41. *Composuit Ciceronis defensionem aduersus Asinii Galli libros, satis eruditam.* Vnde

de comparatione patris & Ciceronis: incidit epigramma Ciceronis in Tironem suum: dein, quum meridie (erat enim aestas,) dormiturus me recepissem, nec obreperet somnus; coepi reputare, maximos oratores hoc studii genus, & in oblectationibus habuisse & in laude posuisse. Intendi animum, contraque opinionem meam, post longam desuetudinem, perquam exiguo temporis momento id ipsum, quod me ad scribendum sollicitauerat, his versibus exaraui:

6 *Quum libros Galli legerem, quibus ille parenti*
Ausus de Cicerone dare est palmamque decusque,
Lasciuum inueni lusum Ciceronis, & illo
Spectandum ingenio, quo seria condidit, & quo
Humanis salibus, multo varioque lepore
Magnorum ostendit mentes gaudere virorum.
Nam queritur, quod fraude mala frustratus amantem
Pauculis coenato sibi debita suauia Tiro

---

argumentum libri conflare potest. Plura de eo Tacitus Annal. lib. I c. 12. Eius filius cognominis conspirauit contra Claudium, Sueton. c. 13. Genealogiam Asiniorum Th. Ryckius ad Tacit. p. 112 exhibuit.

in Tironem suum) libertum eruditissimum, ad quem plures Ciceronis epistolae extant.

erat enim aestas) nam hieme meridianus somnus eximebatur, lib. IX. epist. vlt.

6. *quibus ille parenti*) Asinio Pollioni, quem filius hoc libro antepositit Ciceroni.

dare est) Casaubonus *est* addi iussit. Pontanus ad Macrob. VII. 15. pr. ita legendum censet:

Plausus de Cicerone daret palmamque decusque.

Humanis salibus) qui humanos & comes decent. *Buchn.*

Tempore

Tempore nocturno subtraxerit. His ego lectis,
Cur post haec, inquam, nostros celamus amores?
Nullumque in medium timidi damus? atque fatemur
Tironisque dolos, Tironis nosse fugaces
Blanditias, & furta nouas addentia flammas?

Transii ad elegos; hos quoque non minus celeriter explicui: addidi alios facilitate corruptus: deinde in vrbem reuersus, sodalibus legi. Probauerunt. Dein plura metra, si quid otii, maxime in itinere, tentaui. Postremo placuit exemplo multorum vnum separatim hendecasyllaborum volumen absoluere, nec poenitet. Legitur, describitur, cantatur etiam; a Graecis quoque, quos Latine huius libelli amor docuit, nunc cithara nunc lyra personatur. Sed quid ego tam glorioſe? quamquam poetis furere concessum est; & tamen non de meo, sed de aliorum iudicio loquor, qui siue iudicant, siue errant, me delectant.

Nullumque] puta *amorem* ex celatis amoribus. Casaubonus *Nullique* vt *nulli* pro *non*, consueto more positum sit. Buchnero in mentem venit *Nilumque* Lucretianum verbum, pro *nihilum*.

nosse fugaces) Palat. ita & edd. primae. Aldus *nosce*. Sed obuius sensus: fatemur nosse blanditias & peritos nos esse rerum amatoriarum.

7. *explicui*) absolui, & ex retinaculis suis, quibus haeremus, dum meditamur, eripui. Sic noster infra VIII. epist. 1. iter explicare.

10. *tam glorioſe*] tam iactanter. Supra l. III. ep. 9. n. 13. *iactantes & glorioſae epistolae*. Recentes legunt *furioſe* contra Palat. Ald. & alios veteres.

Vnum precor, vt posteri quoque aut errent similiter, aut iudicent. Vale.

V.

C. PLINIVS CALPVRNIAE SVAE S.

Magno se vxoris desiderio teneri significat.

Incredibile est, quanto desiderio tui tenear. In caussa amor primum; deinde, quod non consueuimus abesse. Inde est, quod magnam partem noctium in imagine tua vigil exigo: inde, quod interdiu, quibus horis te visere solebam, ad diaetam tuam ipsi me, vt verissime dicitur, pedes ducunt: quod denique aeger & moestus, & 2. similis excluso, a vacuo limine recedo. Vnum tempus his tormentis caret, quo in foro & amicorum litibus conteror. Aestima tu, quae vita mea sit, cui requies in labore, in miseria curisque solatium est. Vale.

Epist. V. 1. *In imagine tua*) in memoria, cogitatione tui. *diaetam*) conclaue, quo interdiu Calpurnia commorabatur. Vide ad lib. II. epist. 17. n. 12. Omnes autem heic libri *diaeta* habent, nullus *Zeta*, vt in aliis locis.

aeger & moestus) Aldus sic legit, & Catanaeus idem laudauit, quamquam *aeger metu* edidit. Palat. *aeger metus* corrupte: Sich. *aeger mente*.

2. *conteror*) exerceor, vt epist. 3. huius libri n. 3. *Terere in hac turba*.

in labore, in miseria curisque) in labore forensi & amicorum litibus. Negotiis enim desiderium vxoris minuebatur.

VI.

VI.

C. PLINIVS MACRINO SVO S.

Bithynos decreto accusationem Vareni (lib. V. ep. 20.) *omisisse narrat, inuitis legatis, quibus Plinius breuiter respondit, quod consultius interdum putat, quam multa loqui, idque exemplo alio probat.*

Rara & notabilis res contigit Vareno, sit licet adhuc dubia. Bithyni accusationem eius, vt temere inchoatam, omisisse narrantur. Narrantur dico? adest prouinciae legatus: attulit decretum consilii ad Caesarem, attulit ad multos principes viros, attulit etiam ad nos, Vareni aduocatos. Perstat tamen idem ille Magius; 2
quin etiam Nigrinum, optimum virum, pertinacissime exercet. Per hunc a Consulibus postulabat, vt Varenus exhibere rationes cogeretur. Adsistebam Vareno iam tantum vt amicus, & 3
tacere decreueram. (Nihil enim tam contrarium, quam si aduocatus a senatu datus defenderem vt reum, cui opus esset, ne reus videretur.) Quum tamen, finita postulatione Ni- 4
grini, consules ad me oculos retulissent; Scietis, inquam, constare nobis silentii nostri ratio-

---

Epist. VI. 1. *Vareno*) Vide lib. V. ep. 20 & lib. VI. epist. 13. *narrantur. Narrantur dico*) Geminatio Gruteri est: *dico* Palatini & Aldinae. Vulgares *narrantur. De eo adest* &c.

prouinciae legatus) nouus, post veteres Magium & socios. De Fonteio Magio lib. V. ep. 20. n. 4.

2. *Nigrinum*) aduocatum Bithynorum in superiore actione, *ibid.* n. 6.

nem, quum veros legatos prouinciae audieritis contra Nigrinum, ad quem missi sunt: ego ad
5 me quoque habeo decretum prouinciae. Rursus ille: Potest tibi liquere. Ad hoc ego: Si tibi ex diuerso liquet, potest & mihi, quod est melius
6 in causa, liquere. Tum legatus Polyaenus causas abolitae accusationis exposuit, postulauitque, ne cognitioni Caesaris praeiudicium fieret. Respondit Magius: iterumque Polyaenus ipse
7 raro & breuiter interloquutus. Multum me intra silentium tenui. Accepi enim, non minus interdum oratorium esse tacere, quam dicere: atque adeo repeto, quibusdam me capitis reis vel magis silentio, quam oratione accuratissima pro-
8 fuisse. Mater amisso filio, (quid enim prohibet, quamquam alia ratio scribendae epistolae fuerit, de studiis disputare?) libertos eius, eosdemque coheredes suos, falsi & veneficii reos detulerat ad Principem, iudicemque impetrauerat Iulium Ser-
9 uianum. Defenderam reos ingenti quidem coetu. Erat enim caussa notissima; praeterea vtrimque ingenia clarissima. Finem cognitioni quae-

---

4. *veros legatos*) nouos & recentes, quorum aduentu legatio veterum, vt Magii, exspirauit.

6. *praeiudicium fieret*) sed integra omnia arbitrio Caesaris permitterentur. Vide infra n. 14.

7. *oratorium esse tacere*] Cic. I XIII. ad Attic. ep. 42. *Hoc loco sumsi quiddam de tua eloquentia, nam tacui.*

adeo repeto) recordor. Supra lib. III. epist 5. n, 16.

8. *falsi*) falsi testamenti

9. *vtrimque ingenia clarissima*) vtriusque partis aduocati clari & exercitati, quo in casu maior concursus exspectantium, quaenam pars victura sit.

stio

stio imposuit; quae secundum reos dedit. Postea 10
mater adiit Principem: affirmauit se nouas probationes inuenisse. Praeceptum est Seruiano, vt vacaret finitam caussam retractanti, si quid noui adferret. Aderat matri Iulius Africanus, 11
nepos Iulii oratoris: quo audito Passienus Crispus dixit, Bene, me hercule, bene: sed quo tam bene? Iulius nepos, iuuenis ingeniosus, sed parum callidus, quum multa dixisset, adsignatumque tempus implesset, Rogo, inquit, Seruiane, permittas mihi vnum versum adiicere. Tum 12
ego, quum omnes me, vt diu responsurum, intuerentur, Respondissem, inquam, si vnum illum versum Africanus adiecisset, in quo non dubito omnia noua fuisse. Non facile me repeto tan- 13
tum consequutum adsensum agendo (quantum tunc non agendo.) Similiter nunc & probatum

---

quaestio) seruorum tormenta.

secundum reos) pro reis serui confessi sunt. Nam *dare secundum quem*, est pronuntiare pro illo. Seneca procem. lib. II, Controuers. *Centumuiri dixerunt, dare ipsos secundum aduersarium Albutii, si iuraret ille.* Tacitus Annal. lib. IV. c. 43. n 4. *Ira secundum Messenios data.* Add. Sueton. Claud. c. 15.

10. *retractanti*) matri.

11 *aderat*] Caussam agebat, defendebat. Supra lib. I. epist. 5 n. 5.

adsignatum tempus) clepsydra definitum. Vide lib. I. epist. 23. n. 2. & lib II. ep. 11 n 1.

13. *consequutum adsensum agendo*) Aldina lectio, quam carpit quidem Gruterus, sed meli rem ex Palatino non adfert.

quantum tunc non agendo) Haec absunt a Palat. & Sichardina, quae insuper *cepisse* habet pro *consequutum esse*.

&

& exceptum est, quod pro Vareno hactenus ta-
14 cui. Consules, vt Polyaenus postulabat, omnia integra Principi seruauerunt; cuius cognitionem suspensus exspecto. Nam dies ille nobis pro Vareno aut securitatem & otium dabit, aut intermissum laborem renouata sollicitudine iniunget. Vale.

VII.

C. PLINIVS SATVRNINO SVO S.

Gaudet Saturnini & Prisci coniunctione, & hunc ad se reuerti satiatum otio, cupit.

Et proxime Prisco nostro, & rursus, quia ita iussisti, gratias egi, libentissime quidem. Est enim mihi periucundum, quod viri optimi mihique amicissimi adeo cohaesistis, vt inuicem
2 vos obligari putetis. Nam ille quoque praecipuam se voluptatem ex amicitia tua capere profitetur, certatque tecum honestissimo certamine mutuae caritatis, quam ipsum tempus augebit.
3 Te negotiis distineri ob hoc molestе fero, quod deseruire studiis non potes, si tamen alteram litem per iudicem, alteram, vt ais, ipse finieris, incipies primum istic otio frui, deinde satiatus ad nos reuerti. Vale.

---

hactenus tacui) eatenus & in tantum tacui, vt per breuem tantum responsionem interponerem. Adi Modii Nouant. ep. 92. & Gruterum. Gronouio placet *non tacui* (hoc est, breuiter respondi) cuius in Palatino vestigia sunt. Epist. VII. 1. *Prisco*) Vide ad lib. II. ep. 13 *cohaesistis*) amicitiam iniistis, societatem coistis.

VIII.

VIII.

C. PLINIVS PRISCO SVO S.

Eamdem laetitiam, de qua superiori epistola, significat Prisco, eumque ad constantiam hortatur.

Exprimere non possum, quam iucundum sit mihi, quod Saturninus noster summas tibi apud me gratias aliis super alias epistolis agit. Perge vt coepisti, virumque optimum quam familiarissime dilige, magnam voluptatem ex amicitia 2
eius percepturus, nec ad breue tempus. Nam 3
quum omnibus virtutibus abundet, tum hac praecipue, quod habet maximam in amore constantiam. Vale.

Epist. VIII. 1. *Saturninus*) de quo ep. praecedente.

aliis super alias) Panegyr. c. 14. extr. *aliis super alias expeditionibus.* Nec insolens antiquioribus haec formula. Liuius III. c. 56. *alia super alia ex usus:* & XXIII. c. 36. extr. *alia super alia nuntiabantur.*

3. *quum abundet, tum*) Cum, Tum, si se mutuo respiciunt, & partes copulant, plerumque Indicatiuo iunguntur. Vide lib. IV. ep. 28. n. 3. & lib. V. epist. 3. n. 1. & alibi. Est vero etiam, vbi prius Coniunctiuo cohaeret. Cicero pro Balbo cap. 12. *Cum ex omnibus ciuitatibus via sit in nostram, tum vero* &c. Columella VII. 10. *Cum omni quadrupedi per aestatem sitis sit infesta; tum stillo maxime est inimica.* Eumenius Panegyr. Constantini cap. 2. *Cum omnes homines iuuare boni sit principis; tum praecipue bene meritis subuenire sapientis est.* Sed puto, in hisce *Cum* non tam copulare, quam caussam reddere, vt solemne est, quando huic Modo & Tempori coniungitur. Ideoque veterum more, quem Quintilianus I, 7, tradit, *Quum*, pro *Cum*, discriminis caussa scribi potest. Adde nostrum lib. VIII. ep. 18. n. 12.

IX.

C. PLINIVS FVSCO SVO S.

Quaerenti amico, rationem exercendi stili praescribit.

Quaeris, quemadmodum in secessu, quo iamdiu frueris, putem te studere oportere.
2 Vtile inprimis, & multi praecipiunt, vel ex Graeco in Latinum, vel ex Latino vertere in Graecum: quo genere exercitationis proprietas splendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, praeterea imitatione optimorum similia inueniendi facultas paratur: simul quae legentem fefellissent, transferentem fugere non possunt.
3 Intelligentia ex hoc & iudicium adquiritur. Nihil obfuerit, quae legeris hactenus, vt rem argumentumque teneas, quasi aemulum scribere, lectisque conferre, ac sedulo pensitare, quid tu, quid ille commodius. Magna gratulatio, si nonnulla tu; magnus pudor, si cuncta ille melius. Licebit interdum & notissima eligere, & certare
4 cum electis. Audax haec, non tamen improba, quia secreta, contentio: quamquam multos vi-

---

Epist. IX. 2. *Vtile inprimis*) Quintilianus X, 5. pr. *Vertere Graeca in Latinum veteres nostri oratores optimum iudicabant.* Et post paullo: *Sed & illa ex Latinis conuersio multum & ipsa contulerit.*

3 *hactenus, vt*) in tantum vt; eo vsque, vt. Elegantter. Sic lib. IV. ep. 8. n. 3. *In hoc fortunae hactenus licet, vt dare possit.* Suetonius Ner. c. 40. *Interpellatus tumultuosioribus litteris hactenus excanduit, vt malum iis, qui dedissent, minaretur.*

si nonnulla tu; magnus] Ita ex MSS. Modius restituit Epist. 92. Nouantiq. Lect.

demus

demus eiusmodi certamina sibi cum multa laude
sumsisse, quosque subsequi satis habebant, dum
non desperant, antecessisse. Poteris &, quae 5
dixeris, post obliuionem retractare; multa reti-
nere, plura transire; alia interscribere, alia re-
scribere. Laboriosum istud & taedio plenum, 6
sed difficultate ipsa fructuosum, recalescere ex
integro, & resumere impetum fractum omis-
sumque: postremo, noua velut membra peracto
corpori intexere, nec tamen priora turbare. Scio, 7
nunc tibi esse praecipuum studium orandi; sed
non ideo semper pugnacem hunc & quasi bellato-
rium stilum suaserim. Vt enim terrae variis muta-
tisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac,
nunc illa meditatione recoluntur. Volo, interdum 8
aliquem ex historia locum apprehendas: volo
epistolam diligentius scribas, volo carmina.
Nam saepe in orationes quoque non historicae
modo, sed prope poeticae descriptionis necessi-
tas incidit; & pressus sermo purusque ex epi-

---

5. *retractare*) emendare, recensere, vt lib. IV. ep. 9. extr. & lib. VIII. ep. 21 n. 6. [vbi Buchn. consulatur] & lib. IX. ep. 10. n. 3.

rescribere) Idem est, quod modo explicatum, *retractare*, emendare nempe, interpretante Büchnero d. l.

8. *ex historia locum*] partem historiae. *Catan.*

prope poeticae) vt in descriptionibus locorum, flumi-
num &c. Vnde est, quod Tullius pro Archia dicit, poetarum sibi lectionem ad eloquentiam profuisse. Ceterum *poeticae descriptionis* lectio ex codd. Modianis est, quam etiam Sichardus expressit, pro eo, quod vulgo *historica - - poetica descriptionum necessitas* legebatur.

stolis

9 stolis petitur. Fas est & carmine remitti, non dico continuo & longo (id enim perfici nisi in otio non potest) sed hoc arguto & breui, quod apte quantaslibet occupationes curasque distin-
10 guit. Lusus vocantur; sed hi lusus non minorem interdum gloriam, quam seria consequuntur: atque adeo (Cur enim te ad versus non versibus adhorter?)

11 *Vt laus est cerae, mollis cedensque sequatur*
Si doctos digitos, iussaque fiat opus;
Et nunc informet Martem, castamque Mineruam,
Nunc Venerem effingat, nunc Veneris puerum;
Vtque sacri fontes non sola incendia sistunt,
Saepe etiam flores vernaque prata iuuant;
Sic hominum ingenium flecti ducique per artes
Non rigidas docta mobilitate decet.

12 Itaque summi oratores, summi etiam viri sic se aut exercebant aut delectabant, immo delecta-
13 bant exercebantque. Nam mirum est, vt his

---

9. *arguto & breui*) epigrammatico. *Cas.*

10) *Lusus vocantur*) Martialis lib. VII. epigr. 7.
Fas audire iocos, leuioraque carmina, Caesar,
Sic tibi: si lusus ipse triumphus amat.

11. *cedensque sequatur*] Sic loquuntur scriptores de tractabili materia. Statius Achill. I. v. 332.
Qualiter artificis victurae pollice cerae
Accipiunt formas, ignemque manumque sequuntur.
Sequi enim obedire est & facile tractari, vt *mares sequaces* apud Lucret. III. v. 316. sunt, qui naturam sequuntur. *iussaque*] De manu factis eleganter hoc verbum adhibetur. Columella lib. X v. 48.
Tum iussi veniant decliui tramite riui.

opuscu-

opusculis animus intendatur remittaturque. Recipiunt enim amores, odia, iras, misericordiam, vrbanitatem, omnia denique, quae in vita, atque etiam in foro cauſſisque verſantur. Ineſt his 14
quoque eadem, quae aliis carminibus, vtilitas, quod metri neceſſitate deuincti, ſoluta oratione laetamur, & quod facilius eſſe comparatio oſtendit, libentius ſcribimus. Habes plura etiam 15
fortaſſe, quam requirebas; vnum tamen omiſi. Non enim dixi, quae legenda arbitrarer: quamquam dixi, quum dicerem, quae ſcribenda. Tu memineris, ſui cuiusque generis auctores diligenter eligere. (Aiunt enim, MVLTVM LEGENDVM ESSE, NON MVLTA.) Qui ſint 16
hi, adeo notum prouocatumque eſt, vt demonſtratione non egeant: & alioqui tam immodice epiſtola me extendi, vt dum tibi, quemadmodum ſtudere debeas, ſuadeo, ſtudendi tempus abſtulerim. Quin ergo pugillares reſumis, & aliquid ex his, vel iſtud ipſum, quod coeperas, ſcribis. Vale.

---

13. *quae in vita*) Ita Aldus: ſed Sich. *quae ad vitam pertinent*, quod gloſſam ſapit. Eſt enim *in vita*, circa viuendi modum.

in foro cauſſisque) vt illud Martialis epigramma 19. libri VI. de tribus capellis. *Catan.*

14. *libentius ſcribimus*) proſam ſcilicet & ſolutam orationem.

15. *quamquam dixi*) quamquam etiam illud quodammodo dixi.

16 *prouocatumque*] iudicatum, examinatum, cognitum. *Catan.* Vel, apertum & quaſi foras vocatum atque elicitum. *Buchn.*

epiſtola me extendi) Sic plerisque libris: Sich. *epiſtolam extendi.*

X. C.

X.

C. PLINIVS MACRINO SVO S.

Euentum actionis Bithynorum contra Varenum narrat.

Quia ipse, quum prima cognoui, iungere extrema, quasi auulsa, cupio; te quoque existimo velle de Vareno & Bithynis reliqua cognoscere. 2 Acta caussa hinc a Polyaeno, inde a Magio. Finitis actionibus Caesar, Neutra, inquit, pars de mora queretur. Erit mihi curae, explorare 3 prouinciae voluntatem. Multum interim Varenus tulit. Etenim quam dubium est, an merito accusetur, qui an omnino accusetur, incertum est? Supereſt, ne rursus prouinciae, quod damnasse dicitur, placeat, agatque poenitentiam poenitentiae suae. Vale.

Epist. X. 1. *quum prima*) Prima caussae Varenianae narrantur lib. V. epist. 20. & lib. VI. epist. 13. ac lib. VII. epist. 6.

2. *a Polyaeno, inde a Magio*) De his epist. 6. n. 6. huius libri.

prouinciae voluntatem) an decreuisset, vt Vareni accusationem legati persequerentur.

3. *quod damnasse dicitur*) improbasse & remisisse, accusationem scilicet Vareni.

poenitentiam poenitentiae) Poenituerat prouinciales, se accusasse Varenum: nunc veretur Plinius, ne mutent consilium, ac nolint poenituisse. Curtius ad eumdem modum lib. X. cap. 7. n. 12. *Poenitebat modo consilii, modo poenitentiae ipsius.*

XI.

C. PLINIVS FABATO SVO S.

Prosocero miranti, cur venditionem hereditatis, a liberto infra pretii modulum factam, non retractaret, respondet, quibus caussis id ratum haberet.

Miraris, quod Hermes libertus meus hereditarios agros, quos ego iusseram proscribi, non exspectata auctione, pro meo quincunce ex septingentis millibus Corelliae addixerit. Adiicis, posse eos nongentis millibus venire, ac tanto magis quaeris, an, quod gessit, ratum seruem. Ego vero seruo: quibus ex caussis accipe: cupio 2
enim & tibi probatum, & coheredibus meis excusatum esse, quod me ab illis, majore officio iubente, secerno. Corelliam cum summa reuerentia diligo; primum, vt sororem Corellii Rufi, 3
cuius mihi memoria sacrosancta est; deinde, vt matri meae familiarissimam. Sunt mihi & cum 4
marito eius, Minutio Fusco, optimo viro, vetera iura: fuerunt & cum filio maxima: adeo qui-

---

Epist. XI. 1. *proscribi*) venales fieri. Proscriptio enim indicium vendibilis rei.

auctione) publica venditione.

quincunce ex septingentis) Quincunx, quinque assis partes, siue quinque duodecimae. Quod si ergo as, seu tota hereditas, septingentis millibus sestertium aestimata fuit, quincunci relinquuntur sestertium 291667, hoc est 9114 vncialium nummum cum dimidio.

gessit) Sich. ita: alii *gesserit*.

3. *Corellii Rufi*) Supra lib. I. epist. 12. & lib. IV. ep. 17. num. 4.

4. *vetera iura*) vincula amicitiae, *Catan.*

dem,

5 dem, vt praetore me ludis meis praefederit. Haec, quum proxime isthic fui, indicauit mihi, cupere se aliquid circa Larium nostrum possidere: egō illi ex praediis meis, quod vellet, & quanti vellet, obtuli, exceptis paternis maternisque: his enim
6 cedere ne Corelliae quidem possum. Igitur quum obuenisset mihi hereditas, in qua praedia ista, scripsi ei venalia futura. Has epistolas Hermes (tulit,) exigentique, vt statim portionem meam sibi addiceret, paruit. Vides, quam ratum habere debeam, quod libertus meus meis
7 moribus gessit? Supereſt, vt coheredes aequo animo ferant, separatim me vendidisse, quod mihi licuit omnino vendere. Nec vero coguntur imitari meum exemplum. Non enim illis
8 eadem cum Corellia iura sunt. Possunt ergo intueri vtilitatem suam, pro qua mihi fuit amicitia. Vale.

---

4. *ludis meis praefederit*) Circensibus forte, aut Megalensibus, quos praetoris erat edere, Iuuenal. XI. v. 191. & Martial. X. epigr. 41. Poterant ipsi magistratus *praesidere* (quod moderari & dirigere est) aut amicis id muneris delegare, saltem cum iisdem communicare. Plures enim aliquando certaminis magistros siue agonothetas fuisse videtur ex Suetonii Nerone c. 12. constare.

6. *Hermes tulit*) In Aldi officina illud *tulit* natum, quam abest a Palatino & vett. edd. *Grut.*

meis moribus) tacito meo consensu. Infra lib. X. ep. 20. *quum omnia facta dictaque mea probare sanctissimis moribus tuis cupiam.* Et Iuuenalis XIII. v. 204.

Reddidit ergo metu, non moribus.

8. *intueri vtilitatem suam*) hereditatem totam nongentis millibus aestimando.

XII.

C. PLINIVS MINVTIO SVO. S.

Libellum postulatum sero mittens, per iocum se excusat, aliosque iocos inspergit.

Libellum formatum a me, sicut exegeras, quo amicus tuus, immo noster, (quid enim non commune nobis?) si res poscceret, vteretur, misi tibi ideo tardius, ne tempus emendandi eum, id est, disperdendi, haberes. Habebis tamen, an 2
emendandi, nescio, vtique disperdendi (ὑμεῖς γὰρ κακόζηλοι) optima quaeque, si detraxeris. Quod si feceris, boni consulam. Postea enim 3
illis ex aliqua occasione, vt meis, vtar, & beneficio fastidii tui ipse laudabor, vt in eo quod adnotatum inuenies, & suprascripto, aliter explicitum. Nam, quum suspicarer, futurum, vt tibi tumidius 4
videretur, quod est sonantius & elatius; non alienum existimaui, ne te torqueres, addere statim pressius quiddam & exilius, vel potius humilius & peius, vestro tamen iudicio rectius. Cur enim 5
non vsquequaque tenuitatem vestram insequar & exagitem? Haec, vt inter istas occupationes

---

Epist. XII. 1. *ne tempus emendandi*) Locum hunc Gruterus tum ex vestigiis Palatini, tum ex coniectura, sic putat restituendum: ne tempus, emendandi nescio, vtique disperdendi haberes: habebis tamen (ὑμεῖς γὰρ &c.

2. κακόζηλοι) inepti imitatores, corrupti adfectatores.

3. *fastidii*) quo nonnulla, quae probata tibi non videbantur, ex libello expungebas. *Herz.*

laudabor, vt in eo quod) Gronouius suspicatur: *Laudabor. Vnumquodque adnotatum* &c. *Cellar.* Posse tamen & sic explicari; vt sc. *laudabor in eo, quod adnotatum* &c. *Herz.*

aliquid aliquando rideres: illud serio. Vide,
6 vt mihi viaticum reddas, quod impendi, data opera cursore dimisso. Nae tu, quum hoc legeris, non partes libelli, sed totum libellum improbabis, negabisque vllius pretii esse, cuius pretium reposceris. Vale.

XIII.

C. PLINIVS FEROCI SVO S.

Ferocis elegantem epistolam laudat.

Eadem epistola & studere te & non studere significat. Aenigmata loquor. Ita plane,
2 donec distinctius, quod sentio, enuntiem. Negat enim te studere, sed est tam polita, quae nisi a studente, non potest scribi: aut es tu super omnes beatus, si talia per desidiam & otium perficis. Vale.

XIV.

C. PLINIVS CORELLIAE SVAE. S.

Negat, se maius pretium pro agris accepturum, quam quod libertus ex septingentis constituerat.

Tu quidem honestissime, quod tam impense & rogas & exigis, vt accipi iubeam a te

---

6. *Nae tu*] nouus ex eo: viaticum a Minutio respondebat. *Herz.*

reposceris) i. e. ad cuius pretium soluendum tu reposceris. Vid. Voss. Aristarch. lib. VII. c. 41. *Herz.*

Epist. XIII. 2. *tam polita, quae non potest*) Raro exemplo Indicatiuus Relatiuo, caussam significanti, subiungitur. Hoc enim Pronomen, & *Vt* finale, idem significant, ac permutari possunt. Obseruauit id ad h. l. Iac. Thomasius, vir vt in omnibus, ita in his quoque minutiis accuratus.

Epist. XIV. 1. *tam impense rogas & exigis*) Corellia, pre-

pretium agrorum non ex septingentis millibus, qua ti illos a liberto meo, sed ex nongentis, quanti a publicanis partem vicesimam emisti. Invicem ego & rogo & exigo, vt non solum quid te, verum etiam quid me deceat, adspicias, patiarisque, me in hoc vno tibi eodem animo repugnare, quo in omnibus obsequi soleo. Vale.

---

honestissima femina, cum Secundo liberalitate certauit, vt tantum pro agris hereditariis pretium acciperet, quanto publicani illos, non quanti ipse aut libertus, sensuum eius gnarus, aestimauerat.

septingentis, nongentis) Relege epist. II. n. 1. huius libri.

a publicanis partem vicesimam) Ex alienis hereditatibus vicesima pars fisco vindicabatur: quam exigebant publicani. Ipse enim noster sui interpres est Panegyr. 37. n. 1. quem videas licet. Auctor autem & inuentor huius vectigalis Augustus Caesar fuit. Dio Cassius lib. LV. p. 566. Τὴν εἰκοστὴν τῶν τε κλήρων καὶ τῶν δωρεῶν, ἃς ἂν οἱ τελευτῶντές τισι (πλὴν τῶν πάνυ συγγενῶν ἢ καὶ πενήτων) καταλείπωσι, κατεστήσατο, *Vicesimam*, inquit, *hereditatum & donorum, quae morituri quibusdam, praeter proxime cognatos & pauperes, relinquunt, constituit*, scilicet vt in aerarium militare inferretur. Capitolinus in Marco c. 11. Leges addidit de vicesima hereditatum. Vt vero cetera vectigalia publicani redemerunt, quod vel ex Ciceronis Manliana notissimum est; ita etiam vicesimam hereditatum redemisse ex hac epistola videtur constare. Qui his exigentibus praefectus erat, aut vicesimae curam apud aerarium agebat. *Procurator XX hereditatium*, item *Promagister XX hereditatium* dicebatur. Vetus Inscriptio apud Gruter. p. 437. n. 7. PROC. XX HERED. & aliae p. 426. n. 5. & p. 454. n. 8. PROMAGISTRO XX HEREDITATIVM.

XV.

C. PLINIVS SATVRNINO SVO S.

Quid agat, exponit, & rem publicam ac amicorum curare honestissimum esse docet.

Requiris, quid agam? Quo nosti, distringor officio: amicis deseruio: studeo interdum, quod non interdum, sed solum semperque facere, non audeo dicere rectius, certe beatius erat. 2 Te alia omnia, quam quae velis, agere, moleste ferrem, nisi ea, quae agis, essent honestissima. Nam & reipublicae seruire negotiis, & disceptare 3 inter amicos, laude dignissimum est. Prisci nostri contubernium iucundum tibi futurum sciebam. Noueram simplicitatem eius, noueram comitatem: eumdem esse, quod minus noram, gratissimum experior, quum tam iucunde officiorum nostrorum meminisse eum scribas. Vale.

XVI.

C. PLINIVS FABATO PROSOCERO SVO S.

Tironem se facile inducturum significat, vt ex via ad Fabatum declinet, & vindicta, quos iusserit, liberet.

Calestrium Tironem familiarissime diligo, & priuatis mihi & publicis necessitudinibus

---

Epist. XV. 1. *solum*) vnice.

2. *reipublicae seruire negotiis*) Haec Palatini scriptura est. Sich. *praeesse negotiis*: Ald. *reip. suae negotia curare.*

3. *simplicitatem*] integritatem: vt lib. III. epist. 4. extr. & lib. IV. ep. 14. n. 10.

quum tam iucunde) Gruterus ex Palatini & aliorum vestigiis restituit: vulgo *quod tam.*

Epist. XVI. 1. *necessitudinibus*) amicitiae iuribus.

impli-

implicitum. Simul militauimus, simul quaestores 2
Caesaris fuimus. Ille me in tribunatu liberorum iure praecessit; ego illum in praetura sum consequutus, quum mihi Caesar annum remisisset. Ego in villas eius saepe secessi; ille in domo

---

2. *quaestores Caesaris*) Varii generis quaestores, nec omnes pecuniarii. Quidam *quaestores principis* dicti, item *candidati principis*, qui libris principalibus (i. e. orationibus) in senatu legendis vacabant, vt Lege vn. Dig. de off. quaest. definiuntur. Tacitus XVI, 27. *Oratio principis per quaestorem eius audita est.* Vbi Lipsium interpretantem audias.

liberorum iure] Vrbe ciuili bello exhausta, Iulius Caesar πολυπαιδίας ἆθλα ἐπέθηκεν, vt Dio Cassius lib. XLIII. p. 226. tradidit: hoc est, praemia parentibus, qui multos liberos procreassent, proposuit: quae renouauit Augustus, quod idem Dio lib. LIV. p. 531. refert, & lege Papia Poppaea iam-senex confirmauit, vt apud Tacitum est Annal. lib. III. c. 25. Haec *priuilegia parentum*, quae Tacitus ibidem c. 28. vocat, eiusmodi erant, vt mariti & parentes in honoribus capiendis praecederent. *Gell. II.* 15. & honoratius in spectaculis sederent, *Sueton. Aug.* 44. etiam heredes ex testamento pro solido fierent, quum plane exciderent coelibes: orbi semissem caperent, paullo plus solitarii patres, quae latius ab Lipsio exposita vides Excessu ad Tac. III, 25. p. 79. Hinc celebre illud *ius trium liberorum*, indulgentia principum quibusdam impetratum, de quo noster lib. II. ep. 13. n. 8. agit, & lib. X. epist. 2. ac 95. Tot enim liberos oportuit superstites ei esse, qui in plenum ius vellet succedere.

annum remisisset) Magistratibus lex annalis certam aetatem definiuerat, quaesturae annum XXV vel XXVII, consulatui XLIII; qui ex Philippica V. c. 17. certissimus est: de intermediis dubitat Lipsius de Magistr. P. R. cap. 5. & praeturam ad XXX vult reductam, cui recepta opinio reclamat, quae tribunatui XXX, aedilitati

3 mea saepe comualuit. His nunc proconsul pro-
vinciam Baeticam per Ticinum est petiturus.
Spero, immo confido, facile me impetraturum,
4 vt ex itinere deflectat ad te. Si voles vindicta
liberare, quos proxime inter amicos manumi-
sisti, nihil est, quod verearis, ne sit hoc illi mo-
lestum, cui orbem terrarum circumire, non erit
5 longum mea caussa. Proinde nimiam verecun-
diam pone, teque, quid velis, consule. Illi tam
iucundum (est) quod ego, quam mihi, quod tu
iubes. Vale.

XXXVII, & praeturae XL. annum constituit. De praeturae itaque annis aliquid secundo remisit indulgentia principis.

3. *per Ticinum*) oppidum Transpadanae ad cognominem fluuium, qui haud longo inde in Padum effunditur.

4. *vindicta liberare*) Serui, inter amicos manumissi, erant quidem in libertate Latina, non autem ciuitatis Romanae, nisi publica auctoritas praetoris in vrbe, vel alius magistratus extra vrbem accessisset. Paullus Lege 18. Dig. de manumiss. vind. *Apud proconsulem, postquam vrbem egressus est, vindicta manumittere possumus.* Vindicta, hoc est, virga, quam magistratus capiti eius qui in libertatem vindicandus erat, inferebat. Vetus Scholiastes Persii ad Satyr. 5. v. 88. *Vindicta*, inquit, *virga est, qua manumittendi a praetore in capite pulsantur: ideo dicta, quod eum vindicat libertati.* Qui ergo inter amicos aut per epistolam manumissi erant, poterant per magistratum vindicta liberari a conditione Latinitatis, vt ciues Romani fierent, plenisque iuribus fruerentur, quibus Latini liberti carebant, nec testamenta condere poterant, neque ex testamento quidquam capere, sed moriebantur vt serui. Vide Caium lib. I. Instit. tit. 2. & Leg. vn. §. 10. Cod. de Latina libert. toll.

5. *iucundum est*) Illud *est* non apparet in Ald. & Sich. edd.

quod ego) sc. iubeo.

XVII.

XVII.

C. PLINIVS CELERI SVO S.

Orationes quoque perinde ac carmina, ac historias recitari posse, contra quosdam reprehensores defendit.

Sua cuique ratio recitandi; mihi, quod saepe iam dixi, vt, si quid me fugit, vt certe fugit, admonear. Quo magis miror, quod scribis 2
fuisse quosdam, qui reprehenderent, quod orationes omnino recitarem: nisi vero has solas non putant emendandas. A quibus libenter 3
requisierim, cur concedant (si concedant tamen) historiam debere recitari, quae non ostentationi, sed fidei veritatique componitur: cur tragoediam, quae non auditorium, sed scenam & actores: cur lyrica, quae non lectorem, sed chorum & lyram poscunt. At horum recitatio vsu iam 4
recepta est: non ergo culpandus ego, sed ille qui coepit? quamquam orationes quoque & nostri quidam, & Graeci lectitauerunt. Superuacuum 5
tamen est recitare, quae dixeris: etiam, si ea-

Epist. XVII. 1. *admonear*) Eadem supra l. V. epist. 13. n. 1. dixerat.

2. *orationes*) sermones forenses ac ciuiles.

nisi vero) reprehendit suam admirationem; ita tamen, vt rideat, qui dum recitationem orationum reprehendunt, significant, solas orationes non esse emendandas: quod vero absurdum. *Herz.*

4. *non ergo culpandus ego, sed ille*) Ita Sichardus, approbante Barthio: vulgo, *num ergo culpandus est ille.*

lectitauerunt) De *recitandi* more, quod caput huius epistolae est, supra dictum ad lib. I. epist. 13. n. 1. Ex hoc loco confirmes licet, praelecta ex scripto fuisse, non memoriter dictata, quae *recitabantur.*

5. *quae dixeris*) in foro, apud iudices.

etiam, si eadem) Vox adfirmantis & concedentis,

dem omnia, iisdem omnibus, si statim recites: si vero multa inseras, multa commutes; si quosdam nouos, quosdam eosdem, sed post tempus, adsumas, cur minus probabilis sit caussa recitandi
6 quae dixeris, quam edendi? Sed difficile est, vt oratio, dum recitatur, satisfaciat. Iam hoc ad laborem recitantis pertinet, non ad rationem
7 non recitandi. Nec vero ego dum recito, laudari; sed dum legor, cupio. Itaque nullum emendandi genus omitto: ac primum, quae scripsi, mecum ipse pertracto; deinde duobus aut tribus lego, mox aliis trado adnotanda; notasque eorum, si dubito, cum vno rursus aut altero pensito; nouissime pluribus recito, ac, si quid mihi credis, tunc acerrime emendo. Nam tanto diligentius, quanto sollicitius, intendo. Optime

---

etiam, quasi dicat: Est ita, concedo superuacuum esse, sed tum demum, si &c. Respondet enim his verbis obiectioni reprehendentium. *Cellar.* Et quidem tribus conditionibus: 1) si eadem omnia, 2) si iisdem omnibus, 3) si statim recites. *Herz.*

adsumas) auditores, quod supra *adhibere* dixit lib. I. ep. 5. n. 4. & lib. II. ep. 19. n. 9.

6. *Sed difficile est*) Noua obiectio alicuius reprehendentis: cui respondet, *Iam hoc* &c.

non ad rationem non recitandi) Ex hoc non euincitur, abstinendum esse recitatione, sed id tantummodo, labore opus esse recitanti ideo maiore, vt satisfaciat, si hoc ipsi propositum est.

7. *dum legor*) dum post recitationem & amicorum censuram, emendatior oratio vulgata est, & a multis legitur.

intendo, se, limam, s. censuram.

autem

autem reuerentia, pudor, metus iudicant. Idque 8
adeo sic habe. Nonne, si loquuturus es cum ali-
quo, quamlibet docto, vno, tamen minus com-
moueris, quam si cum multis vel indoctis? Non- 9
ne, quum surgis ad agendum, tum maxime tibi
ipse diffidis, tum commutata, non dico plurima,
sed omnia cupis? Vtique, si latior scena, & coro-
na diffusior. Nam illos quoque sordidos pulla-
tosque reuerenmur. Nonne, si prima quaeque 10
improbari putas debilitaris & concidis? Opinor;
quia in numero ipso est quoddam magnum col-
latumque consilium; quibusque singulis iudicii
parum, omnibus plurimum. Itaque Pomponius 11

---

8. *Idque adeo*) i. e. reuerentia pudorem & metum adeo bene iudicare, *sic* i. e. hac similitudine accipe. *Herz.*

9. *ad agendum*) ad causam agendam, orationem in foro apud iudices habendam.

si latior scena, & corona diffusior) si plures auditores circumstant. Sic *coronae* vocabulo vsus est lib. II. ep. 14. n. 6. & lib. VI. ep. 31. n. 3.

sordidos pullatosque) plebeios. Suetonius Aug. c. 40. *visa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus & clamitans, En, ait,*

Romanos rerum dominos gentemque togatam,

Vbi Casaubonum consulas.

10. *collatumque consilium*) quod ex multorum rationibus sumtum est. *Melius* enim *omnibus, quam singulis creditur*, Panegyr. 62. extr.

singulis) si plebeios singulos respicimus, parum iudicii inesse ipsis putamus: eosdem omnes si in vno coetu collectos videmus, plurimum iudicii ipsis tribuimus. *Herz.*

11 *Pomponius Secundus*) cuius vitam Plinius maior scripserat, lib. III. ep. 5. n. 3.

Secundus (hic scriptor tragoediarum) si quid forte familiarior amicus tollendum, ipse retinendum arbitraretur, dicere solebat, AD POPVLVM PROVOCO: atque ita ex populi vel silentio vel adsensu aut suam aut amici sententiam
12 sequebatur. Tantum ille populo dabat. Recte an secus, nihil ad me. Ego enim non populum aduocare, sed certos electosque soleo, quos intuear, quibus credam, quos denique & tamquam singulos obseruem, & tamquam non singulos ti-
13 meam. Nam quod M. Cicero de stilo, ego de metu sentio. Timor est emendator acerrimus. Hoc ipsum, quod nos recitaturos cogitamus, emendat: quod auditorium ingredimur, emendat: quod pallemus, horrescimus, circumspici-
14 mus, emendat. Proinde non poenitet me consuetudinis meae, quam vtilissimam experior: adeoque non deterreor sermunculis istorum, vt vltro te rogem, monstres aliquid, quod his ad-
15 dam. Nihil enim curae meae satis est. Cogito, quam sit magnum, dare aliquid in manus ho-

---

hic scriptor trag.) Illud *hic* Sich. & Thom. abiiciunt: retinent Ald. Catan. & Veenh.

11. *ad populum*) ad populi iudicium.

12. *non singulos*) maius enim quid est timere, quam obseruare. Obseruatio est erga singulos: timor vero exsurgit, quando eos, quos singulos obseruamus, in vno loco collectos videmus. *Herz.*

13. *M. Cicero de stilo*) lib. I. de Oratore cap. 33. *Stilus optimus & praestantissimus dicendi effector ac magister.*

15. *dare aliquid in manus hominum*) librum edere & publici iuris facere, vt homines in manus sumant, legant, & iudicent de illo libere.

minum:

minum: nec persuadere mihi possum, non, & cum multis, & saepe tractandum, quod placere & semper & omnibus cupias. Vale.

XVIII.

C. PLINIVS CANINIO SVO S.

Caninio rogatus suadet, vt quam Comensibus in epulum pecuniam promiserat, ita disponat, vt ipse suam in alimenta ingenuorum.

Deliberas mecum, quemadmodum pecunia, quam municipibus nostris in epulum obtulisti, post te quoque salua sit. Honesta consultatio, non expedita sententia. Numeres reipublicae summam? Verendum est, ne dilabatur. Des agros? vt publici, negligentur. Equidem 2
nihil commodius inuenio, quam quod ipse feci. Nam pro quingentis millibus nummum, quae in alimenta ingenuorum promiseram, agrum ex meis, longe pluris, actori publico mancipaui:

Epist. XVIII. 1. *municipibus nostris*) Comensibus. Municipes enim fuisse nostrum & Caninium, ex lib. I. epist. 3. ineunte liquet.

in epulum) in annuum sumtum constitui publici.

Numeres) proponit ipsi varia consilia, in quibus tamen simul difficultates opponit. *Herz.*

2. *alimenta ingenuorum*) de qua re lib. I. ep. 8. n. 10.

actori publico mancipaui) imaginaria venditione reipublicae donaui, vt possem vectigalem recipere, quo vectigal in alimenta puerorum perpetuo solueretur. *Mancipare* est mancupio dare, vendere, saltem alienare: & *actor publicus*, qui res rationesque reipublicae administrabat: pro quo male quidam *exactori* apud nostrum legunt. Nam & Tacitus Annal. lib. II. c. 30. *mancipari singulos actori publico iubet*, vbi Lipsium adisse omnino pretium erit.

eumdem vectigali impositio recepi, tricena millia
3 annua daturus. Per hoc enim & reipublicae
sors in tuto, nec reditus incertus, & ager ipse pro-
pter id, quod vectigali large supercurrit, semper
4 dominum, a quo exerceatur, inveniet. Nec
ignoro, me plus aliquanto, quam donasse videor,
erogauisse, quum pulcerrimi agri pretium ne-
5 cessitas vectigalis infregerit. Sed oportet priua-
tis vtilitatibus publicas, mortalibus aeternas an-
teferre; multoque diligentius muneri suo con-
sulere, quam facultatibus. Vale.

XIX.

C. PLINIVS PRISCO SVO S.

*Fanniam, cuius valetudinem dolenter fert, meritis lau-
dibus exornat.*

Angit me Fanniae valetudo. Contraxit hanc
dum adsidet Iuniae virgini Vestali, sponte
primum, (est enim adfinis) deinde etiam ex au-
2 ctoritate pontificum. Nam virgines, quum vi
morbi atrio Vestae coguntur excedere, matro-
narum curae custodiaeque mandantur. Quo

---

3. *vectigali large supercurrit*] longe plus fructuum fert, quam pro vectigali soluitur.

Ep. XIX. 1. *Fanniae*] De hac repete, quae l. III. ep. 11. n. 3. & ep. 16. n. 1. dicta sunt: adde dicenda lib. IX. ep. 13. n. 2.

pontificum) quorum erat tum aliis omnibus sacris, tum maxime Vestalibus prospicere. Vide lib. IV. ep. 11. n. 6. & quae mox ex Gellio dicemus.

2. *atrio Vestae*) domo Vestalium, templo huius deae coniuncta. Gellius l. c. 12. *Virgo Vestalis, simul est capta atque in atrium Vestae deducta, & pontificibus tradita.*

mune-

munere Fannia dum sedulo fungitur, hoc discri-
mine implicita est. Insident febres, tussis increscit, 3
summa macies, summa defectio: animus tantum & spiritus viget. Heluidio marito, Thrasea patre dignissimus, reliqua labuntur, neque non metu tantum, verum etiam dolore conficiunt. Doleo enim, maximam feminam eripi 4
oculis ciuitatis, nescio an aliquid simile visuris. Quae castitas illius? quae sanctitas? quanta grauitas? quanta constantia? bis maritum sequuta in exsilium est, tertio ipsa propter maritum relegata. Nam, quum Senecio reus esset, quod de 5
vita Heluidii libros composuisset, rogatum que se a Fannia in defensione dixisset, quaerente minaciter Metio Caro, an rogasset, respondit; Rogauit: an commentarios scripturo dedisset; De-

3. *Insident febres, tussis increscit*) Aldina haec lectio: Palatini, *insidens febris, tussis increscens*.

dignissimus] ex Gruteri emendatione. Vulgo *dignissima*.

4. *maximam feminam*] Sic Aldus: at Sich. *feminam maximam*: & Boxh. *Doleo enim maxime, feminam*.

bis maritum sequuta in exsilium) Heluidius Priscus, maritus Fanniae, Italia pulsus a Nerone, *Tacit.* lib XVI. c. 33. restitutus a Galba: iterum eiectus ab Vespasiano, & deinde interemtus. *Sueton.* 5.

5. *Senecio*) de quo lib. I. ep. 5. n. 3. & de damnatione eius Tacit. Agr. 2.

commentarios) quos ipse Heluidius de se & suis rebus, memoriae caussa, rudi stilo consignauerat. Ex commentariis deinceps historiae elaborantur, & accuratae laudationes.

di: an sciente matre; Nesciente. Postremo nullam vocem, cedentem periculo, emisit.
6 Quin etiam illos ipsos libros, quamquam ex necessitate & metu temporum abolitos, SC. publicatis bonis seruauit, habuit, tulitque in exsilium,
7 exfilii causſam. Eadem quam iucunda, quam comis, quam denique (quod paucis datum est) non minus amabilis, quam veneranda? Erit sane, quam postea vxoribus nostris ostentare possimus: erit, a qua viri quoque fortitudinis exempla sumamus, quam sic cernentes audientesque
8 miramur, vt illas, quae leguntur. Ac mihi domus ipsa nutare, conuulsaque sedibus suis ruitura supra videtur, licet adhuc posteros habeat. Quantis enim virtutibus quantisque factis adsequentur, vt haec non nouissima occiderit?
9 Me quidem illud etiam adfligit & torquet, quod matrem eius, illam (nihil possum illustrius dicere) tantae feminae matrem, rursus videor amittere, quam haec, vt reddit ac refert nobis, sic au-

---

an sciente matre) Arria iuniore, Paeti Thraseae vidua. Inspice lib. IX. epist. 13. n. 3.

6. *illos ipsos libros*) de virtutibus mariti sui ab Herennio Senecione compositos.

abolitos) publice in comitio exustos. *Tacit. Agr.* 2.

7. *vt illas, quae leguntur*] vt heroidas feminas, a poetis & historicis laudatas.

8. *nouissima occiderit*) vltima suae domus seu familiae exstincta sit, tantis virtutibus conspicua. Habuit quidem sui similes in maioribus, matre & auia, Arria Thraseae, & maiore Arria Caecinae Paeti: veretur autem noster, vt posteri adsequantur magnitudinem virtutis.

feret

feret secum, meque & nouo pariter & resciſſo vulnere adficiet. Vtramque colui, vtramque dilexi: vtram magis, nescio; nec discerni volebant. Habuerunt officia mea in secundis: habuerunt in aduersis. Ego solatium relegatarum, ego vltor reuersarum: non feci tamen paria, atque eo magis hanc cupio seruari, vt mihi soluendi tempora superſint. In his eram curis, quum scriberem ad te; quas si deus aliquis in gaudium verterit, de metu non querar. Vale.

XX.

C. PLINIVS TACITO SVO S.

Taciti librum, a se notatum, remittit; in suo libro diem exspectat, & amicitia illius, studiorumque ac famae societate delectatur.

Librum tuum legi, &, quam diligentiſſime potui, adnotaui, quae commutanda, quae eximenda arbitrarer. Nam & ego verum dicere adsueui, & tu libenter audire. Neque enim vlli patientius reprehenduntur, quam qui maxime laudari merentur. Nunc a te librum meum cum adnotationibus tuis exspecto. O iucundas, o pulcras vices! Quam me delectat, quod, si qua

---

10. *relegatarum*) lib. III. epist. 11. n. 3.

vltor reuersarum) composito libro de Heluidii iunioris vltione, & actione in Publicium Certum. De vtroque lib. IX. epist. 13.

non feci tamen paria) beneficiis vtriusque seminae earumque maritorum. Inde est, quod mox *soluendi* & repensandi *tempora* optat.

Epist. XX. 1. *commutanda*) aliter dicenda.

eximenda) delenda, tollenda.

posteris

posteris cura nostri, vsquequaque narrabitur,
3 qua concordia, simplicitate, fide vixerimus! Erit rarum & insigne, duos homines, aetate propemodum aequales, non nullius in litteris nominis (cogor enim de te quoque parcius dicere, quia de me simul dico) alterum alterius studia fouisse.
4 Equidem adolescentulus, quum iam tu fama gloriaque floreres, te sequi, tibi longo, sed proximus, interuallo & esse & haberi concupiscebam. Erant multa clarissima ingenia: sed tu mihi (ita similitudo naturae ferebat) maxime imitabilis,
5 maxime imitandus videbaris. Quo magis gaudeo, quod, si quis de studiis sermo, vna nominamur; quod de te loquentibus, statim occurro. Nec desunt, qui vtrique nostrum praeferantur.
6 Sed nihil interest mea, quo loco iungimur. Nam

---

2. *cura nostri, vsquequaque*) si nos & nostros libros posteri curabunt, in omni loco & tempore narrabitur &c.

3. *aetate propemodum*] Sic Palat. codex, & vett. edd. & Sichardina 1. Aldus *dignitate* interposuit.

4. *longo, sed proximus, interuallo*) Virgilii verba sunt Aeneid. V. v. 320. *Proximus* imitatione tui, licet me tunc clariores alii essent & fama tibi propiores.

5. *vna nominamur*] Exemplum cape ex lib. IX. epist. 23. n. 3.

qui vtrique nostrum) Palatinum & primas edd. cum Aldina sequuti sumus: Sich & aliae, *qui vni vt vtrique*. Neutrum Grutero placet, cui id dici videtur, esse, qui Tacitum Plinio, & contra, qui Plinium Tacito praeferrent: pro quo Gronouius scribendum censet, *qui vtrum vtri nostrum praeferant*, sic sensum constare ratus, quem recte Gruterus deprehenderit.

mihi

mihi primus, quia tibi proximus: quin etiam in testamentis debes adnotasse, nisi quis forte alterutri nostrum amicissimus, eadem legata, & quidem pariter, accipimus. Quae omnia huc spectant, vt inuicem ardentius diligamus, cum tot vinculis nos studia, mores, fama, suprema denique hominum iudicia constringant. Vale. 7

XXI.

C. PLINIVS CORNVTO SVO S.

Consilio de curandis oculis se pariturum scribit, & pro gallina iocabundus gratias agit.

Pareo, collega carissime, & infirmitati oculorum, vt iubes, consulo. Nam & huc, tecto vehiculo vndique inclusus, quasi in cubiculo, perueni, & non stilo modo, verum etiam lectionibus difficulter, sed abstineo, solisque auribus studeo. Cubicula obductis velis opaca, nec tamen obscura, facio. Cryptoporticus quoque, adopertis inferioribus fenestris, tantum vmbrae, quantum luminis, habet. Sic paullatim lucem ferre condisco. Balineum adsumo, quia prodest: 2 3

---

6. *mihi primus, quia tibi proximus*] Hoc est: Eo ipso me omnibus aliis praelatum puto, qui secundus a te ponor. *Gronou.*

7. *suprema hominum iudicia*) testamenta.

Epist. XXI. 1. *collega*) in praefectura aerarii & in con- 3. lib. V. epist. 15. n. 5.

tecto vehiculo] Quo genere primum vsus est Claudius Caesar, Dione teste l. LX. sub init. qui διφρον κυτασειγον vocat. Add. Mercurial. Gymn. art. l. III. c. 10

difficulter) i. e. quidem, sed tamen abstineo. *Herz.*

solisque auribus) anagnostas sc. audiendo. *Herz.*

3. *Balineum adsumo*] Corn. Celsus l. VI. c. 6. *Curari.*

vinum,

vinum, quia non nocet; parcissime tamen. Ita
4 adsueui, & nunc custos adest. Gallinam, vt a te
missam, libenter accepi; quam satis acribus oculis, quamquam adhuc lippus, pinguissimam vidi. Vale.

XXII.

C. PLINIVS FALCONI SVO S.

Aperte commendat, cui non nominato tribunatum impetrauerat.

Minus miraberis, me tam instanter petisse, vt
in amicum meum conferres tribunatum, quum scieris, quis ille qualisque. Possum autem iam tibi & nomen indicare, & describere ipsum,
2 postquam polliceris. Est Cornelius Minutianus, ornamentum regionis meae, seu dignitate, seu moribus. Natus splendide, abundat facultatibus, amat studia, vt solent pauperes. Idem

---

oculos balneo, fotu, vino, vetustissimus auctor Hippocrates memoriae prodidit.

& *nunc custos adest*] vel vxor, vel medicus. *Barth.*

Epist. XXII. 1. *instanter petisse*) forte coram, qui nulla eius rei epistola supereſt. *Catan.*

tribunatum) honestiorem illum militiae gradum.

2. *Cornel. Minutianus*) An idem, qui lib. I. ep. 14. n. 3. laudatur, vide ibi in notatis.

regionis meae) Transpadanae, & quidem Brixiensis Catanaeo, cui idem est, qui lib. I. epist. 14. Minutius Acilianus nominatus fuerat.

vt solent pauperes] quorum studium ardentius est, quam ditiorum, quos scite propterea Iuuenalis exagitat Satyr. VIII. v. 40. seqq. Dicit ergo; quamuis opibus abundat, nec tamen ditiorum more studia tractat frigide, sed, vt pauperes solent, ardentissime,

rectis-

rectissimus iudex, fortissimus aduocatus, fidelissimus amicus. Accepisse te beneficium credes, 3
quum propius inspexeris hominem, omnibus honoribus, omnibus titulis (nihil volo elatius de modestissimo viro dicere) parem. Vale.

XXIII.

C. PLINIVS FABATO PROSOCERO SVO S.

Prosocerum monet, vt domi proconsulem exspectet, nec obuiam ei procurrat.

Gaudeo quidem esse te tam fortem, vt Mediolani occurrere Tironi possis: sed, vt perseueres esse tam fortis, rogo, ne tibi contra rationem aetatis tantum laboris iniungas. Quinimmo denuntio, vt illum & domi, & intra domum, atque etiam intra cubiculi limen, exspectes. Etenim quum a me vt frater diligatur, non 2
debet ab eo, quem ego parentis loco obseruo, exigere officium, quod parenti suo remisisset. Vale.

Epist. XXIII. 1. *tam fortem*) tam firma valetudine. Vide lib. IV. ep. 1. extr. & lib. VI. epist. 4. n. 3.

Tironi) Calestrio Tironi, proconsuli Baeticae, cuius iter in prouinciam supra ep. 16. huius libri praesignificatum fuit.

2. *vt frater*) quum Tiro vt frater a me diligatur, non debet a Te, quem ego parentis loco obseruo, exigere officium (vt scil. ipsi occurras) quod ipse Tiro remisisset suo parenti. *Herz.*

XXIV.

C. PLINIVS GEMINIO SVO S.

Numidiae mortem nuntiat, & ex heredibus nepotem, eiusque educationem laudat.

Numidia Quadratilla paullo minus octogesimo aetatis anno deceſſit, vsque ad nouiſſimam valetudinem viridis, atque etiam vltra matronalem modum compacto corpore & ro-
2 buſto. Deceſſit honeſtiſſimo teſtamento. Reliquit heredes, ex beſſe nepotem, ex tertia parte neptem. Neptem parum noui: nepotem familiariſſime diligo; adoleſcentem ſingularem, nec
3 iis tantum, quos ſanguine attingit, inter propinquos amandum. Ac primum, conſpicuus forma, omnes ſermones malignorum & puer & iuuenis euaſit: intra quartum & viceſimum annum maritus, &, ſi deus admiſſet, pater. Vixit in contubernio auiae delicatae ſeueriſſime, & tamen
4 obſequentiſſime. Habebat illa pantomimos, fouebatque effuſius, quam principi feminae conueniret. Hos Quadratus non in theatro, non
5 domi ſpectabat; nec illa exigebat. Audii ipſam,

Epiſt. XXIV. 1 *viridis*) vegeta, viribus valens. Virgilius Acr. VI v. 304.

Iam ſenior; ſed cruda deo viridisque ſenectus.

2. *ex beſſe*) ex duabus tertiis. *Bes* enim Feſto eſt *bis triens.*

nepotem) Numidium Quadratum, laudatum lib. VI. epiſt. 11.

3. *ſermones malignorum*) qui ex forma impudicos mores ſuſpicabantur.

auiae delicatae) ludis & deliciis deditae, vt ipſa noſtro n. 5. confeſſa fuit.

quum

quum mihi commendaret nepotis sui studia, solere se, vt feminam in illo otio sexus, laxare animum lusu calculorum, solere spectare pantomimos suos; sed quum factura esset alterutrum, semper se nepoti suo praecepisse, abiret, studeretque: quod mihi non amore eius magis facere, quam reuerentia videbatur. Miraberis, & ego miratus sum. Proximis sacerdotalibus ludis, 6
productis in commissione pantomimis, quum

---

5 *lusu calculorum*) latrunculorum, seu vt barbare vocant, scachiorum, quod Seneca dixit *latrunculis ludere* ep. 106. extr. & de Tranquill. c. 14. Ouidius de Arte am. lib. III. v. 357.

Cantaque non stulte latronum proelia ludat:
Vnus cum gemino calculus hoste perit.

Plura de hoc ludicri genere Salmasius in Vopisci Proculum.

pantomimos) qui omnia gestu poterant & corporis motu exprimere. De origine illorum idem Salmas. in Vopisci Carinum c. 19.

quam reuerentia) Nam etiam Iuuenale monitore Satyr. XIV. v. 47. *Maxima debetur puero reuerentia*, quam paullo ante versibus notissimis declarauerat, *Nil dictu foedum* &c.

6. *sacerdotalibus ludis*) Suetonius Aug. c. 44. *pontificiales ludos* memorat, haud dubie ab editoribus ita appellatos. Adde Guther. de Iure Pontific. III, 20.

commissione) certamine. *Committere* enim est duos pluresue in certamen coniicere; quod non solum de athletis, sed de aliis etiam artificibus, scenicis praesertim, dicitur. Suetonius Aug. c. 45. *pugiles Latinos committere cum Graecis solebat.* Hinc nomen *commissionis.* Ibidem c. 43. *commissione ludorum:* & c. 89. extr. *ne paterentur nomen suum commissionibus obsolefieri*, vbi Casaubonus & Torrentius consulantur.

simul

simul theatro ego & Quadratus egrederemur, ait mihi; Scis, me hodie primum vidisse saltantem
7 auiae meae libertum? Hoc nepos. At, hercule, alienissimi homines in honorem Quadratillae (pudet me dixisse honorem) per adulationis officium, in theatrum cursitabant, exsultabant, plaudebant, mirabantur: ac deinde singulos gestus dominae cum canticis reddebant; qui nunc exiguissima legata, theatralis operae corollarium, accipient ab herede, qui non spe-
8 ctabat. Quorsum haec? quia soles, si quid incidit noui, non inuitus audire: deinde, quia iucundum est mihi, quod ceperim gaudium, scribendo retractare. Gaudeo enim pietate defunctae, honore optimi iuuenis: laetor etiam, quod domus aliquando C. Cassii huius, qui Cassianae scholae princeps & parens fuit, seruiet do-

---

7. *per adulationis officium*) Grutero videtur tollendum *per*, & parenthesis vltra *officium* proferenda.

corollarium) praemium ordinario & legitimo superadditum. Suetonius Aug. c. 45. *Corollaria & praemia alienis quoque ludis de suo offerebat.* Haec Cicero Verrina Frumentar. c. 79. *corollaria scenicorum* dixit.

8. *Quorsum haec?*) Grut. ex MS. Neusteter. pro vulgato *Haec scripsi.* Sich. *Quorsum scribebam haec?* verbo inserto. Sed nec Palat. *scripsi* agnoscit.

Cassianae scholae) Sub Nerone C. Cassius Longinus floruit, Syriae praefectus, *ceteros legum peritia praeminens*, Tacit. XII. c. 12: a quo *Cassiani* dicti, qui eius placita sequebantur, quem admodum *Proculeiani*, qui Proculi, sub idem tempus praecipui Iuris doctrinam tuebantur. Lege 2. fin. Dig. de Orig. Iur. *Fuit & alius* (Cassius) *Longinus: sed Proculi auctoritas maior*

mino

mino non minori. Implebit enim illam Quadratus meus, vt decebit, rursusque ei pristinam dignitatem, celebritatem, gloriamque reddet, quum tantus orator inde procedet, quantus iuris ille consultus. Vale. 9

XXV.

C. PLINIVS RVFO SVO S.

Quam docti viri sub habitu pagano lateant, exemplo Terentii Iunioris docet.

Quantum eruditorum, aut modestia ipsorum, aut quies operit & subtrahit famae! At nos eos tantum dicturi aliquid aut lecturi timemus, qui studia sua proferunt; quum illi, qui tacent, hoc amplius praestent, quod maximum opus silentio reuerentur. Expertus scribo, quod scribo. Terentius Iunior, equestribus militiis, 2

---

fuit. nam etiam plurimum potuit, appellatique partim Cassiani, partim Proculeiani.

consultus) sc. fuit.

Epist. XXV. 1. *quantum eruditorum*) quot eruditi, & quam excellenter docti.

dicturi) causas acturi, quod memoriter fiebat.

lecturi) recitaturi. Haec enim recitatio peragebatur lectitando. *Epist.* 17. *n.* 4. *huius libri.*

studia sua proferunt] Conferri possunt, quae supra ad illud libri I. epist. 2. *ingenia se proferunt*, adscripsimus.

2. *equestribus militiis*) gradibus militiae, equestri ordine dignis, seu qui eius ordinis hominibus dabantur. Suetonius Claud. c. 5. *Equestres militias ita ordinauit, vt post cohortem, alam; post alam, tribunatum legionis daret.* Vide, quae ibi egregia ex Rhab. Schelii comment. ad Hygin. de Castramet I. G Graeuius, vir de bonis litteris meritissimus, adscribi curauit.

atque

atque etiam procuratione Narbonensis prouinciae integerrime functus, recepit se in agros suos, paratisque honoribus tranquillissimum otium
3 praetulit. Hunc ego, inuitatus hospitio, vt bonum patrem familiae, vt diligentem agricolam intuebar, de his loquuturus, in quibus illum versari putabam: & coeperam, quum ille me doctissimo sermone reuocauit ad studia. Quam
4 terse omnia? quam Latina? quam Graeca? Nam tantum vtraque lingua valet, vt ea magis videatur excellere, quam cum maxime loquitur. Quantum ille legit? quantum tenet? Athenis
5 viuere hominem, non in villa, putes. Quid multa? Auxit sollicitudinem meam, effecitque, vt illis, quos doctissimos noui, non minus hos seductos
6 & quasi rusticos verear. Idem suadeo tibi. Sunt enim, vt in castris, sic etiam in litteris nostris plures cultu pagano, quos cinctos & armatos, & quidem ardentissimo ingenio, diligentius scrutatus inuenies. Vale.

---

procuratione) procuratoris munere.

paratis honoribus) dignitati senatoriae & magistratibus, quo nunc aditus post tot equestres functiones patebat. *Paratus* enim praesens & obuius est, vt lib. II. ep. 17. n. 25. *obuius & paratus* coniunguntur. Plura Buchnerus congessit.

4. *quam Latina? quam Graeca?*) In Catanaei commentariis *tam Latina, quam Graeca.* Non male, si ex codice antiquo habuit.

quantum tenet) memoria, & in promtu habet.

5. *seductos*] in secessu viuentes, & remotos a celebritate hominum. *Buchn.*

6. *cultu pagano*) non militari, quia pagani & milites opponuntur lib. X. epist. 18. & alibi saepe. Hoc eleganter ad cultum litterarium transfertur.

XXVI.

XXVI.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Morbo amici admonitus, hortatur, vt tales sani perseueremus, quales nos futuros infirmi profitemur.

Nuper me cuiusdam amici languor admonuit, optimos esse nos, dum infirmi sumus. Quem enim infirmum aut auaritia aut libido sollicitat? Non amoribus seruit, non appetit honores, opes negligit, & quantulumcumque, vt relicturus, satis habet: tunc deos, tunc hominem esse se meminit: inuidet nemini, neminem miratur, neminem despicit, ac ne sermonibus quidem malignis aut attendit, aut alitur: balinea imaginatur & fontes. Haec summa curarum, summa votorum; mollemque in posterum & pinguem, si contingat euadere, hoc est, innoxiam beatamque destinat vitam. Possum ergo, quod pluribus verbis, pluribus etiam voluminibus philosophi docere conantur, ipse breuiter tibi mihique praecipere, vt tales esse sani perseueremus, quales nos futuros profitemur infirmi. Vale.

2

3

4

Epist. XXVI. 2. *quantulumcumque, vt relicturus*) contentus paruo, non auarus, quasi omnia morte relicturus.

3. *mollemque & pinguem*) Vita *mollis* & *pinguis*, quae inter balinea & fontes agitur. *Thom.* Hoc est, in alto otio, sine contentione ciuili aut forensi, ideoque *beatam* postea & *innoxiam* vocat.

XXVII.

C. PLINIVS SVRAE SVO S.

An aliquid spectra sint, ita quaerit, vt exemplis Curtii Rufi, & Athenodori philosophi, tum domesticorum suorum adfirmare videatur.

Et mihi discendi, & tibi docendi facultatem otium praebet. Igitur perquam velim scire, esse aliquid phasmata, & habere propriam figuram numenque aliquod putes, an inania & 2 vana ex metu nostro imaginem accipere. Ego vt esse credam, inprimis eo ducor, quod audio accidisse Curtio Rufo. Tenuis adhuc & obscurus obtinenti Africam comes haeserat: inclinato die spatiabatur in porticu: offertur ei mulieris figura, humana grandior pulcriorque: perterrito Africam se, futurorum praenuntiam, dixit: itu-

---

Epist. XXVII. 1. *phasmata*) Plures legunt *phantasmata*; sed Casaubonus *phasmata* commendat. Φάσμα enim veteri Glossario *mostellum* Latine vertitur, quod diminutum est ex antiquo *mostrum*, pro quo *monstrum* postea dixerunt. Hinc Plauti fabulae *Mostellariae* nomen inditum, quia tota de spectris est, quae *monstra* Latine vocantur tam in fabula illa, act. II. sc. 2. v. 74. quam in epistola nostra n. 6.

2. *Curtio Rufo*) cuius historiam etiam Tacitus persequutus est Annal. XI. c. 21.

obtinenti Africam) proconsuli Africae Propriae seu Carthaginiensis.

comes haeserat) Frequenter verbum *haerendi* legitur de comitantibus. Fabius Declamatione 330. extr. *Haerebo misera comes quotidiano labori.* Et Declamatione 332. *assiduum me haesisse lateri sciebat.* Gronou. ad Senecae epist. 19.

rum

rum eum Romam, honoresque gesturum, atque etiam cum summo imperio in eamdem prouinciam reuersurum, ibique moriturum. Facta sunt omnia. Praeterea accedenti Carthaginem, egredientique nauem, eadem figura in littore occurrisse narratur. Ipse certe implicitus morbo, futura praeteritis, aduersa secundis auguratus, spem salutis, nullo suorum desperante, proiecit. Iam illud, nonne & magis terribile, & non minus mirum est, quod exponam, vt accepi? Erat Athenis spatiosa & capax domus, sed infamis & pestilens. Per silentium noctis sonus ferri, &, si attenderes acrius, strepitus vinculorum longius primo, deinde e proximo reddebatur: mox apparebat idolon, senex macie & squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo, cruribus compedes, manibus catenas gerebat quatiebatque. Inde inhabitantibus tristes diraeque noctes per metum vigilabantur: vigiliam morbus, &, crescente

3 4 5 6

iturum eum) Gruteri consilio *eum* pro vulgari *enim* positum.

3. *implicitus morbo*) Liuius quoque lib. V. c. 31. *consulibus morbo implicitis*: & lib. VII. c. 23. *Scipione grauí morbo implicito*. C. Nepos *implicitus in morbum* dixit in Cimon. & Agesi. extremo.

futura praeteritis) quia prospera euenerant, quae mulier illa praedixerat; non dubitabat, reliquum de morte etiam euenturum esse.

5. *apparebat idolon, senex*) Barthio glossa *idolon* videtur. Si genuinum est, intelligitur simulacrum & imago, vt Philoxenus & Hesychius interpretantur.

6. *vigilabantur*) i. e. vigiliis consumebantur. Alia huius passiui exempla vid. ap. Sanct. Mineru. lib. III. c. 3. *Herz.*

formidine, mors sequebatur. Nam interdiu quoque, quamquam absceſſerat imago, memoria imaginis oculis inerrabat; longiorque cauſſis timoris timor erat. Deſerta inde & damnata ſolitudine domus, totaque illi monſtro relicta: proſcribebatur tamen, ſeu quis emere, ſeu quis
7 conducere, ignarus tanti mali, vellet. Venit Athenas philoſophus Athenodorus, legit titulum: auditoque pretio, quia ſuſpecta vilitas, percunctatus, omnia docetur, ac nihilominus, immo tanto magis, conducit: vbi coepit adueſperaſcere, iubet ſterni ſibi in prima domus parte, poſcit pugillares, ſtilum, lumen: ſuos omnes in interiora dimittit, ipſe ad ſcribendum, animum, oculos, manum intendit, ne vacua mens audita ſimulacra
8 & inanes ſibi metus fingeret. Initio, quale vbique, ſilentium noctis, deinde concuti ferrum, vincula moueri: ille non tollere oculos, non remittere ſtilum, ſed obfirmare animum, auribusque praetendere: tum crebreſcere fragor, aduen-

---

inerrabat; longiorque cauſſis) Palat. & Sich. haec, laudante Grutero: vulgo *inhaerebat*; *longiorisque cauſſa*.

proſcribebatur) proponebatur & diuulgebatur res venalis in tabula in qua admonebantur, qua die, quibus legibus condition busque addici poſſet res venalis emtori. Vid. Briſſ. antiq. ex Iur. Iuil. l. II. c 5. *Herz.*

7. *ſterni*) puta lectum, cui ſtudentes incumbebant & lucubrantes.

pugillares) ceratas tabulas, quae *cerae* n 9 vocantur.

8. *auribus praetendere*) ſcilicet animum, ne tam auribus quam animo ſonos illos perciperet, & ſic contare

tare etiam, ac iam vt in limine, iam vt intra limen audiri: respicit, videt, agnoscitque narratam sibi effigiem. Stabat innuebatque digito, similis 9
vocanti: hic contra, vt paullulum exspectaret, manu significat, rursusque ceris & stilo incumbit: illa scribentis capiti catenis insonabat: respicit rursus idem, quod prius, innuentem: nec moratus, tollit lumen, & sequitur. Ibat illa 10
lento gradu, quasi grauis vinculis: postquam deflexit in aream domus, repente dilapsa deserit comitem; desertus herbas & folia concerpta signum loco ponit. Postero die adit magistra- 11
tus, monet, vt illum locum effodi iubeant. Inueniuntur ossa inserta catenis & implicita, quae corpus aeuo terraque putrefactum nuda & exesa reliquerat vinculis: collecta publice sepeliuntur; domus postea rite conditis manibus caruit. Et 12
haec quidem adfirmantibus credo: illud adfirmare aliis possum. Est libertus mihi Marcus, non illitteratus. Cum hoc minor frater eodem

---

temneret. *Buchn.* Sic lib. IX. epist. 36. n. 2. *non oculos animo, sed animum oculis sequor*, quod est animum oculis praetendere.

9. *ceris*] ceratis tabulis, pugillaribus. Similiter l. I. ep. 6. appellat *ceras* quos modo *pugillares* dixerat.

idem quod prius) vt sequeretur Athenodorus, vocanti similis erat imago. *Herz.*

11 *publice sepeliuntur*) rite, legitime, ductis exsequiis, quod mox *rite condere* dicit.

domus rite conditis manibus caruit) Fingunt interpretes operose, quod vel nouum subaudiant, vel ex communi repetant. Non opus est. Dicit enim, manibus, postquam rite sepulti sunt, domum caruisse.

lecto quiescebat. Is visus est sibi cernere quemdam in toro residentem, admouentemque capiti suo cultros, atque etiam ex ipso vertice amputantem capillos. Vbi illuxit, ipse circa verticem tonsus, capilli iacentes reperiuntur. Exiguum
13 temporis medium, & rursus simile aliud priori fidem fecit. Puer in paedagogio mistus pluribus dormiebat; venerunt per fenestras (ita narrat) in tunicis albis duo, cubantemque detonderunt; & qua venerant, recesserunt. Hunc quoque tonsum, sparsosque circa capillos dies osten-
14 dit. Nihil notabile sequutum, nisi forte, quod non sui reus: futurus, si Domitianus, sub quo haec acciderunt, diutius vixisset. Nam in scrinio eius datus a Caro de me libellus inuentus est; ex quo coniectari potest, quia reis moris est submittere capillum, recisos meorum capillos de-

13. *Exiguum temporis medium*) sc. interuenit. Sic Virgilius Aen. I. v. 348. *quos inter medius venit furor. Herz.*

in paedagogio) Videtur locus aedium signari, in quo pueri famulantes agebant. Alibi & saepius, ipsos pueros huius generis significat, eos maxime, qui dominis in deliciis erant, vt Senecae Tranq. an. c. 1. & Vit. B. c. 7. & Sueton. Ner. c. 28: quam notionem vt huic quoque Pliniano verbo conciliet, Lipsius (ad Tacit. XV, 69.) rescribi iubet *e paedagogio.*

14. *a Caro*) Metio Caro, famosissimo delatore, lib. I. epist. 5 n. 3.

reis moris est submittere) Hoc etiam ex Gellii III, 4. cognoscimus. Caussa sordidioris cultus, moeror cum metu periculi, tum etiam spes misericordiae, squalore habitus & aliis miseriae significationibus, mouendae.

pulli,

pulsi, quod imminebat, periculi signum fuisse. Proinde rogo, eruditionem tuam intendas. Di- 15
gna res est, quam diu multumque consideres: ne ego quidem indignus, cui copiam scientiae tuae facias. Licet etiam vtramque in partem, 16
vt soles, disputes: ex altera tamen fortius, ne me suspensum incertumque dimittas, cum mihi consulendi caussa fuerit, vt dubitare desinerem. Vale.

XXVIII.

C. PLINIVS SEPTICIO SVO S.

Reprehensus a nonnullis, quod nimium amicos laudet; amore se & benignitatis officio tuetur.

Ais, quosdam apud te reprehendisse, tamquam amicos meos ex omni occasione vltra modum laudem. Agnosco crimen, amplector etiam. Quid enim honestius culpa benignitatis? Qui 2
sunt tamen isti, qui amicos meos melius norint? Sed vt norint, quid inuident mihi felicissimum errorem? Vt enim non sint tales, quales a me praedicantur, ego tamen beatus, quod mihi videntur. Igitur ad alios hanc sinistram diligen- 3
tiam conferant (nec sunt parum multi) qui carpere amicos suos iudicium vocant: mihi nunquam persuadebunt, vt meos amari a me nimium putem. Vale.

Epist. XXVIII. 1. *quosdam apud te*) Casaub. legi vult *quosdam me apud te*. Sed nec ellipsis ingrata, aut a nostri ingenio aliena est.

2. *Sed vt norint*) Concessio.

felicissimum errorem) qualis Horatio *gratissimus error* est lib. II. epist. 2 v. 140.

Vt enim) Quamuis enim.

XXIX.

C. PLINIVS MONTANO SVO S.

Pallantis liberti monumentum ridet cum indignatione.

Ridebis, deinde indignaberis, si legeris, quod
2 nisi legeris, non potes credere. Est via Tiburtina intra primum lapidem (proxime adnotaui) monimentum Pallantis, ita inscriptum; HVIC SENATVS, OB FIDEM PIETATEMQVE ERGA PATRONOS, ORNAMENTA PRAETORIA DECREVIT, ET SESTERTIVM CENTIES QVINQVAGIES, CVI
3 VS HONORE CONTENTVS FVIT. Equidem nunquam sum miratus, quae saepius a for-

---

Epist. XXIX. 1. *indignaberis, si legeris*) Ita MSS. & priscae editiones. Aldus & sequaces repetunt quaedam, *indignaberis, deinde ridebis, si* &c. sed sine ratione.

lapidem] singulos enim mille passus lapide distinguebant. Vid. Paean. lib. I. c. 4. 5. *Herz.*

2. *via Tiburtina*] via ferente Tibur, quod Latii oppidum est, Romae vicinum. Ibi intra primum lapidem, hoc est, intra mille passus ab vrbe, hoc, quod ridet, monimentum exstabat.

Pallantis) Pallas, Claudii Caesaris libertus potens atque diues, de quo plura lib. VIII. epist. 6. & Tacit. Ann. XII. c. 53. & alibi.

Ornamenta praetoria) praetextam, annulos, quibus praetorii viri vtebantur. Sed de his plura lib. VIII. epist. 6.

cuius honore) cuius sestertii centies & quinquagies. *Sestertium* enim, cum huiusce generis aduerbiis, singulare & neutrum est, non secundus casus pluralis numeri, vt bene Casaubonus ad h. l. & Gronouius de Pec. Vet. l. II. c. 3. demonstrauerunt. *Honore* autem oblationem respicit, non acceptionem quam spreuit, l. VIII. ep. 6.

tuna,

tuna, quam a iudicio proficiscerentur: maxime tamen hic me titulus admonuit, quam essent mimica & inepta, quae interdum in hoc coenum, in has sordes abiicerentur: quae denique ille furcifer & recipere ausus est, & recusare, atque etiam, vt moderationis exemplum, posteris prodere. Sed quid indignor? Ridere satius est, ne 4
se magnum aliquod adeptos putent, qui huc felicitate peruenerunt, vt rideantur. Vale.

XXX.

C. PLINIVS GENITORI SVO S.

Dolet, amici studia amisso discipulo impedita, nec suis in secessu tranquilliora esse significat, quamquam Demosthenis amicus comparauerit.

Torqueor, quod discipulum, vt scribis, optimae spei amisisti, cuius & valetudine & morte impedita studia tua quid nesciam? quum sis omnium officiorum obseruantissimus, quumque omnes, quos probas, effusissime diligas? Me huc quoque vrbana negotia persequuntur 2

---

3. *hic me titulus*) haec inscriptio. Suetonius Aug. c. 31. *Opera cuiusque manentibus titulis, restituit.*

mimica) adfectata, adulatoria atque ridicula, qualia mimorum dicta & facta solent esse. Inepte quidam *inimica.*

in hoc coenum, in has sordes) in huius generis nebulones, hoc est, seruos & libertos

Ep. XXX. 1. *quid nesciam?*) Liuineius ad Panegyr. Plin. c. 8. *quidni sciam* substituit.

2. *Me huc quoque*) Inclusa absunt ab vtraque Aldina, nec Catanaeus habet; agnoscit autem Sichardus, & recentes plerique.

(non delectant.) Sunt enim, qui me aut iudicem, aut arbitrum faciant. Accedunt querelae rusticorum, qui auribus meis post longum tempus suo iure abutuntur. Instat & necessitas agrorum locandorum perquam molesta. Adeo 4 rarum est inuenire idoneos conductores. Quibus ex caussis precario studeo: studeo tamen. Nam & scribo aliquid & lego: sed quum lego, ex comparatione sentio, quam male scribam; licet tu mihi bonum animum facias, qui libellos meos de vltione Heluidii, Orationi Demosthenis 5 κατὰ Μειδίᾳ confers: quam sane, quum com-

aut iudicem, aut arbitrum) Iudicis & arbitri non eadem ratio. Ille sub formula censet, quae certos, quos non excedat, terminos ponit: hic nullis adstrictus vinculis sententiam suam non lege, sed humanitate regit. Iudicio tota lis aut obtinetur aut amittitur: arbitrio neque nihil, neque totum consequimur: & quum ad iudicem caussam labefactari videmus, ad arbitrum confugimus. Haec fere ex Cicer. pro Rosc. Com. c. 4. & Senec. l. III. de Benefic. c. 7; vterque egregie hoc discrimen illustrant.

4. *precario studeo*) quantum alii tempus mihi vacuum ab negotiis relinquunt, a quibus id precibus quasi impetrandum est.

libellos de vltione Heluidii) Lib. IX. epist. 13. explicatur.

κατὰ Μειδίᾳ) contra Midiam, qui Bacchanaliorum festo die Demosthenem in orchestra pugnis percusserat. Quo accusato & condemnato disceptatur ex finitiuo statu, sitne reus ille impietatis, quod Demosthenes aiebat, & propterea grauius puniendus: an tantum contumeliae, quod ab altera parte contendebatur. Ideo autem Plinianum librum Genitor cum hac Demosthenea comparauit, quia vtrobique iniuriarum vltio intendeba-

pone-

ponerem illos, habui in manibus, non vt aemularer, (improbum enim ac paene furiosum) sed tamen imitarer & sequerer, quantum aut diuersitas ingeniorum, maximi aut minimi, aut caussae dissimilitudo pateretur. Vale.

XXXI.

C. PLINIVS CORNVTO SVO S.

Claudium Pollionem Cornuto commendat.

Claudius Pollio amari a te cupit: dignus hoc ipso, quod cupit: deinde, quod ipse te diligit. Neque enim fere quisquam exigit istud, nisi qui facit. Vir alioqui rectus, integer, quietus, ac paene vltra modum (si quis tamen vltra modum) verecundus. Hunc, quum simul militaremus, 2
non solum, vt commilito inspexi. Praeerat alae miliariae: ego iussus a legato consulari rationem

---

tur, ibi Demostheni a Midia illatarum, heic Heluidio iuniori.

maximi) sc. Demosthenis.

minimi) i. e. mei.

Epist. XXXI. 2. *Praeerat alae miliariae*) Ita Aldus vtraque editione, quod etiam Catanaeus in antiquis libris inuenit. *Miliaria* siue *milliaria* ala est a numero militum, quibus constabat, dicta. Variabat militum in ala numerus, & modo quadringentis, nunc quingentis, interdum millenis concludebatur. Celeiae & Graecii, quae Stiriae vrbes, inscriptiones visuntur, a Grutero p. 482. descriptae,

PRAEF. EQVIT. AL. BRITANNICAE MILIAR.

Adde Lipsi. I. II. Mil. Rom. Dial. 7. extr. Alii legunt *nam praeerat alae militari*. Sed neque Ald. neque Sich. illud *nam* agnoscunt.

a legato consulari) qui consulatu ante functus erat.

alarum & cohortium excutere, vt magnam quorumdam foedamque auaritiam, & negligentiam parem, ita huius summam integritatem, sollicitam diligentiam inueni. Postea promotus ad amplissimas procurationes, nulla occasione corruptus ab insito abstinentiae amore deflexit; nunquam secundis rebus intumuit, nunquam officiorum varietate continuam laudem humanitatis infregit: eademque firmitate animi laboribus suffecit, qua nunc otium patitur. Quod quidem paullisper cum magna sua laude intermisit & posuit, a Corellio nostro ex liberalitate imperatoris Neruae emendis diuidendisque agris adiutor adsumtus. Etenim qua gloria dignum est, summo viro in tanta eligendi facultate praecipue placuisse? Idem quam reuerenter, quam fideliter amicos colat, multorum supremis iudiciis, in his Musonii Bassi, grauissimi ciuis, credere

Huius generis legato Caesares toti exercitui in prouincia praeficiebant: praetorium autem vni tantum legioni. Rursus Lipsius consulatur Dialog. 11. dicti libri, & Buchnerus ad Taciti Agr. c. 7. Adde, quae supra ad lib. VI epist. 31. n. 4. obseruauimus.

3. *suffecit*) sufficere proprie est *suppeditare*. Elliptice hic vsurpatur *suffecit* sc. *seipsum*. Vid. Sanctii Minerv. lib. III. c. 3. *Herz.*

4. *a Corellio nostro*) Corellio Rufo, cuius mortem noster deflet lib. I. epist. 12.

ex liberalitate imperatoris Neruae) Xiphilinus ex Dione refert, pauperibus Romanis Neruam possessiones agrorum donasse, iisque emendis & distribuendis praefeciisse aliquos senatores. Haec illa liberalitas, quam Dio his verbis laudauit γῆς κτῆσιν ἐχαρίσατο.

5. *Musonii Bassi*) Ald. & Sich. *Annii Bassi*: sed & potes,

potes, cuius memoriam tam grata praedicatione prorogat & extendit, vt librum de vita eius (nam ſtudia quoque, ſicut alias artes bonas, veneratur) ediderit. Pulcrum iſtud, & raritate ipſa probandum, quum plerique hactenus defunctorum meminerint, vt querantur. Hunc hominem, appetentiſſimum tui (mihi credè) complectere, apprehende, immo & inuita, ac ſic ama, tamquam gratiam referas. Neque enim obligandus, ſed remunerandus eſt in amoris officio, qui prior coepit. Vale. 6 7

XXXII.

C. PLINIVS FABATO, PROSOCERO SVO S.

Tironem proconſulis ad Fabatum diuertiſſe, plurimosque manumiſſos liberaſſe, vnice laetatur.

Delector, iucundum tibi fuiſſe Tironis mei aduentum: quod vero ſcribis, oblata occaſione proconſulis, plurimos manumiſſos, vnice laetor. Cupio enim patriam noſtram omnibus

---

Beroald. & Catan. *Muſonii*, & huic quidem philoſophus inſignis fuit, de quo Tacitus XIV, 59. & XV, 71. conſulatur.

hactenus) eatenus, in tantum: cui elegantiſſimae notioni *vt* ſubiicitur. Adde huius libri epiſt. 9. n. 3.

Epiſt. XXXII, 1. *Tironis mei aduentum*) Conſtat ſenſus ex epiſtolae ex ep. 16. huius libri.

proconſulis) qui erat Tiro, vid. ep. 16. & 23. huius libri: cuius aduentus occaſione ſerui plurimi ex manu ſeu poteſtate domini mittebantur. Apud proconſules enim praeter alias legis actiones fieri poterant & manumiſſiones, notante Briſſonio Select. Iur. ciu. antiq. lib. IV. c. 10. *Herz.*

patriam noſtram) Comum. Heic enim, aut in agro

quidem rebus augeri, maxime tamen ciuium numero. Id enim oppidis firmissimum ornamentum. Illud etiam me, non vt ambitiosum, sed tamen iuuat, quod adiicis, me teque & gratiarum actione & laude celebratos. Est enim, vt Xenophon ait, ἥδιστον ἄκουσμα ἔπαινος, vtique si te mereri putes. Vale.

XXXIII.

C. PLINIVS TACITO SVO S.

Rogat, vt Tacitus historiis suis actionem contra Baebium Massam inferat, cuius materiam recenset.

Auguror, nec me fallit augurium, historias tuas immortales futuras: quo magis illis (ingenue fatebor) inseri cupio. Nam si esse nobis curae solet, vt facies nostra ab optimo quoque

---

Comensi, senectutem Fabatus exegit, cuius memoriam inscriptio in illis locis seruat, quam Gruterus p. 382. n. 6. produxit, & huic Plinii professori Th. Ryckius ad Tacit. XVI, 8 vindicauit.

2. *gratiarum actione & laude celebratos*) a libertis, qui Fabatum laudabant, quod manumiserit: Plinium, quod a proconsule impetrauerit, vt vindicta liberarentur.

Xenophon) in Hierone siue Tyrannico post principium. Cum ipsa sententia conferri potest, quod Themistocles apud Cicer. pro Arch. c. 9. dixit, *id acroama se lubentissime audire, a quo virtus sua quam maxime praedicaretur.* Et illud Ennii apud Augustinum epist. 264. *Omnes mortales sese laudari exoptant.*

ἥδιστον) *dulcissimum auditui est laus.*

Epist. XXXIII. 1. *immortales*) quales omnino sunt, quas ex temporum iniuriis seruatas vindicatasque possidemus, quamquam illa pars, quae Plinii laudes ferebat, cum aliis multis interciderit.

arti-

artifice exprimatur; nonne debemus optare, vt operibus noſtris ſimilis tui ſcriptor praedicatorque contingat? Demonſtro itaque, quamquam 3
diligentiam tuam fugere non poſſit, quum ſit in publicis actis, demonſtro tamen, quo magis credas, iucundum mihi futurum, ſi factum meum, cuius gratia periculo creuit, tuo ingenio, tuo teſtimonio ornaueris. Dederat me ſenatus cum 4
Herennio Senecione aduocatum prouinciae Baeticae contra Baebium Maſſam: damnatoque Maſſa, cenſuerat, vt bona eius publice cuſtodirentur. Senecio, quum exploraſſet, conſules poſtulationibus vacaturos, conuenit me: &, Qua concordia, inquit, iniunctam nobis accuſationem exſequuti ſumus, hac adeamus conſules, petamusque, ne bona diſſipari ſinant, quorum eſſe in cuſtodia debent. Reſpondi; Quum ſimus 5
aduocati a ſenatu dati, diſpice, num peractas pu-

2. *ſcriptor praedicatorque contingat*) qua de re Achilleem fortunatum M. Tullius praedicauit, quod Homerum praeconem inuenerit, pro Arch. c. 10. & noſter Vergilium Rufum, quod hunc ipſum Tacitum laudatorem ſortitus ſit, *lib. II. epiſt.* 1.

3. *periculo creuit*) Sic Palatinus: quod & Aldus expreſſit. *Cellar.* i. e. cuius gratia maior facta eſt, dum in illo facto periculis me expoſui. *Herz.*

4. *contra Baebium Maſſam*) Vide lib. III. epiſt. 4. n. 4. & lib. VI. epiſt. 29.

poſtulationibus vacaturos) audituros poſtulata ſupplicantium, eorumque deſideria expediturus. *Briſſon. de S. V.* Priuati autem bona, quae publico ſeruabantur, repetebant.

quorum eſſe) quorum conſulum. In horum enim cuſtodia debebant bona eſſe.

5. *peractas partes noſtras*) Recuſat Plinius hoc fertes

tes partes noſtras, ſenatus cognitione finita. Et
ille; Tu, quem voles, tibi terminum ſtatues, cui
nulla cum prouincia neceſſitudo, niſi ex benefi-
cio tuo, & hoc recenti: ipſe & natus ibi, & quae-
6 ſtor in ea fui. Tum ego; Si fixum tibi iſtud ac
deliberatum, ſequar te, vt, ſi qua ex hoc inuidia
7 erit, non tua tantum ſit. Venimus ad conſules,
dicit Senecio, quae res ferebat: aliqua ſubiungo.
Vixdum conticueramus, & Maſſa queſtus, Sene-
cionem non aduocati fidem, ſed inimici amaritu-
8 dinem impleſſe, impietatis reum poſtulat. Hor-
ror omnium: ego autem, Vereor, inquam, cla-
riſſimi conſules, ne mihi Maſſa ſilentio ſuo prae-
uaricationem obiecerit, quod non & me reum
poſtulauit. Quae vox & ſtatim excepta, & poſt-
9 ea multo ſermone celebrata eſt. Diuus quidem
Nerua (nam priuatus quoque attendebat his,

---

me ſenſu: cognitione ſenatus finita, ceſſare munus aduocandi, nec cauſſam ſibi eſſe, cur plura contra Maſſam agat. *Thom.*

natus ibi) matre maritum, prouinciae praefectum, eo ſequuta. Ita ſuſpicatur Catanaeus.

8. *clariſſimi conſules*) Hoc honoris verbum proprium conſulibus & ſenatoribus, de quo Buchnerus ad h. l.

ſilentio ſuo) dum de ſolo Senecione, non de me ſimul, ſocio aduocationis, conqueſtus eſt.

praeuaricationem) erat delictum, ſi aduocatus praetermittebat ea, quae ad cauſſam erant neceſſaria. Vid. ſupra lib. I. ep. 20. *Herz*

9. *nam priuatus*) antequam imperator fieret. Ita ſaepenumero apud Eutropium & alios hiſtoriae Auguſtae ſcriptores.

quae

quae recte in publico fierent) missis ad me gravissimis litteris, non mihi solum, verum etiam seculo est gratulatus, cui exemplum (sic enim scripsit) simile antiquis contigisset. Haec, vt cumque se habent, notiora, clariora, maiora tu facies: quamquam non exigo, vt excedas actae rei modum. Nam nec historia debet egredi veritatem, & honeste factis veritas sufficit. Vale

LIBER VIII.

I.

C. PLINIVS SEPTICIO SVO S.

Ex itineris aestu quosdam suorum, lectorem maxime, in morbum incidisse, sollicite significat, nec vero spem abiicit.

Iter commode explicui, excepto quod quidam ex meis aduersam valetudinem ferueſcentibus aestibus contraxerint. Encolpius quidem lector, ille seria nostra, ille deliciae, exasperatis 2

---

missis ad me litteris) Catanaeus ad illud tempus refert, quo Nerua Trenti latebat, a Domitiano relegatus.

10. *egredi veritatem*) Etiam lib. VI. ep. 20 n. 8. hoc verbum cum quarto casu reperitur, *egressi tecta*, vbi Tacitum quoque in partes vocauimus. Lubet ex eiusdem IV. Hist. c. 51. adiungere, *tamquam terminos aetatis, & concessa filio egrederetur.*

Epist. I. 1. *explicui*) i. e. ex difficultatibus, quibus iter solet inuolui, illud iam commode feci liberatum. Sic supra dicebat: *explicare elegos*, lib. VII. epist. 4. n. 7. *Herz.*

2. *Encolpius lector* seruus eruditus & adiutor studiorum Plinii, vt Tiro Ciceronis. Nec seriis modo heri studiis praelegebat, sed remissionibus etiam, vt in conuiuio, lib. III. ep. 1. n. 8. & ep. 5. n. 12; inter ambulationes

fauei-

faucibus puluere, sanguinem reiecit. Quam triste hoc ipsi, quam acerbum mihi, si is, cui omnis ex studiis gratia, inhabilis studiis fuerit. Quis deinde libellos meos sic leget? sic amabit? quem
3 aures meae sic sequentur? Sed dii laetiora promittunt. Stetit sanguis, resedit dolor. Praeterea continens ipse: nos solliciti, medici diligentes. Ad hoc salubritas coeli, secessus, quies, tantum salutis, quantum otii, pollicentur. Vale.

II.

C. PLINIVS CALVISIO SVO S.

Vindemiae emtoribus, quod fructus spem fefellerat, remissse de pretio, & inde laudem consequutum; esse nuntiat.

Alii in praedia sua proficiscuntur, vt locupletiores reuertantur; ego, vt pauperior. Vendideram vindemias certatim negotiatoribus ementibus. Inuitabat pretium; & quod tunc,
2 & quod fore videbatur. Spes fefellit. Erat expeditum, omnibus remittere aequaliter, sed non satis aequum. Mihi autem egregium in-

---

nes, lib. eiusd. ep. 1. n. 5; in balineo, itidem epist. 5. n. 14; & quum somnum capere non possent, Suet. Aug. 78. Sic *seria* lectores erant, sic *deliciae*, quamquam & hanc blandiendi formulam de impenso amore interpretari possis, quo Iuretus refert ad Symmachi lib. IX. ep. 28. Idem autem hic *lector*, & qui Graecis *anagnostes* appellatus fuit.

aures sequentur) i. e. cui sic libenter aures praebeo, dum lectione suaui illas trahit. *Herz.*

Ep. II. 1. & *quod tunc*) pro statu vinearum praesenti, qui satis bonus erat, nec vero maior pretio, quod promittebatur; nec *fore* maiorem, suspicio erat.

primis

primis videtur, vt foris, ita domi, vt in magnis, ita in paruis, vt in alienis, ita in suis, agitare iustitiam. Nam si paria peccata, pares etiam laudes. Itaque omnibus quidem, ne quis mihi non 3
donatus abiret, partem octauam pretii, quo quis emerat, concessi: deinde iis, qui amplissimas summas emtionibus occupauerant, seperatim consului. Nam & me magis iuuerant, & maius ipsi fecerant damnum. Igitur iis, qui pluris, 4
quam decem millibus emerant, ad illam communem, & quasi publicam octauam, addidi decimam eius summae, quae decem millia excesserat. Vereor, ne parum expresserim; apertius 5
calculos ostendam. Si qui forte quindecim millibus emerant, hi & quindecim millium octauam, & quinque millium decimam, tulerunt. Praeterea, quum reputarem quosdam ex debito aliquantum, quosdam aliquid, quosdam nihil reposuisse, nequaquam verum arbitrabar, quos non aequasset fides solutionis, hos benignitate 6

---

2. *si paria peccata*) ex Stoicorum sententia, de qua Cicero paradoxo III videatur.

3. *mihi non donatus abiret*) Virgilii Aen. V. v. 305.

4. *pluris, quam decem millibus*) Si ratio calculi, ex denarii sumta pondere, non incerta est, decem millia nummum siue sestertium valebunt CCCXII taleros imperiales cum dimidio. Quo posito, facile constabit, quantum ei, qui quindecim millibus emerat, remissum fuerit.

6. *nequaquam verum*) nequaquam iustum. Illud Aldinae est: hoc ex glossa in Catanaeanam irrepsit. *Verum* enim heic & alibi interpretamur *iustum, aequum*, vt in Horatiano illo lib. I. epist. 7 extrema:

Metiri se quemque suo modulo ac pede, verum est.

remis-

7 remissionis aequari. Rursus ergo iis, qui soluerant, eius, quod soluerant, decimam remisi. Per hoc enim aptissime & in praeteritum singulis, pro cuiusque merito, gratia referri, & in futurum omnes cum ad emendum, tum etiam ad so-
8 luendum allici videbantur. Magno mihi seu ratio haec, seu facilitas stetit: sed fuit tanti. Nam regione tota & nouitas remissionis & forma laudatur. Ex ipsis etiam, quos non vna, vt dicitur, pertica, sed distincte gradatimque tractaui, quanto quis melior & probior, tanto mihi obligatior abit, expertus non esse apud me, Ἐν δ' ἑῇ τιμῇ ἠμὲν ἀκακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

---

8. *Magno stetit*) caro stetit: multum pecuniae subtraxit.

seu ratio haec, seu facilitas) Ratio causas notat, quibus inductus ita egerit: Facilitas, naturae propensionem, sine consilio & rationibus, arguit. Grotius singulari libello, Facilitas, inquit, est virtus, prona ad remittendum ius sibi competens, pacis aut humanitatis caussa.

sed fuit tanti) operae pretium non poenitendum fuit. Nam laudibus pensatum est, quod pretio defuerat.

non vna pertica) non vno modulo: sed aliis plus, aliis minus remisi.

Ἐν δ' ἑῇ τιμῇ) Homeri est, Iliad. Iota v. 319. in oratione Achillis ad Vlyssem. Latine sonat: *In eodem honore suus malus, suus bonus.*

III.

C. PLINIVS SPARSO SVO S.

Laetatur, placuisse librum suum, quem miserat, & de oratione, quam missurus erat, idem vel maius sperat.

Librum, quem nouissime tibi misi, ex omnibus meis vel maxime placere significas. Est eadem opinio cuiusdam eruditissimi. Quo magis adducor, vt neutrum falli putem; quia non est credibile, vtrumque falli, & quia tantum blandior mihi. Volo enim, proxima quaeque absolutissima videri: & ideo iam nunc contra istum librum faueo orationi, quam nuper in publicum dedi: communicaturus tecum, vt primum diligentem tabellarium inuenero. Erexi exspectationem tuam; quam vereor, ne destituat oratio in manus sumta. Interim tamen, tamquam placituram (& fortasse placebit) exspecta. Vale. 2 3

Epist. III. 2. *quia tantum*) Sich. *quia tam*; Ald. *quia tamen*.

proxima quaeque absolutissima) Nam recentiora nostra scripta, crescente aetate & iudicio, debent absolutiora esse, quam quae iuuentutis sunt. *Proxima* autem sunt nouissima.

contra istum librum) magis faueo orationi, quia recentior, quam ille liber est.

3. *in manus sumta*) a te ad legendum, aut a te perlecta.

IV.

IV.

C. PLINIVS CANINIO SVO S.

Bellum Dacicum scripturo stimulos addit: & de flectendis barbaris nominibus consilium dat.

Optime facis, quod bellum Dacicum scribere paras. Nam quae tam recens, tam copiosa, tam lata, quae denique tam poetica, & (quamquam in verissimis rebus) tam fabulosa materia? 2 Dices immissa terris noua flumina, nouos pontes fluminibus iniectos, insessa castris montium abrupta, pulsum regia, pulsum etiam vita, regem

---

Epist. IV. 1. *bellum Dacicum*) quod contra Decebalum, Dacorum regem, Domitianus incepit, Traianus feliciter perfecit.

scribere paras) Salua syntaxis. Sallustius Catil. c. 46. *proficisci parabat.* Curtius lib. IV. c. 1. n. 9. *dare paratus.* Adde supra lib. V. epist. 8. extr.

tam fabulosa) tam incredibilium rerum, vt fabulis poetarum fere similis videatur.

2. *immissa terris noua flumina*) Thesauris in terra defossis Decebalus flumen Sargetiam induxerat, quod deriuandum Traiano fuit, vt illis potiretur. Xiphil.

nouos pontes) in quibus stupendae admirationis fuit, quem Danubio Traianus imposuit, ac Lipsius de Magn. Rom. lib III. c. 13. vere in admirandis Romanorum numerauit, opus omnium fortasse vt arte & difficultate, ita haud dubie sumtu etiam maximum. Quidquid notum de illo mirabili ponte est, Dioni Cassio, seu qui breuiauit illum, Io. Xiphilino debemus.

insessa castris montium abrupta) Xiphilinus de Traiano: ἐς αὐτὰ τὰ ἐπ' ἄκρα ἐπεχείρησεν ἀναβῆναι, λόφους ἐν λόφων μετὰ κινδύνων καταλαμβάνων. Tot montes autem superandi erant, vt ad regiam Dacorum vrbem, Sarmizaegethusam, penetraret.

pulsum regia, pulsum vita) Vtrumque ex Dione nihil

nihil desperantem. Super haec, actos bis triumphos: quorum alter ex inuicta gente primus, alter nouissimus fuit. Vna, sed maxima, difficultas, quod haec aequare dicendo, arduum, immensum, etiam tuo ingenio, quamquam altissime adsurgat, & amplissimis operibus increscat. Nonnullus & in illo labor, vt barbara & fera nomina, inprimis regis ipsius, Graecis versibus non resultent. Sed nihil est, quod non arte curaque, si non potest vinci, mitigetur. Praeterea, si datur Homero, & mollia vocabula & Graeca ad lenitatem versus contrahere, extendere, inflectere; cur tibi similis audentia, praesertim non delicata, sed necessaria, negetur? Proinde iure vatum, inuocatis diis, & inter deos, ipso, cuius res, opera, consilia dicturus es, immitte rudentes, pande

3 4 5

etiam Xiphilinus notauit, & alterum quidem ita, vt, capta regia vrbe, sibi ipse rex manum intulerit, διεχειρισατο ἑαυτόν.

actos bis triumphos) Priorem triumphum, & insequutam Decebali a foedere defectionem, eadem epitoma Dionis tradit, vnde initium belli Dacici secundi.

3. *regis ipsius*) Dio & noster lib. X. epist. 16. *Decebalum* vocant: sed aliud forte barbarius nomen & crassius sonans, praeter istud habuit. Orosius lib. VII. cap. 10. in Domitiani historia *Diurpaneum* appellat.

5. *& inter deos, ipso*) A poetis opus incipientibus deos deasque siue Musas inuocari, notissimum est: principem inter deos vocatum fuisse, Virgilius & Lucanus documento sunt. Ille enim Augustum Georg. lib. I. v. 24; hic Neronem lib. I. v. 33. neuter sine adulationis nota, in partes aduocauerunt.

dicturus es) Plures *dicaturus es*. Sed nos Casaubonum sequuti sumus.

immitte rudentes) i. e. *para te*. Loquutio vero a vela,

vela, ac, si quando alias, toto ingenio vehere. Cur enim non ego quoque poetice cum poeta? 6 Illud iam nunc paciscor; prima quaeque vt absolueris, mitte, immo etiam, antequam absoluas; sic vt erunt recentia, & rudia, & adhuc similia 7 nascentibus. Respondebis, non posse perinde carptim, vt contexta; perinde inchoata placere, vt effecta. Scio. Itaque & a me aestimabuntur vt coepta; spectabuntur vt membra; extremamque limam tuam operientur in scrinio nostro. Patere hoc me super cetera haberè amoris tui pignus, vt ea quoque norim, quae nosse neminem velles. 8 In summa, potero fortasse scripta tua magis probare, laudare, quanto illa tardius cautiusque; sed ipsum te magis amabo, magisque laudabo, quanto celerius & incautius miseris. Vale.

V.

C. PLINIVS GEMINIO SVO S.

Macrinum vxoris sanctissimae obitu grauissimum vulnus accepisse, apud Geminium dolet.

Graue vulnus Macrinus noster accepit. Amisit vxorem singularis exempli, etiam si olim

nautis desumta est, qui soluturi velaque expansuri, rudentes solent immittere, i. e. in certa foramina ductusque mittere, quo vela regere possint. *Herz.*

6. *nascentibus*) Scite de ingenii foetu verbum *nasci* adhibitum. Sic lib. II. epist 3. extr. Demosthenes suas orationes *peperisse* dicitur. Et Claudianus Paneg. Mallii v. 115.

nascentes ibant in secula libri.

Obseruauit hoc Barthius Adu. XXIII, 9. & XLIII, 15.

7. *limam tuam*) lib. I. epist 2. n. 5. & ep 8. n 3.

Epist. V. 1. *si olim fuisset*) si priscis seculis vixisset, vbi fuisset.

fuisset. Vixit cum hac triginta nouem annis, sine iurgio, sine offensa. Quam illa reuerentiam marito suo praestitit, cum ipsa summam mereretur? Quot quantasque virtutes, ex diuersis aetatibus sumtas, collegit & miscuit? Habet 2
quidem Macrinus grande solatium, quod tantum bonum tam diu tenuit: sed hoc magis exacerbatur, quod amisit. Nam fruendis voluptatibus crescit carendi dolor. Ero ergo suspensus pro 3
homine amicissimo, dum admittere auocamenta, & cicatricem pati possit; quam nihil aeque ac necessitas ipsa, & dies longa, & satietas doloris inducit. Vale.

---

maior hominum integritas fuit. *Fuisse* pro *vixisse* non protritae latinitatis est. Buchnerus ad h. l. & in Lex. huc illud Ciceronis refert Tusc. I. cap. 16. *Fuit meo regnante gentili.* Addit ex Prudentii praefat. Cathem. principium: *Per quinquennia iam decem,*
Ni fallor, fuimus.

sine iurgio, sine offensa) In cippis coniugum antiquis non raro legitur, *cum qua vixit sine vlla querela*, Grut. p. 761, 10, & 803, 2; *sine vllo discrimine*, p. 823, 8; & quae alia huius generis sunt.

ex diuersis aetatibus) Explicatur verbis de Salinatore supra lib. VI. ep. 26. *puer simplicitate, comitate iuuenis, senex grauitate.* Hae enim sunt aetatum singularum virtutes.

2. *fruendis voluptatibus*) Gronouius tuetur, quod Ald. & Sich. quoque legerant, idque idem est ac *fruendo voluptatibus.* Non ergo est, quod *fruendi* vel *fruenti* cum aliis substituamus.

3. *suspensus, dum*) i. e. retinebo solatium & litteras, usque dum. *Herz.*

VI.

C. PLINIVS MONTANO SVO S.

Adulatorium senatusconsultum de Pallante liberto Claudii perstringit indignabundus.

Cognouisse iam ex epistola mea debes, adnotasse me nuper monimentum Pallantis sub hac inscriptione; HVIC SENATVS, OB FIDEM PIETATEMQVE ERGA PATRONOS, ORNAMENTA PRAETORIA DECREVIT ET SESTERTIVM CENTIES QVINQVAGIES, CVIVS HONORE CONTENTVS
2 FVIT. Postea mihi visum est pretium curae, ipsum SC. quaerere. Inueni tam copiosum & effusum, vt ille superbissimus titulus, modicus atque etiam demissus videretur. Conferant se, non dico illi veteres, Africani, Achaici, Numantini, sed hi proximi, Marii, Syllae, Pompeii; (nolo progredi longius) infra Pallantis laudes iacebunt.
3 Vrbanos, qui illa censuerunt, putem, an miseros?

Epist. VI. 1. *ex epistola mea*] lib. VII. ep. 29.

ornamenta praetoria) Dixi aliquid ad modo signatam epistolam n. 2. Erant & consularia & triumphalia ornamenta siue insignia, quae Tacitus Hist. lib. IV. c. 4. commemorauit loco vno omnia. *Muciano*, inquit, *triumphalia de bello ciuili data: adduntur primo Antonio consularia, Cornelio Fusco praetoria insignia.*

2. *ille superbissimus titulus*) inscriptio monimenti in via Tiburtina.

Achaici) L. Mummius, qui Corinthum deleuit. *Velleius lib. I. c. 13.* Africani Scipiones duo, & minor eorum Numantinus quoque, notiores sunt, quam vt indicari debeant. Synecdoche autem in plurali *Achaici* & *Numantini* est.

3. *vrbanos*] iocantes. Vrbanitas enim mediocritas

Dice-

Dicerem vrbanos, si senatum deceret vrbanitas. Miseros ergo? sed nemo tam miser est, vt ad illa cogatur. Ambitio ergo, & procedendi libido? Sed quis adeo demens, vt aut per suum aut per publicum dedecus procedere vellet in ea ciuitate, in qua hic esset vsus potentissimae dignitatis, vt primus in senatu laudare Pallantem posset? Omitto, quod Pallanti seruo praetoria ornamenta 4
offeruntur, quippe offeruntur a seruis: mitto, quod censent, non exhortandum modo, verum etiam compellendum ad vsum aureorum annulorum. Erat enim contra maiestatem senatus, si ferreis praetorius vteretur. Leuia haec & transeunda; illa memoranda, quod NOMINE PALLANTIS SENATVS, nec expiata postea curia est: 5

---

iocandi est. Sed haec senatum, collegium grauissimum, in decretis praesertim, indecet.

procedendi) fama scilicet in publicum.

hic esset vsus) hic mos & consuetudo, seu tanta abusio potentissimae dignitatis.

primus in senatu] consul designatus, Barea Soranus, vel Cornelius Scipio. *Tacit. lib. XII. c. 53.*

4. *a seruis*) timidis & adulantibus senatoribus.

si ferreis praetorius) Indecens hoc sub Caesaribus; non autem antiquis temporibus, vbi rarior annuli aurei vsus, & vix extra legationes: ferreis autem nec triumphantes erubescebant. *Plin. nat. H. N. l. XXXIII. c. 1.*

5. *nomine Pallantis senatus*) Indignitas facti cogit Secundum, vt abrumpat recitationem decreti, & de expiatione interponat, quasi res ita abominanda sit, vt sacrificio expiari debuerit. Post repetit integra verba, *Pallantis*, inquam, *nomine* &c. Hoc enim est illud piaculum, serui nomine amplissimum senatus collegium gratias agere in caussa tam humilis & sordidae adulatio-

PALLANTIS NOMINE SENATVS GRATIAS AGIT CAESARI; QVOD ET IPSE, CVM SVMMO HONORE MENTIONEM EIVS PROSEQVVTVS ESSET, ET SENATVI FACVLTATEM FECISSET TESTANDI ERGA EVM BE-
6 NEVOLENTIAM SVAM. Quid enim senatui pulcrius, quam vt erga Pallantem satis gratus videretur? Additur, VT PALLAS, cui se omnes pro virili parte obligatos fatentur, SINGVLARIS FIDEI, SINGVLARIS INDVSTRIAE FRVCTVM MERITISSIMO FERAT. Prolatos imperii fines, redditos ex-
7 ercitus reipublicae credas. Adstruitur his, QVVM SENATVI POPVLOQVE ROMANO LIBERALITATIS GRATIOR REPRAESENTARI NVLLA MATERIA POSSET, QVAM SI ABSTINENTISSIMI FIDELISSIMIQVE CVSTODIS PRINCIPALIVM OPVM FACVLTATES ADIVVARE CONTIGISSET. Hoc tunc votum senatus; hoc praecipuum gaudium populi; haec liberalitatis materia gratissima, si Pallantis facultates adiuuare publicarum opum egestione con-

nis. Praeterea etiam ipsi Pallanti publice gratias egerunt. *Tacit XII, 53.*

quod & ipse eius) Claudius Pallantis.

6. *imperii fines*) dum scilicet SC. Pallantis singularem industriam & fidem laudat. *Herz.*

7. *abstinentissimi fidelissimique*) Et hoc adulationi dandum est vnice. Nam Suetonius c. 28. *Passus est* Claudius, Pallantem & Narcissum, potentes suos libertos, *tantum adquirere & rapere, vt quereute eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum, abundaturum, si a duobus libertis in consortium reciperetur.* Haec illa fides & abstinentia, tantopere a senatu & publice collaudata.

custodis principalium opum) Suetonius: *a rationibus Claudio.*

tinge-

tingeret. Iam quae sequuntur, VOLVISSE QVIDEM SENATVM CENSERE, DANDVM EX 8
AERARIO SESTERTIVM CENTIES QVINQVAGIES, ET QVANTO AB EIVSMODI CVPIDITATIBVS REMOTIOR EIVS ANIMVS ESSET, TANTO IMPENSIVS PETERE A PVBLICO PARENTE, VT EVM COMPELLERET AD CEDENDVM SENATVI. Id vero deerat, vt cum 9
Pallante auctoritate publica ageretur; Pallas rogaretur, vt senatui cederet: vt illi superbissimae abstinentiae Caesar ipse patronus adhiberetur, ne sestertium centies quinquagies sperneret. Sprevit quod 10
solum potuit, tantis opibus publice oblatis: arrogantius fecit, quam si accepisset. Senatus tamen id quoque, similis querenti, laudibus tulit, his quidem verbis; SED QVVM PRINCEPS OPTIMVS, PARENSQVE PVBLICVS, ROGATVS A PALLANTE, EAM PARTEM SENTENTIAE, QVAE PERTINEBAT AD DANDVM EI EX AERARIO CENTIES QVINQVAGIES SESTERTIVM REMITTI VOLVISSET; TESTARI SENATVM ET SE LIBENTER AC MERITO HANC SVMMAM INTER RELIQVOS HONORES, OB FIDEM DILIGENTIAMQVE PALLANTIS, DECERNERE COEPISSE; VOLVNTATI TAMEN PRINCIPIS SVI, CVI IN NVLLA RE FAS PVTARET REPVGNARE, IN HAC QVOQVE RE OBSEQVI. Imaginare Pallantem velut 11
intercedentem senatusconsulto moderantemque

8. *ad cedendum senatui*) ad gratificandum seu non repugnandum precibus senatus.

11. *intercedentem*) quando tribuni plebis senatus consultum nolebant admittere, vocabatur id *intercedere*. Conf. Brissonium de form. lib. III. p. 272. *Herz.*

honores suos, & sestertium centies quinquagies, vt nimium, recusantem, quum praetoria ornamenta, tamquam minus, recepisset. Imaginare Caesarem, liberti precibus, vel potius imperio, coram senatu obtemperantem. Imperat enim libertus
12 patrono, quem in senatu rogat. Imaginare senatum, vsquequaque testantem, merito libenterque se hanc summam, inter reliquos honores, Pallanti coepisse decernere; & perseueraturum fuisse se, nisi obsequeretur principis voluntati, cui non esset fas in vlla re repugnare. Ita, ne sestertium centies quinquagies Pallas ex aerario referret, verecundia ipsius, obsequio senatus opus fuit; in hoc praecipue non obsequuturi, si in vlla re putasset fas esse non ob-
13 sequi. Finem existimas? Mane dum, & maiora accipe. VTIQVE, QVVM SIT VTILE, PRINCIPIS BENIGNITATEM PROMTISSIMAM AD LAVDEM PRAEMIAQVE MERENTIVM ILLVSTRARI VBIQVE, ET MAXIME IIS LOCIS, QVIBVS INCITARI AD IMITATIONEM PRAEPOSITI RERVM EIVS CVRAE POSSENT, ET PALLANTIS SPECTATISSIMA FIDES, ATQVE INNOCENTIA EXEMPLO PROVOCARE STVDIVM TAM HONESTAE AEMVLATIONIS POSSET, EA QVAE III. CALEND. FEBRVARII, QVAE PROXIME FVISSENT, IN AMPLISSIMO ORDINE OPTIMVS PRINCEPS RECITASSET, SENATVS-

Imperat enim libertus] Est velut imperium, quum libertus audet in senatu imperatorem, patronum suum, rogare. *Catan.*

13. *praepositi rerum eius curae*) Praepositi curae rerum Caesaris sunt procuratores Caesaris. Vulgo *cura* legunt, incongruente sensu. Gronouius *curae* substituit.

QVE

QVE CONSVLTA DE HIS REBVS FACTA IN AES INCIDERENTVR, IDQVE AES FIGERETVR AD STATVAM LORICATAM DIVI IVLII. Parum visum tantorum dedecorum esse curiam testem: delectus est celeberrimus locus, in quo legenda praesentibus, legenda futuris proderentur. Placuit aere signari omnes honores fastidiosissimi mancipii: quosque repudiasset, quosque, quantum ad decernentes pertinet, gessisset. Incisa & insculpta sunt publicis aeternisque monimentis praetoria; sic, quasi foedera antiqua; sic, quasi sacrae leges. Tanta principis, tanta senatus, tanta Pallantis ipsius, quid dicam, nescio; vt vellent in oculis omnium sigi Pallas insolentiam suam, patientiam

14

15

---

ad statuam loricatam) statuam habitu militari. Plinius maior H. N. lib. XXXIV. cap. 5. *Caesar dictator loricatam sibi dicari in foro suo passus est.* Opponit ibidem togatis statuis & paenulatis.

14. *Parum visum*) i. e. dum in curia tam turpia agebantur, parum videbatur senatoribus, intra curiae parietes vt haec secreta manerent. *Herz.*

sic, quasi foedera) Mos erat, foedera & leges aeri incidi, & in Capitolio adfigi aut alio publico loco. Liuius III. c. 57. extr. *Leges decemuirales, quibus Tabulis duodecim est nomen, in aes incisas in publico propositas fuerunt.* Et de foedere Carthaginiensi Polybius III. 26. adseruatum fuisse tradit ἐν χαλκώμασι παρὰ τὸν Δία τὸν Καπιτωλῖον.

15. *quid dicam, nescio*) Formula, qua apoſiopesis excusatur: vt deesse significet communis nomen vitii, quod principem, senatum, Pallantem ad tantas ineptias impulerit. Subaudiri enim aliquid ad tergeminum *tanta*, cuius generis ex Casauboni suspicione sunt *vecordia*, ἀβελτηρία, ἀπόνοια.

Caesar, humilitatem senatus. Nec puduit rationem turpitudini obtendere: egregiam quidem pulcramque rationem, vt exemplo Pallantis praemiorum ad studium aemulationis ceteri prouo-
16 carentur. Ea honorum vilitas erat, illorum etiam, quos Pallas non dedignabatur. Inueniebantur tamen honesto loci nati, qui peterent cuperentque, quod dari liberto, promitti seruis
17 videbant. Quam iuuat, quod in tempora illa non incidi, quorum sic me, tamquam illis vixerim, pudet! Non dubito, similiter adfici te Scio, quam sit tibi viuus & ingenuus animus: ideoque facilius est, vt me (quamquam indignationem quibusdam in locis fortasse vltra epistolae modum extulerim) parum doluisse, quam nimis credas. Vale.

---

humilitatem) submissionem vltra dignitatis mensuram, μετριοφυχίαν.

16. *Ea honorum vilitas erat*) viles honores, qui seruis ac ingenuis aeque patebant, modo vitia Pallantis induerent. Hinc ingenuos inuehitur, qui id adsectabant, quod seruis quoque, & libertis, ac infimo cuique conferebatur.

dedignabatur) spernebat, tamquam minores sua fortuna. Alii *dignabatur*, & *vtilitas* pro *vilitas*. Nos Ald. & Sich. sequuti sumus.

peterent - - videbant) honores sc. quos videbant dari Pallanti, & sub hoc exemplo seruis imposterum pluribus aliis promitti cupiebant & petebant. *Herz.*

17. *viuus animus*) generosus. Alii *verus*: sed nos iterum cum Ald. & Sich. fecimus.

VII.

VII.

C. PLINIVS TACITO SVO S.

A Tacito rogatus, vt librum suum tamquam magister corrigeret, ita promittit, quod is petierat, vt hyperbato titulum deprecetur.

Neque vt magistro magister, neque vt discipulo discipulus (sic enim scribis) sed vt discipulo magister, (nam tu magister, ego contra: atque ideo tu in scholam reuocas, ego adhuc Saturnalia extendo) librum misisti. Non potui 2
longius hyperbaton facere, atque hoc ipso probare, eum me esse, qui non modo magister tuus, sed ne discipulus quidem debeam dici. Sumam tamen personam magistri; exseramque in librum tuum ius, quod dedisti; eo liberius, quo nihil ex meis interim missurus sum tibi, in quo te vlciscaris. Vale.

Epist. VII. 1. *Saturnalia extendo*) otium & ferias Saturnalitias ago vltra tempus *Buchn.* Nam studia quoque Saturnalibus cessabant, & scholae claudebantur. Martialis. lib. V. epigr. vlt.

Iam tristis cucibus puer relictis
Clamosa reuocatur a magistro;
Saturnalia transiere tota.

2. *hyperbaton*) Transgressio ordinis ac constructionis Hyperbaton. Beda libello de Tropis, quinque eius species enumerat, in quibus media est *Parenthesis*, cuius satis productum heic exemplum exhibetur.

vlciscaris) iudicium & censuram dicendo. *Herz.*

VIII.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Clitumni fontis & fluuii naturam mirabilem perscribit.

Vidisti ne aliquando Clitumnum fontem? Si nondum, (& puto nondum: alioqui narrasses mihi) vide; quem ego (poenitet tarditatis) proxime vidi. Modicus collis adsurgit, antiqua cupressu nemorosus & opacus. Hunc subter fons exit, & exprimitur pluribus venis, sed impar- 2
ibus; eluctatusque facit gurgitem, qui lato gremio patescit purus & vitreus, vt numerare iactas stipes & relucentes calculos possis. Inde non 3
loci deuexitate, sed ipsa sui copia & quasi pondere, impellitur. Fons ad haec, & iam amplissimum flumen atque etiam nauium patiens;

Epist. VIII. 1. *Clitumnum fontem*) Fons & fluuius Clitumnus in Vmbria cis Apenninum, inter Spoletium & Hispellum, qui Tiniae amni ad Meuaniam mistus, in Tiberim cum illo defertur.

2. *nemorosus & opacus*) Inde est, quod Suetonius nemus aeque Clitumnum ac fluuium laudat. De Caligula enim c. 43. *Quum ad visendum nemus flumenque Clitumni Meuaniam processisset.*

iactas stipes) paruos nummos aereos, quos non tantum egenis hominibus veteres, sed ipsis etiam diis honoris causa conferebant. Seneca de Benef. VII, 4. *Omnia deorum sunt: tamen & diis posuimus aurum, & stipem iecimus.* Et quia fontes ac fluuii sacri erant, ac instar deorum colebantur; his quoque iniiciebantur stipes. Idem Quaest. Nat. IV, 2. de Nili venis, vt vocant, inter scopulos erumpentibus: *In haec ora stipem sacerdotes, & aurea dona praefecti, quum solemne venit sacrum, iaciunt.*

quas,

quas, obuias quoque & contrario nisu in diuersa tendentes, transmittit & perfert: adeo validus, vt illa, qua properat ipse, quamquam per solum planum, remis non adiuuentur: idem aegerrime remis contisque superetur aduersus. Iucundum 4
vtrumque per iocum ludumque fluitantibus, vt flexerint cursum, laborem otio, otium labore variare. Ripae fraxino multa, multa populo vestiuntur; quas perspicuus amnis, velut mersas, viridi imagini adnumerat. Rigor aquae certaverit niuibus; nec color cedit. Adiacet tem- 5
plum, priscum & religiosum. Stat Clitumnus ipse, amictus ornatusque praetexta. Praesens numen, atque etiam fatidicum, indicant sortes.

---

3. *vt illa, qua*) Ambo Aduerbia, *illa* & *qua*, ex Ablatiuis nata.

quamquam - - - non adiuuentur) Buchnerus illud *quamquam* diuinauit, quem Gronouius adiuuit verbo *adiuuentur*. Vulgo *tamquam* & *adiuuetur*.

4. *vt flexerint cursum, laborem otio*) prout flexerint, *otium* secundo amne; *labor*, aduerso nauiganti.

vestiuntur) Non tantum poetis, sed prosae etiam scriptoribus *vestiri* frequens de arbore, fronde, flore. Curtius l. V. c. 4. n. 7. *quidquid adluit* (amnis) *floribus vestiens*. Iustinus XII, 7. *mons vite hederaque vestitus*.

5. *Clitumnus ipse*) Vibius Sequester: *Clitumnus Vmbriae vbi Iupiter eodem nomine est*. Add. Turneb. Adu. XXIX, 26.

praetexta) sc. toga, purpuram in ora habente.

Praesens numen) auxilio praesens, benignum, efficax. Virgil. ecloga 1.

Nec tam praesentes alibi cognoscere diuos.

Sammonicus praefatione de Aesculapio:

Depellens tetros praesenti numine morbos.

sortes) oracula. Vt *Lyciae sortes*, oraculum Apollinis Pataraei, Aeneid. IV. v. 346.

Sparsa sunt circa sacella complura, totidemque dei simulacra: sua cuique veneratio, suum nomen: quibusdam vero etiam fontes. Nam praeter illum, quasi parentem ceterorum, sunt minores capite discreti; sed flumini miscentur, quod ponte transmittitur. Is terminus sacri 6 profanique. In superiore parte navigare tantum, infra etiam natare concessum. Balineum Hispellates, quibus illum locum diuus Augustus dono dedit, publice praebent, & hospitium.

---

sparsa sunt circa) in circuitu posita. *Circa* absolute, sine casu. Respicit autem ad *templum*.

totidemque dei simulacra) Ald. & Sich *simulacra* non agnoscunt: Thom. *simulacra* retinet, *dei* expungit; plene vtrumque legunt Catan. Boxh. & Veenh.

nomen) cognomen. *Catan.*

praeter illum) sc. fontem Clitumnum, qui quasi parem ceterorum discretorum a capite sc. Clitumno. *Herz.*

ponte transmittitur) Tacitus XV. c. 7. n. 3. *Euphratem ponte transmittebat.*

6. *in superiore parte*) iuxta pontem, non autem fontem propius, propter maiorem religionem. Infra ep. 20. n. 5. *Nulla in hoc* (lacu) *nauis: sacer enim est.* Buchn.

infra etiam natare) tamquam in loco mere profano. Nauigio enim minus profanari flumen putabant, quam nudo corpore & pudendis partibus: capita autem fluuiorum siue fontes soli deo seruabantur. Hinc Nero, quum nando fontem aquae Martiae incesserat, dicitur *caerimoniam loci toto corpore polluisse*. Tacit. XIV. c. 22. n. 7.

Hispellates) Hispellum, oppidum Vmbriae cis Apenninum, & colonia. Plin. maj. H. N. l. III. c. 14. Inscriptio apud Gruter. p. 351. n. 1.

COL. IVL. HISPELLI.

publice praebent) publico sumtu, sine cuiusquam

Nec

Nec desunt villae, quae sequuntae fluminis amoenitatem, margini insistunt. In summa, nihil 7
erit, ex quo non capias voluptatem. Nam studebis quoque, & leges multa multorum omnibus columnis, omnibus parietibus inscripta, quibus fons ille deusque celebratur. Plura laudabis, nonnulla ridebis: quamquam tu vero, quae tua humanitas, nulla ridebis. Vale.

IX.

C. PLINIVS VRSO SVO S.

Queritur, quod propter negotia non possit studiis operam dare.

Olim non librum in manus, non stilum sumsi. Olim nescio, quid sit otium, quid quies, quid denique illud iners quidem, iucundum tamen, nihil agere, nihil esse: adeo multa me negotia amicorum nec secedere nec studere patiuntur. Nulla enim studia tanti sunt, vt amicitiae 2
officium deseratur: quod religiosissime custodiendum studia ipsa praecipiunt. Vale.

---

impensa: quemadmodum *epulum publice praebere* Suetonius Vitell. c. 10. dixit. *Buchn.*

7. *quae tua humanitas*) cuius est ignoscere potius, quam ridere ac perstringere inepta. *Idem.*

Epist. IX. 1. *Olim*) Olim, hoc est, a longo tempore; iamdiu: vt supra I. 1. epist. 11. *Olim nullas mihi epistolas mittis.* Et Seneca ep. 77. *Olim iam nec perit quidquam mihi, nec adquiritur.*

otium, honestum & litteratum.

iners quidem, nihil agere) feriari a negotiis, vt vel animo vel corpori reficiendo vacemus.

2. *studia ipsa*) philosophia moralis, cuius pars non postremo de Amicitia est.

X.

C. PLINIVS FABATO PROSOCERO SVO S.

Abortum vxorem fecisse, prosocero cum spe foecunditatis significat, tristi quamquam experimento probata.

Quo magis cupis ex nobis pronepotes videre, hoc tristior audies, neptem tuam abortum fecisse, dum se praegnantem esse puellariter nescit; ac per hoc quaedam, custodienda praegnantibus, omittit, facit omittenda. Quem errorem magnis detrimentis expiauit, in summum pe-
2 riculum adducta. Igitur, vt necesse est, graviter accipias senectutem tuam quasi paratis posteris destitutam: sic debes agere diis gratias, quod ita tibi in praesentia pronepotes negauerint, vt seruarint neptem, illos reddituri, quorum nobis spem certiorem haec ipsa, quamquam pa-
3 rum prospere explorata, foecunditas facit, Iisdem nunc ego te, quibus ipsum me, hortor, moneo, confirmo. Neque enim ardentius tu pronepotes, quam ego liberos cupio: quibus videor a meo tuoque latere pronum ad honores iter, &

Epist. X. 1. *puellariter*) puellari simplicitate & imperitia. *custodienda*) obseruanda, vt epist. praecedente, *religiosissime custodiendum*. Plinius alter H. N. l. XXXV. c. 2. *ferias omni mense custodiunt*. Plura Buchnerus ad h. l. & in Lex. congessit.

2. *vt necesse est, graviter accipias*) sicut necesse est, vt graviter feras, senectutem tuam destitutam esse pronepotibus.

3. *latere*) stirpe, familia, paterni iuxta ac materni generis.

audita

audita latius nomina, & non subitas imagines relicturus. Nascantur modo, & hunc nostrum dolorem gaudio mutent. Vale.

XI.

C. PLINIVS HISPVLLAE SVAE S.

Hispullae, soceri sorori, eadem narrat, quae patri illius, prosocero suo, epistola praecedente.

Quum adfectum tuum erga fratris filiam cogito, etiam materna indulgentia molliorem; intelligo prius tibi, quod est posterius, nuntiandum, vt praesumta laetitia sollicitudini locum non relinquat: quamquam vereor, ne post gratulationem quoque in metum redeas; atque ita gaudeas periculo liberatam, vt simul, quod periclitata sit, perhorrescas. Iam hilaris, 2
iam sibi, iam mihi reddita, incipit refici, transmissumque discrimen conualescendo remetiri. Fuit alioqui in summo discrimine (impune dixisse liceat) fuit nulla sua culpa, aetatis aliqua. Inde

---

non subitas imagines) non recentem ac nouitiam nobilitatem, sed longa serie maiorum imaginibus illustratam. Adde lib. III. epist. 3. n. 7.

Ep. XI. 1. *fratris*) Calpurnii, patris Calpurniae, vxoris Plinii.

praesumta) ante percepta, vt lib. VI. epist. 10. n. 5. *officia heredum praesumere*, hoc est, anticipare.

2. *conualescendo remetiri*) dum sensim conualescit, sentit demum recogitando, in quanto periculo fuerit.

impune dixisse liceat) Culpam dum paene omnem ab vxore aufert, praeter exiguam aetatis: plurimam in deos vel tacite confert, ideoque his verbis veniam precatur, vt impune id egisse & dixisse liceat. Nostrates simili fere modo: *Gott verzeihe mirs.*

abortus,

abortus, & ignorati vteri triſte experimentum.
3 Proinde, etſi non contigit tibi deſiderium fratris amiſſi aut nepote vius aut nepte ſolari; memento tamen, dilatum magis iſtud, quam negatum, quum ſalua ſit, ex qua ſperari poteſt. Simul excuſa patri tuo caſum, cui paratior apud feminas venia eſt. Vale.

XII.

C. PLINIVS MINVTIANO SVO S.

Vnum diem excuſat Minutiano, Capitonem auditurus, cuius laudem praedicat.

Hunc ſolum diem excuſo. Recitaturus eſt Titinius Capito; quem ego audire, neſcio magis debeam, an cupiam. Vir eſt optimus, & inter praecipua ſeculi ornamenta numerandus: colit ſtudia, ſtudioſos amat, fouet, prouehit, multorumque, qui aliqua componunt, portus, ſinus, praemium, omnium exemplum; ipſarum

---

3. *excuſa caſum*) Vide mox ad n. 1. epiſt. ſeq.

paratior apud feminas) te femina deprecante facilius veniam nepti dabit. *Catan.*

Epiſt. XII. 1. *diem excuſo*) hoc eſt, me excuſo propter vnius diei abſentiam. Sic ſine epiſtolae praecedentis *excuſare caſum*, eſt parentes propter caſum abortus excuſare: ad quem locum Buchnerus adſert ex Sueton. Calig. c. 27. *excuſare valetudinem*; & Ner. c. 41. *languorem faucium.*

Titinius Capito) Supra lib. I. epiſt. 17.

ſeculi ornamenta) Lib. VI. epiſt. 11. n. 1. *Egregium par, temporibus noſtris ornamento futurum.*

ſinus) refugium, quo ſe conferant literarum cultores, tamquam liberi in ſinum parentis.

denique

denique litterarum iam senescentium reductor
ac reformator. Domum suam recitantibus prae- 2
bet; auditoria, non apud se tantum, benignitate
mra frequentat; mihi certe, si modo in vrbe est,
defuit nunquam. Porro, tanto turpius gratiam
non referre, quanto honestior caussa referendae.
An, si litibus tererer, obstrictum esse me crede- 3
rem obeunti ad vadimonia mea; nunc, quia mi-
hi omne negotium, omnis in studiis cura, minus
obligor tanta sedulitate celebranti, in quo obli-
gari ego, ne dicam solo, certe maxime possum?
Quod si illi nullam diem, nulla quasi mutua offi- 4
cia deberem; sollicitarer tamen vel ingenio ho-
minis pulcerrimo & maximo, & in summa seue-
ritate dulcissimo, vel honestate materiae. Scribit

---

2. *Domum suam praebet*) Dialog. de causs. corr. eloqu. c. 9. n. 6. *Domum mutuatur, & auditorium exstruit, & subsellia conducit.* Et Iuuenalis Sat. VII. v. 40.

Si dulcedine famae
Succensus recites, Maculonis commodat aedes.

Diuites ergo litterati suas domos poetis & aliis recitantibus commodabant. *Casaub. ad Theophr. p. 170.*

apud se) i. e. quae in sua domo habet. *Herz.*

3. *celebranti*) obeunti, frequentanti, puta studia & recitationes. Buchnerus Ciceronis illud confert de Oratore lib. I. c. 1. *Neque nobis fructus otii datus est ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas.*

ne dicam solo) Plures *foleo*; Casaub. *solo*, quasi dicat, se in eo solo obligari posse, nisi id esset inuidiosum.

4. *nullam diem*) Catanaeus ita, quod Gruterus Aldino *nullam vicem*, praefert. *Diem*, scilicet promissam.

Scribit exitus) Adde lib. I. ep. 17. n. 3.

exitus

exitus illustrium virorum, in iis quorumdam mihi
5 carissimorum. Videor ergo fungi pio munere, quorumque exsequias celebrare non licuit, horum quasi funebribus laudationibus, seris quidem, sed tanto magis veris, interesse. Vale.

XIII.

C. PLINIVS GENIALI SVO S.

Genialem felicem praedicat, quod docto patre vtatur, a quo institui & exemplum capere possit.

Probo, quod libellos meos cum patre legisti. Pertinet ad profectum tuum, a diligentissimo viro discere, quid laudandum, quid reprehendendum: simul ita institui, vt verum dicere adsuescas. Vides quem sequi, cuius debeas implere vestigia.
2 O te beatum! cui contigit viuum, atque idem optimum & coniunctissimum exemplar: qui denique eum potissimum imitandum habes, cui natura esse te simillimum voluit. Vale.

XIV.

C. PLINIVS ARISTONI SVO S.

Aristoni iurisconsulto quaestionem senatoriam, quamquam peracta re, explicandam proponit.

Quum sis peritissimus & priuati iuris & publici, cuius pars senatorium est, cupio ex te

---

Epist. XIII. 2. *viuum*) Gronouius restituit, estque praesens & animatum, non ex antiquitate repertum exemplum. Vulgo *vnum* legunt.

Epist. XIV. *Aristoni*] T. Salnio Aristoni, qui laudatus fuit lib. I. epist. 22.

1. *cuius pars senatorium*) Ius senatoris in curia, & potissi-

potissimum audire, errauerim in senatu proxime, necne: non vt in praeteritum (serum enim) verum vt in futurum, si quid simile inciderit, eruditiar. Dices: Cur quaeris, quod nosse debebas? 2
Priorum temporum seruitus, vt aliarum optimarum artium, sic etiam iuris senatorii oblivionem quamdam & ignorationem induxit. Quotus 3
enim quisque tam patiens, vt velit discere, quod in vsu non sit habiturus? Adde, quod difficile est tenere, quae acceperis, nisi exerceas. Itaque reducta libertas rudes nos & imperitos deprehendit: cuius dulcedine accensi cogimur quaedam facere ante, quam nosse. Erat autem antiquitus 4
institutum, vt a maioribus natu, non auribus modo, verum etiam oculis disceremus, quae facienda; mox ipsi, ac per vices quasdam, tradenda minoribus haberemus. Inde adolescentuli 5
statim castrensibus stipendiis imbuebantur, vt imperare parendo, duces agere, dum sequuntur, adsuescerent: inde honores petituri adsistebant curiae foribus, & concilii publici spectatores ante, quam consortes, erant. Suus cuique parens 6
pro magistro, aut cui parens non erat, maximus quisque & vetustissimus pro parente. Quae po-

---

ordo ac modus consultandi, quia publicae dignitatis sunt, ad ius publicum pertinebant, quod Vlpiano Leg. 1. D. de Iust. est illud, *quod statum rei Romanae spectat.*

2. *debebas*) Gronou. pro vulgato *debeas*.

priorum temporum seruitus) sub Domitiano, de qua Tacitus Agric. 2. grauissime disseruit.

3. *reducta libertas*] a Nerua & Traiano.

6. *vetustissimus*) senior, natu maximus, Ita saepe testas

testas referentibus, quod censentibus ius, quae vis magistratibus, quae ceteris libertas; vbi cedendum, vbi resistendum; quod silentii tempus, quis dicendi modus, quae distinctio pugnantium sententiarum, quae exsecutio prioribus aliquid addentium, omnem denique senatorium morem, quod fidelissimum praecipiendi genus, exemplis
7 docebantur. At nos iuuenes fuimus quidem in castris; sed quum suspecta virtus, inertia in pretio, quum ducibus auctoritas nulla, nulla militibus verecundia, nusquam imperium, nusquam obsequium, omnia soluta, turbata, atque etiam

---

Tacitus: Vt. *vetustissimus liberorum*, Annal. l. II. c. 2. n. 1; *vetustissimus quisque e senatu*, lib. XI. c. 25. n. 2. *militum*, hist. I. c. 23. n. 2; *consularium*, l. II. c. 37. n. 2.

referentibus, quod censentibus) distincta iura, *referre ad senatum*, h. e. ad deliberandum proponere: & *censere*, id est, sententiam ferre: neque promiscue omnibus senatoribus vel vtrumque vel alterutrum concessum fuit, sed nobilioribus.

quae vis magistratibus) Qui magistratum gerebant, singulare ius in senatu habuere, praetores, aediles, tribuni, quo alii senatores caruerunt.

quae ceteris libertas] ceteris senatoribus, qui ius censendi & referendi nondum consequuti erant. Add. Gell. lib. III. c. 18.

praecipiendi genus) docendi, instituendi. De institutione per exempla, noster quoque Panegyr. c. 45. extr. & Seneca epist. 6. agit, qui id *breue & efficax iter* vocat.

7. *in castris*) in Syria tribunus noster militauit. *Lib. III. epist.* 11. *n.* 5.

suspecta virtus) tyrannis, tum Domitiano, qui *infensus virtutibus* erat, Tac. Agr. c. 41. quod metuebat, ne virtute aliorum subuerteretur.

in

in contrarium versa, postremo obliuiscenda magis, quam tenenda. Iidem prospeximus curiam; 8
sed curiam trepidam & elinguem; quum dicere, quod velles, periculosum; quod nolles, miserum esset. Quid tunc discI potuit; quid didicisse iuuit, quum senatus aut ad otium summum, aut ad summum nefas vocaretur? & modo ludibrio, modo dolori retentus, nunquam seria, triftia saepe censeret? Eadem mala iam senatores, iam 9
participes malorum, multos per annos vidimus, tulimusque: quibus ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt. Breue 10
tempus (num tanto breuius omne, quanto felicius tempus) quo libet scire, quod scimus; libet exercere, quod sumus. Quo iustius peto; primum vt errori (si quis est error) tribuas veniam, deinde medearis scientia tua, cui semper fuit curae, sic iura publica, vt priuata; sic antiqua, vt retentia; sic rara, vt assidua, tractare. Atque 11
ego arbitror illis etiam, quibus plurimarum rerum agitatio frequens nihil esse ignotum patie-

---

8. *aut ad summum nefas*) vt adprobaret, iuuaret Domitiani decreta & facta exitialia.

9. *hebetata, fracta*] quia tardiora remedia, quam mala. *Tac. Agr. c.* 3.

10. *quo libet scire, quod scimus*) Buchneri emendatio: hoc est, eodem interprete: quo delectat & gratum est scire, quod scimus, vel didicimus. Sub tyranno enim, *quid didicisse iuuit?* n. 8.

quod sumus) libertatem exercere, quod sumus liberi.

cui semper fuit curae) hoc est Casauboni ingenio. Vulgatum olim *superfuit curae*.

11. *agitatio*] exercitatio vsus

batur,

batur, genus quaestionis, quod adfero ad te, aut non satis tritum, aut etiam inexpertum fuisse. Hoc & ego excusatior, si forte sum lapsus, & tu dignior laude, si potes id quoque docere, quod
12 in obscuro est, an didiceris. Referebatur de libertis Afranii Dextri consulis, incertum sua an suorum manu, scelere an obsequio, peremti. Hos alius, (Quis? Ego; sed nihil refert) post quaestionem supplicio liberandos, alius in insulam relegandos, alius morte puniendos arbitrabatur. Quarum sententiarum tanta diuersitas
13 erat, vt non possent esse, nisi singulae. Quid enim commune habet, occidere & relegare? Non hercule magis, quam relegare & absoluere: quamquam propior aliquanto est sententiae relegantis, quae absoluerit, quam quae occiderit. Vtraque enim ex illis vitam relinquit, haec adimit: quum interim & qui morte puniebant, & qui relegabant, vna sedebant, & temporaria simu-
14 latione concordiae discordiam differebant. Ego postulabam, vt tribus sententiis constaret suus numerus, nec se breuibus induciis duae iungerent. Exigebam ergo, vt, qui capitali supplicio

---

13. *discordiam*) i. e. ab illis, qui iudicabant *absolutionem*, secedebant; qui *relegationem* censebant cum illis, qui *occisionem* pronuntiabant, vt sententia *absolutionis* vinceretur, quum tamen ipsi de sententia *relegationis* & *occisionis* sint litigaturi. *Herz.*

14. *breuibus induciis*) Induciae, pax temporaria, ad certum tempus inita. Coierant enim duae sententiae, vt tertiam debellarent; mox ipsae inter se depugnaturae.

adsi-

adficiendos putabant, discederent a relegante, nec interim contra absoluentes mox dissensuri congregarentur, quia paruulum referret, an idem displiceret, quibus non idem placuisset. Illud 15
etiam mihi permirum videbatur, eum quidem, qui libertos relegandos, seruos supplicio adficiendos censuisset, coactum esse diuidere sententiam: hunc autem, qui libertos morte multaret, cum relegante numerari. Nam si oportuisset diuidi sententiam vnius, quia res duas comprehendebat, non reperiebam, quemadmodum posset iungi sententia duorum tam diuersa censentium. At- 16
que adeo permitte mihi, sic apud te tamquam ibi; sic peracta re, tamquam adhuc integra, rationem iudicii mei reddere: quaeque tunc carptim, multis obstrepentibus, dixi, per otium iungere. Fin- 17
gamus, tres omnino iudices in hanc caussam datos esse: horum vni placuisse, perire libertos; alteri, relegari; tertio, absolui: vtrumne sententiae duae, collatis viribus, nouissimam periment, an separatim vnaquaeque tantumdem, quantum altera, valebit? nec magis poterit cum secunda prima connecti, quam secunda cum ter-

15. *diuidere sententiam*] Quum quis in dicenda sententia duas pluresue res complexus esset, verbo DIVIDE, seiungere illas iubebatur, vt de singulis distincte censeretur. Exempla habes apud Ciceronem pro Milone c. 6. vbi Asconium; & l. I. ep. 2. ad Lentulum, vbi Manutium iuuabit consulere. Seneca ep. 21. e curia ad philosophiam transfert. *Quod fieri*, inquit, *in senatu solet, faciendum ego in philosophia quoque existimo, quum censuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, iubeo illum diuidere sententiam, & sequor.*

tia?

18 tia? Igitur in senatu quoque numerari, tamquam contrariae, debent, quae tanquam diuersae dicuntur. Quod si vnus atque idem & perdendos censeret & relegandos, num ex sententia vnius & perire possent & relegari? num denique omnino vna sententia putaretur, quae tam diuersa coniunge-
19 ret? Quemadmodum igitur, quum alter puniendos, alter censeat relegandos, videri potest vna sententia, quae dicitur a duobus: quae non videretur vna, si ab vno diceretur? Quid? lex non aperte docet, dirimi debere sententias occidentis & relegantis, quum ita discessionem fieri iubet; QVI HAEC SENTITIS, IN HANC PARTEM: QVI ALIA OMNIA, IN ILLAM PARTEM ITE, QVA SENTITIS? Examina singula verba & expende, QVI HAEC CENSETIS, hoc est, qui relegandos putatis: IN HANC PARTEM, id est, in eam, in qua sedet, qui censuit relegandos.
20 Ex quo manifestum est, non posse in eadem parte remanere eos, qui interficiendos arbitrantur. QVI ALIA OMNIA; animaduertis, vt non contenta lex dicere ALIA, addiderit OMNIA. Num ergo dubium est, alia omnia sentire eos, qui occidunt, quam qui relegant? IN ILLAM PARTEM ITE, QVA SENTITIS; nonne videtur ipsa lex eos, qui dissentiunt, in contrariam partem vocare, cogere, impellere? non consul

---

19. *qua sentitis*) cum qua.

Qui haec censetis) Antea legis verbum *sentitis*, attulerat: nunc mutatum repetit, vel potius explicat.

20. *non consul etiam*) Vulgatum erat *non consu-*

etiam,

etiam, vbi quisque remanere, quo transgredi debeat, non tantum solemnibus verbis, sed manu gestuque demonstrat? At enim futurum est, vt, si diuidantur sententiae interficientis & relegantis, praeualeat illa, quae absoluit. Quid istud ad censentes? quos certe non decet omnibus artibus, omni ratione pugnare, ne fiat, quod est mitius: oportet tamen eos, qui (morte) puniunt, & qui relegant, absoluentibus primum, mox inter se comparari; scilicet vt in spectaculis quibusdam sors aliquem seponit ac seruat, qui cum victore contendat: sic in senatu sunt aliqua prima, sunt secunda certamina: & ex duabus sententiis eam, quae superior exierit, tertia exspectat. Quid? quod, prima sententia comprobata, ceterae perimuntur. Qua ergo ratione potest esse non vnus atque idem locus sententiarum, quarum

21

22

lere, vel *num consulere*. Vtrumque mendose. Gronouius: *non consul? en* &c. quem sequimur, inducta tamen *en* particula, & alia incisione leuius breuiusque facta.

21. *morte puniunt*) inclusum addit Sich.

sors aliquem seponit) Fesso aut victo gladiatori alius atque alius sufficiebatur, vt contenderet cum victore. Hi *Subditicii*, aut *Suppositicii* dicti, ac sorte legebantur. Vid. Lipsi. Saturn. II, 14.

22. *Quid? quod perimuntur*) Responsio est ad ea, quae ex comparatione gladiatorum obiecta fuerant, non posse inter se duas sententias committi, quarum vtramque tertia iam peremisset. Quod clarius n. 23. exponitur, frustra dissentiri ab eo, cui paullo ante consenserint.

23 nullus est postea? Planius repetam. Nisi, dicente sententiam eo, qui relegat, illi, qui puniunt capite, initio statim in alia discedunt, frustra postea dissentient ab eo, cui paullo ante consense-
24 rint. Sed quid ego similis docenti, quum discere velim, an sententias diuidi, an iri in singulas, oportuerit? Obtinui quidem, quod postulabam; nihilominus tamen quaero, an postulare debuerim, an abstinere, quemadmodum abstinuit is, qui vltimum supplicium sumendum esse censebat. Nescio, an iure, certe aequitate postulationis meae victus, omissa sententia sua, accessit relegan-ti: veritus scilicet, ne, si diuiderentur sententiae (quod alioqui fore videbatur) ea, quae absoluendos esse censebat, numero praeualeret. Etenim longe plures in hac vna, quam in duabus
25 singulis, erant. Tum illi quoque, qui auctoritate eius trahebantur, transeunte illo, destituti, reliquerunt sententiam ab ipso auctore desertam, sequutique sunt quasi transfugam, quem ducem
26 sequebantur. Sic ex tribus sententiis duae factae; tenuitque ex duabus altera, tertia expulsa,

---

24. *an sententias diuidi, an iri*) De repetito *An*, ad lib. VI. epist. 16. n. 15. diximus.

quod postulabam) vt diuiderentur.

vltimum supplicium) mortis. Adde supra lib. II. epist. 11. n. 8. *Vltimum* autem, quia maior poena infligi non poterat; mitius exsilium, poena Romanorum ordinaria.

numero praeualeret) quia numerabantur sententiae, non ponderabantur, lib. II. epist. 12. n. 5.

quae

quae quum ambas superare non posset, elegit, ab vtra vinceretur. Vale.

XV.

C. PLINIVS IVNIORI SVO S.

Excusat se, quod multa volumina legenda misisset, quoniam propter graciles vindemias illi vacare intellexerat.

Oneraui te tot pariter missis voluminibus. Sed oneraui, primum, quia exegeras; deinde, quia scripseras tam graciles istic vindemias esse, vt plane scirem tibi vacaturum (quod vulgo dicitur) librum legere. Eadem ex meis agellis nuntiantur. Igitur mihi quoque licebit scribere, 2
quae legas, sit modo, vnde chartae emi possint: quae si scabrae bibulaeue sint, aut non scribendum, aut necessario, quidquid scripserimus boni maliue, delebimus. Vale.

Epist. XV. *Iuniori*) Terentio Iuniori, cuius honestissimum otium lib. VII. epist. 25. n. 2. laudatur.

graciles vindemias) Vindemiae *graciles* lib. IX. ep. 20. opponuntur *vberibus*.

quod vulgo dicitur) Significat prouerbium Romanis fuisse, si non sint vuae, quas legant, librum legendum esse.

2. *scabrae*) non laeuigatae.

necessario delebimus) si omnino in charta scabra bibulaue scripsero, ea deformitas scripturae erit, vt deleuisse magis, quam scripsisse, videri possim.

XVI.

C. PLINIVS PATERNO SVO S.

De morbis & morte seruorum queritur, additis solatiis, quibus se quomodocumque sustenter.

Confecerunt me infirmitates meorum, mortes etiam, & quidem iuuenum. Solatia duo, nequaquam paria tanto dolori, solatia tamen: vnum facilitas manumittendi (videor enim non omnino immaturos perdidisse, quos iam liberos perdidi) alterum, quum permitto seruis quoque quasi testamenta facere, eaque, vt
2 legitima, custodio. Mandant rogantque, quod visum: pareo ocius: Suis diuidunt, donant; relinquunt dumtaxat intra domum. Nam seruis respublica quaedam & quasi ciuitas domus est.
3 Sed quamquam his solatiis adquiescam, debilitor & frangor eadem illa humanitate, quae me, vt hoc ipsum permitterem, induxit. Non ideo tamen velim durior fieri: nec ignoro, alios huiusmodi casus nihil amplius vocare, quam

---

Ep. XVI. 1. *mortes etiam*) Ne timeas multitudinis numero. Etiam Cicero I. Tusc. c. penult. *clarae mortes pro patria oppetitae.* Et de Finib. II. c. 30. *praeclarae mortes sunt imperatoriae.* Seneca Tranquill. c. 8. *mortes, aegrotationes.*

quasi testamenta) quia iure seruī non poterant testamenta facere.

custodio) rata habeo, obseruo.

2. *intra domum*) intra domesticos & conseruos.

3. *nihil amplius vocare*) A *damno* vt leuiore, vtpote rei agrariae, pecorariae, distinguit *casus* humanos, mortes suorum, tamquam animum, vt par est, fortius percellentes.

damnum;

damnum; eoque sibi magnos homines & sapientes videri. Qui an magni sapientesque sint, ne- 4
scio: homines non sunt. Hominis est enim adfici dolore, sentire; resistere tamen, & solatia admittere, non solatiis non egere. Verum de his 5
plura fortasse, quam debui, sed pauciora, quam volui. Est enim quaedam etiam dolendi voluptas: praesertim si in amici sinu defleas, apud quem lacrymis tuis vel laus sit parata, vel venia. Vale.

XVII.

C. PLINIVS MACRINO SVO S.

Exundationem Tiberis & Anienis narrat, rogans vt sibi nuntietur, si quid simile in Transpadana accidisset.

Num istic quoque immite & turbidum coelum? Hic assiduae tempestates, & crebra diluuia. Tiberis alueum excessit, & demissio- 2
ribus ripis alte superfunditur. Quamquam fossa,

---

4. *adfici dolore*) casibus tangi humanis. Non enim rupes est, vt nullum sensum admittat; qua similitudine Seneca ep. 71. quod Catanaeus obseruauit, eamdem rem illustrat. *Non educo*, inquit, *sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente, submoueo.*

5. *dolendi voluptas*) Ouidius IV. Trist. eleg. 3.

Est quaedam flere voluptas:
Auferitur lacrymis egeriturque dolor.

Epist. XVII. 1. *istic*) Brixiae, trans Padum, vt ex l. 1. ep 14. n. 4. 5. apparet.

Hic) Romae & circumiacente agro.

Tiberis alueum excessit) vt saepe contigit, e. g. sub Augusto, *Horat. I. od.* 2. sub Othone, Tac. hist I. c. 86.

quam prouidentissimus imperator fecit, exhaustus, premit valles, innatat campis; quaque planum solum, pro solo cernitur. Inde, quae solet flumina accipere, & permista deuehere, velut obuius retro cogit; atque ita alienis aquis operit agros, quos ipse non tangit. 3 Anio, delicatissimus amnium, ideoque adiacentibus villis velut inuitatus retentusque, magna ex parte nemora, quibus inumbratur, & fregit & rapuit. Subruit montes, & decidentium mole pluribus locis clausus, dum amissum iter quaerit, impulit 4 tecta, ac se super ruinas euexit atque extulit. Viderunt hi, quos excelsioribus terris illa tempestas non deprehendit, alibi diuitum apparatus, & grauem supellectilem, alibi instrumenta ruris: ibi boues, aratra, rectores; hic soluta & libera armenta; atque inter haec arborum truncos, aut villarum trabes atque culmina, varie

---

2. *prouidentissimus imperator*) Traianus.

fossa exhaustus) Sic etiam iusta Euphratem Babylone ingentes cauernae depressae ad impetum fluminis accipiendum, quum crepidinis fastigium excessisset. *Curt. Lib. V. c. 1. n. 28.*

quaque planum solum, pro solo) Lipsio (ad Taciti Annal. I. extr.) placet; *quaque planum, solus pro solo cernitur.*

3. *Anio, delicatissimus*) placide fluens, nec facile in exundationem excrescens. Alibi *delicata* aqua ad saporem & salubritatem refertur. Curtius lib. V. c. 2. n. 9. de Choaspe Susianes: *delicatam, vt fama est, vehens aquam.* Adde Herodot. I, 188.

4. *grauem supellectilem*) pretiosam. Barthius *gratam.*

lateque

lateque fluitantia. Ac ne illa quidem loca malo 5
vacauerunt, ad quae non adscendit amnis. Nam
pro amne imber assiduus, & deiecti nubibus
turbines: proruta opera, quibus pretiosa rura
cinguntur: quassata atque etiam decussa moni-
menta. Multi eiusmodi casibus debilitati, ob-
ruti, obtriti, & aucta luctibus damna. Ne quid 6
simile istic, pro mensura periculi, vereor: teque
rogo, si nihil tale est, quam maturissime sollici-
tudini meae consulas: sed &, si tale, id quoque
nunties. Nam paruulum differt, patiaris ad-
uersa, an exspectes: nisi quod tantum est dolendi
modus, non est timendi. Doleas enim, quantum
scias accidisse; timeas, quantum possit accidere.
Vale.

XVIII.

C. PLINIVS RVFINO SVO S.

Domitium Tullum laudat, qui moribus cetera non probatissimis, testamentum fecerat honestissimis, positabitis captatoribus, & scriptis vnice, quos pietas iubebat.

Falsum est nimirum, quod creditur vulgo, te-
stamenta hominum speculum esse morum:
quum Domitius Tullus longe melior apparuerit

---

5. *proruta opera*) Aldus & Sich. ita: alii *prorupta*. Sunt autem *opera*, sepimenta, aggeres, quibus praedia cinguntur.

debilitati) mutilati. Sic eodem verbo vsus Suetonius Aug. c. 43. & Curtius lib. IV. c. 16. n. 11. voce *debilis*.

2 morte, quam vita. Nam, quum se captandum praebuisset, reliquit filiam heredem, quae illi cum fratre communis, quia genitam fratre adoptauerat. Prosequutus est nepotes plurimis iucundissimisque legatis; prosequutus etiam pronepotem. In summa, omnia pietate plenissima; ac tanto magis, quoniam inexspectata
3 sunt. Ergo varii tota ciuitate sermones: alii fictum, ingratum, immemorem loquuntur, seque ipsos, dum insectantur illum, turpissimis confessionibus produnt, qui de illo, vti de patre, auo, proauo, quasi orbi, querantur: alii contra hoc ipsum laudibus ferunt, quod sit frustratus improbas spes hominum: quos sic decipere, pro moribus temporum, prudentia est. Addunt etiam, non fuisse ei liberum, alio testamento mori; neque enim reliquisse opes filiae, sed reddidisse, quibus auctus per filiam fuerat.
4 Nam Curtilius Mancia, perosus generum suum Domitium Lucanum (frater est Tulli) sub ea conditione filiam eius, neptem suam, instituerat

---

Ep. XVIII. 2. *se captandum*) Captare est hereditatis consequendae caussa orbos diuites ac senes blanditiis, obsequiis & muneribus colere. Hinc Scholiastes Iuuenalis Satyr. V. v. 98. *captatorem* interpretatur *heredipetam*. Adde supra lib. IV. epist. 2. n. 2.

3. *fictum*) simulatorem. Horatius lib. I. Sat. 3. v. 62. *fictum astutumque* coniunxit.

confessionibus produnt) se captatores & heredipetas fuisse.

improbas spes) captandi alienas hereditates.

4. *Curtilius Mancia*) Tacit. lib. XIII. c. 56. n. 3.

here-

heredem, si esset manu patris emissa. Emiserat pater, adoptauerat patruus: atque ita circumscripto testamento, consors frater in patris potestate, emancipatam filiam adoptionis fraude reuocauerat, & quidem cum opibus ampliſſimis. Fuit alioqui fratribus illis quasi fato datum, vt diuites fierent inuitiſſimis, a quibus facti sunt. Quin etiam Domitius Afer, qui illos in nomen adsumsit, reliquit testamentum ante octo & decem annos nuncupatum; adeoque postea improbatum sibi, vt patris eorum bona proscribenda curauerit. Mira illius asperitas, mira felicitas

manu patris emissa) emancipata. Improprie. Nam manumissio seruorum est: emancipatio liberorum.

adoptauerat) adrogauerat. Adoptio enim est filii familias: haec autem emancipata & sui iuris erat. Vide Leg. 1. Dig. de Adoption.

circumscripto testamento) fraude adoptionis vel adrogationis fraternae circumuento & eluso.

consors frater) singulari pacto & clanculario. Nam Curtilius ideo neptem sub conditione emancipationis heredem scripsit, vt pater eius, quem oderat, nullum fructum ex hereditate caperet: is vero cum fratre sub lege consortii egit, vt emancipatam adoptaret, quo heres illa diuitis aui facta, patri & patruo vsumfructum hereditatis communiter, ex pacto & consortio, adferret.

5. *Domitius Afer*) lib. II. epist. 14 n. 9.

in nomen adsumsit) adoptauit. Adoptionem enim nominis adsumtio sequitur.

nuncupatum) pronuntiatum, verbis expressum: non scriptum tantummodo. Nuncupatio enim fiebat, vt audirent testes: scriptio etiam ignorantibus illis. Vide legem 21. Dig. *Qui testamenta.*

eorum) Lucani atque Tulli.

bona proscribenda curauerit) dum apud malum principem effecit, vt pater illorum proscriberetur.

horum: illius asperitas, qui numero ciuium excîdit, quem socium etiam in liberis habuit; felicitas horum, quibus successit in locum patris, qui patrem abstulerat. Sed haec quoque hereditas Afri, vt reliqua cum fratre quaesita, transmittenda erant filiae fratris: a quo Tullus ex asse heres institutus, praelatusque filiae fuerat, vt reconciliaretur. Quo laudabilius testamentum est, quod pietas, fides, pudor, scripsit: in quo denique omnibus adfinitatibus, pro cuiusque officio, gratia relata est, relata & vxori. Accepit amoenissimas villas, accepit magnam pecuniam vxor optima & patientissima: ac tanto melius de viro merita, quanto magis est reprehensa, quod nupsit. Nam mulier natalibus clara, moribus proba, aetate decliuis, diu vidua, mater olim, parum decore sequuta matrimonium videbatur diuitis senis, ita perditi morbo, vt esse taedio posset vxori, quam iuuenis sanus-

---

6 *excîdit*) correcta penultima: quod aptius est periodi numero, quam *excidit* Casauboni, qui litterae adpositu transitiuam significationem commendauit, quam etiam solo accentu obtinemus.

7. *hereditas transmittenda erant*) Syllepsis, similis syllepsi casuum. Nam, *vt reliqua quaesita*, valet *cum reliquis*, qui vsitatior modus huius syllepsis est, de quo plura ad Nepotis Phocion. c. 2. n. 2. diximus.

reconciliaretur) rediret in gratiam cum filia, quam laeserat pater emancipatione.

8. *natalibus clara*) Supra lib. VI. epist. 23. n. 3.

perditi morbo) paralysi, vel chiragra ac podagra. Nam *membris extortus & fractus* post paullo n. 9. dicitur.

que

que duxisset. Quippe omnibus membris extor- 9
tus & fractus tantas opes solis oculis obibat: ac
ne in lectulo quidem, nisi ab aliis, mouebatur.
Quin etiam (foedum miserandumque dictu)
dentes lauandos fricandosque praebebat. Au-
ditum est frequenter ab ipso, quum quereretur de
contumeliis debilitatis suae, se digitos seruorum
suorum quotidie lingere. Viuebat tamen, & 10
viuere volebat, sustentante maxime vxore; quae
culpam inchoati matrimonii in gloriam perseue-
rantia verterat. Habes omnes fabulas vrbis. 11
Iam sunt venales tabulae Tulli: exspectatur au-
ctio. Fuit enim tam copiosus, vt amplissimos
hortos eodem, quo emerat, die instruxerit pluri-
mis & antiquissimis statuis. Tantum illi pulcer-
rimorum operum in horreis, quae negligebantur.
Inuicem tu, si quid istic epistola dignum, ne gra- 12

9. *foedum miserandumque*) foedum, alienos digitos, vt seruorum lingere, quia ipsa non valebat suis dentes & os emundare, quod miserandum erat.

10. *viuere volebat*) non mortem sibi inedia, aut aliter, arcessere, vt multi fecerunt dolore victi.

11. *Iam sunt*) Plerique libri *Nam*. Boxh. *Iam*, quod Buchnero etiam placebat: Casaub. *Nunc*.

tabulae) pictae, quae *signis*, tamquam sculptis simulacris atque statuis opponuntur.

operum in horreis) statuarum & tabularum pictarum in armariis & receptaculis huiusmodi rerum. *Horrea* enim non tantummodo frumenti fuerunt, sed etiam *vinaria horrea*, Lege 7. Dig. de instr. & instrum. & *horreum, vbi pretiosissimam partem fortunarum reponunt*, in quo *armarium vel area* sunt, Lege 3. §. 2. D. de Praef. vigil.

uare scribere. Nam quum aures hominum nouitate laetentur, tum ad rationem vitae exemplis erudimur. Vale.

XIX.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Infirmitate & mortibus suorum turbatus solatium in litteris quaerit, & librum emendandum mittit.

Et gaudium mihi & solatium in litteris; nihilque tam laetum, quod his laetius; nihil tam triste, quod non per has sit minus triste. Itaque & infirmitate vxoris, & meorum periculo, quorumdam vero etiam morte, turbatus, ad vnicum doloris leuamentum studia confugio; quae praestant, vt aduersa magis intelligam, sed patientius feram. 2 Est autem mihi moris, quod sum daturus in manus hominum, ante amicorum iudicio examinare, inprimis tuo. Proinde, si quando, nunc intende libro, quem cum hac epistola accipies: quia vereor, ne ipse, vt tristis, parum intenderim. Imperare enim dolori, vt scriberem, potui; vt vacuo animo laetoque, non potui. Porro, vt ex studiis gaudium, sic studia hilaritate proueniunt. Vale.

12. *laetentur*) Sich. ita, & Liuineius ad Mamerti Paneg. Maximiani c. 1. Alii *laetantur*. Add. l. VII. ep 8. n. 3.

Epist. XIX. 1. *turbatus*) moerore ac sollicitudine anxius. Sueton. Aug. c. 17. *turbatus nuntiis de defectione militum.*

ad studia confugio) Cicero ad Curionem lib. VII. fam. epist. 30. *Quae quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiae portum contulissem.*

hilaritate proueniunt) Ouid. Trist. l. 1. eleg. 1. v. 39. *Carmina proueniunt animo deducta sereno.*

XX.

XX.

C. PLINIVS GALLO SVO S.

Miranda lacus Vadimonis denarrat.

Ad quae noscenda iter ingredi, transmittere mare solemus, ea sub oculis posita negligimus: seu quia ita natura comparatum, vt proximorum incuriosi, longinqua sectemur; seu quod omnium rerum cupido langueſcit, quum facilis occasio est; seu quod differimus, tamquam saepe visuri, quod datur videre, quoties velis cernere. Quacumque de causſa, permulta in vrbe nostra, 2
iuxtaque vrbem, non oculis modo, sed ne auribus quidem nouimus: quae si tulisset Achaia, Aegyptus, Asia, aliaue quaelibet miraculorum ferax commendatrixque terra; audita, perlecta, lustrataque haberemus. Ipse certe nuper, quod 3
nec audieram ante, nec videram, audiui pariter & vidi. Exegerat prosocer meus, vt Amerina praedia sua inspicerem. Haec perambulanti mihi ostenditur subiacens lacus, nomine Vadimonis;

Ep. XX. 1. *proximorum incuriosi*) Nam, vt Plinius maior H.N. lib. XXXV. c. 10. dixit, *sordent plerumque domesſica*.

3 *Amerina praedia*) non tam sita trans Tiberim in Vmbria, cuius extremum oppidum Ameria est; quam cis flumen in Etruria, circa *Castellum Amerinum*, vbi lacus est Vadimonis

nomine Vadimonis) Vadimonis lacus in Etruria, tertio a Tiberi milliario, inter confluentem Naris & Falerios, e regione Ameriae, trans Tiberim in Vmbria sitae, prope Castellum Amerinum, quod cis flumen fuit. Memorarunt hunc lacum Polybius II, 20 qui Οὰδμονα λίμνην, penultima breui, nominat: Liuius IX. c. 39. & Florus I. c. 13. vbi Freinshemius obseruauit, non inueniri

simul quaedam incredibilia narrantur. Perueni
4 ad ipsum. Lacus est in similitudinem iacentis rotae circumscriptus, & vndique aequalis; nullus finus, obliquitas nulla, omnia dimensa, paria, & quasi artificis manu cauata & excisa. Color caeruleo albidior, viridiore pressior: sulphuris odor, saporque medicatus: vis, qua fracta solidantur: spatium modicum, quod tamen sentiat
5 ventos, & fluctibus intumescat. Nulla in hoc nauis (sacer enim est) sed innatant insulae herbidae, omnes arundine & iunco tectae, quaeque alia foecundior palus, ipsaque illa extremitas lacus effert. Sua cuique figura, vt modus: cunctis margo derasus, quia frequenter vel littori vel sibi illisae terunt terunturque. Par omnibus altitudo, par leuitas: quippe in speciem carinae
6 humili radice descendunt. Haec ab omni latere

---

casum rectum huius nominis. Insulas in eo natantes etiam Plinius alter II. c. 95. & Seneca Quaest. Natur. III. c. 25. scripserunt.

4. *viridiore pressior*) Ex Barthii & Buchneri coniectura. Vulgo, *viridior & pressior*. In Aldina *viridior* non apparet.

5. *tectae*) Casaub. cum Lectio *textae*, idque illustrans ex Lege penult. D. de adquir. rer. dom. §. 2. vbi insula memoratur, *quae non ipsi aluéo fluminis cohaereat, sed virgultis aut alia qualibet leni materia ita sustineatur in flumine, vt solum eius non tangat, atque ipsa moueatur.* Buchnerus ob ea, quae sequuntur, *tectae* manult, vt ad superficiem referatur.

vt modus) Sic Ald. & Sich. scribunt: alii *motus*, cuius rationem Gruterus exputare non potuit. *Modus* autem mensura & spatium est.

humili radice) non profunda. Vt enim *altus* saepe per-

perſpicitur: eadem aqua pariter ſuſpenſa & merſa. Interdum iunctae copulataeque & continenti ſimiles ſunt; interdum diſcordantibus ventis digeruntur; nonnunquam deſtitutae tranquillitate ſingulae fluitant. Saepe minores maioribus, velut cymbulae onerariis, adhaereſcunt; ſaepe inter ſe maiores minoresque quaſi curſum certamenque deſumunt; rurſus omnes in eumdem locum appulſae, qua ſteterunt, promouent terram, & modo hac, modo illac, lacum reddunt auferuntque; ac tum demum, quum medium tenuere, (non) contrahunt. Conſtat, pecora herbas ſequuta, ſic in inſulas illas, vt in extremam ripam, procedere ſolere, nec prius intelligere mobile ſolum, quam littore abrepta, quaſi illata & impoſita, circumfuſum vndique lacum pauent; mox quo tulerit ventus egreſſa, non magis ſe deſcendiſſe ſentire, quam ſenſerint adſcendiſſe. Idem lacus in flumen egeritur; quod vbi ſe paul- 7 8 9

profunditatis verbum eſt; ſic *humile*, quod profundo eſt contrarium.

6. *deſtitutae tranquillitate*) deſtitutae, Catanaeo *ſeiunctae*: Buchnero *ſtatutae, ſiſti ſolitae*; quemadmodum Naeuius apud Nonium, *In alto*, inquit, *nauem iubet deſtitui ancoris*. Poſſis etiam interpretari, turbulento motu deſtitutae per tranquillitatem.

7. *onerariis*) Ald. Sich. Grut. confirmant lectionem; quidam *onerariae*, male.

curſum deſumunt) concurrunt. *Catan.*

non contrahunt) Tollit *non* Gruterus, vt contrahi & arctior fieri tum demum lacus videatur, quum innatantes inſulae omnes verſantur circa eius centrum.

8. *egreſſa*) ſc. pecora.

liſper

lisper oculis dedit, specu mergitur, alteque conditum meat: ac, si quid, ante quam subducere-
10 tur, accepit, seruat & profert. Haec tibi scripsi, quia nec minus ignota quam mihi, nec minus grata credebam. Nam te quoque, vt me, nihil aeque ac naturae opera delectant. Vale.

XXI.

C. PLINIVS ARRIANO SVO S.

Grauiora se studia distinguere lusibus, exemplo recitati poematum libri ostendit.

Vt in vita, sic in studiis pulcerrimum & humanissimum existimo, seueritatem comitatemque miscere, ne illa in tristitiam, haec in
2 petulantiam procedat. Qua ratione ductus, grauiora opera lusibus iocisque distinguo. Ad hos proferendos & tempus & locum opportunissimum elegi; vtque iam nunc adsuescerent & ab otiosis & in triclinio audiri, Iulio mense, quo maxime lites interquiescunt, positis ante lectos
3 cathedris, amicos collocaui. Forte accidit, vt eo die mane in aduocationem subitam rogarer:

---

9. *seruat & profert*) Si quid iniectum fuit flumini, antequam specu mergatur; id seruatur subter terram, & vbi emergit flumen, in lucem profertur.

Ep. XXI 2. *Iulio mense, quo lites*) Messis tempore cessabant lites & iudicia. Statius IV. Silu. IV. v. 39.

Certe iam Latiae non miscent iurgia leges,
Et pacem piger annus habet, messesque reuersae
Dimisere forum.

Eadem ratio vindemiarum, Lege 1. Dig. de feriis, in principio. Vnde *gemini menses* cessationis forensis, aestiuus & autumnalis, Lege 7. Cod. de feriis.

3. *eo die mane in aduocationem*) Ita cessauerant Iu-

quod

quod mihi causſam praeloquendi dedit. Sum enim deprecatus, ne quis vt irreuerentem operis argueret, quod recitaturus, quamquam & amicis, & paucis, idem iterum amicis, foro & negotiis non abſtinuiſſem. Addidi, hunc ordinem me & in ſcribendo ſequi, vt neceſſitates volupt tibus, ſeria iucundis anteferrem, ac primum amicis, tum mihi ſcriberem. Liber fuit & opuſculis 4
varius & metris. Ita ſolemus, qui ingenio parum fidimus, ſatietatis periculum fugere. Recitaui biduo: hoc adſenſus audientium exegit: & tamen vt alii tranſeunt quaedam, imputantque, quod tranſeant; ſic ego nihil praetereo, atque etiam non praeterire me, teſtor. Lego enim omnia, vt omnia emendem. Quod contingere non poteſt electa recitantibus. At illud mo- 5

---

lio menſe iudicia, vt extra ordinem, quae dilationem non ferebant, haberi etiam inter ferias poſſent. Hinc *ſubita* aduocatio appellatur.

cauſſam) occaſionem. Cic. de Diuinat. II, 2. *Mihi quidem explicandae philoſophiae cauſſam attulit grauis caſus reipublicae.* Florus II. c. 6. *In cauſſam belli Saguntbus delecta eſt.*

vt irreuerentem operis argueret) Excuſauit ſe poſt meridiem amicis, quod mane, vt promiſerat, non recitaſſet, ne quis putaret, ſe ex negligentia vel contemtu poetici ſtudii praetermiſiſſe.

4. *imputantque, quod tranſeant*) quaſi beneficium auditoribus dent, imputant & aeſtimant, quod, praetermiſſis quibusdam, non omnia recitent. Suetonius Tib. c. 53. *Imputauit etiam, quod non laqueo ſtrangulatam* (Agrippinam) *in Gemonias abiecerit.* Adde Panegyr. c. 24.

5. *At illud*) electa recitare, non omnia, reuerentiam

deſtius,

destius, & fortasse reuerentius, sed hoc simplicius & amantius. Amat enim, qui se sic amari putat, vt taedium non pertimescat. Alioqui quid praestant sodales, si conueniunt voluptatis suae caussa? Delicatus ac similis ignoto est, qui amici librum bonum mauult audire, quam facere. 6 Non dubito, cupere te, pro cetera mei caritate, quam maturissime legere hunc adhuc musteum librum. Leges, sed retractatum; quae caussa recitandi fuit; & tamen nonnulla iam ex eo nosti. Haec vel emendata postea, vel (quod interdum longiore mora solet) deteriora facta, quasi noua rursus, & rescripta, cognosces. Nam, plerisque mutatis, ea quoque mutata videntur, quae manent. Vale.

XXII.

C. PLINIVS GEMINIO SVO S.

Exemplo nonnullius, quem reticet, illos reprehendit, qui dare veniam, nisi sibi nesciunt.

Nostine hos, qui omnium libidinum serui sic aliorum vitiis irascuntur, quasi inuideant;

---

erga auditores maiorem habet, ne nimietate audiendi fatigentur.

Delicatus) fastidiosus, morosus. Quidam *delegatus* legunt, quod improbat Gronouius.

quam facere) emendando, & intente audiendo. *Catan.*

6. *musteum*) nouum, recentem. Nonius Marcellus: *MVSTVM non solum vinum, verum nouellum quidquid est, recte dicitur.*

retractatum) emendatum, mutatum. L. VII. ep. 9. n. 5. Epist. XXII. 1. *Nostine hos*) Huius generis exempla Val. Maximus collegit lib. VIII. cap. 6.

&

& grauissime puniunt, quos maxime imitantur? quum eos etiam, qui non indigent clementia vllius, nihil magis quam lenitas deceat. Atqui 2
ego optimum & emendatissimum existimo, qui ceteris ita ignoscit, tamquam ipse quotidie peccet; ita peccatis abstinet, tamquam nemini ignoscat. Proinde hoc domi, hoc foris, hoc in omni 3
vitae genere teneamus, vt nobis implacabiles simus; exorabiles istis etiam, qui dare veniam, nisi sibi, nesciunt: mandemusque memoriae, quod vir mitissimus, & ob hoc quoque maximus, Thrasea, crebro dicere solebat; QVI VITIA ODIT, HOMINES ODIT. Fortasse quaeris, quo 4
commotus haec scribam? Quidam nuper. Sed melius coram; quamquam ne tunc quidem. Vereor enim, ne id, quod improbo, insectari, carpere, referre, huic, quod cum maxime praecipimus, repugnet. Quisquis ille, qualiscumque, sileatur; quem insignire, exempli non nihil; non insignire, humanitatis plurimum refert. Vale.

---

2. *Atqui ego*) Grutero monente *Atqui* subscripsimus: alii *Atque*.

3. *Thrasea*) Paetus Thrasea, supra lib. III. epist. 16. n. 10. & lib. VII. epist. 19. n. 3. & alibi laudatus, quem quum Nero interficeret, *virtutem ipsam exscindere concupiisse* visus est Tacito lib. XVI. c. 21.

homines odit) Duriuscule dictum videtur. Sed hoc sensit Thrasea: ita pronum esse in vitium genus humanum, vt difficillimum sit, vitia in homine odisse, vt non ipsum quoque hominem oderis. *Casaub.*

4. *Quidam nuper*) Aposiopesis.

insectari, carpere) Distinctio & emendatio Gronouio debetur.

exempli non nihil) sc. praeberet.

XXIII.

C. PLINIVS MARCELLINO SVO S.

Dolorem ex obitu Auiti, aedilitatis candidati, conceptum, cum laude ingenii morumque illius, exponit.

Omnia mihi ſtudia, omnes curas, omnia auocamenta exemit, excuſſit, eripuit dolor, quem ex morte Iunii Auiti grauiſſimum cepi. 2 Latum clauum in domo mea induerat; ſuffragio meo adiutus in petendis honoribus fuerat; ad hoc, ita me diligebat, ita verebatur, vt me for- 3 matore morum, me quaſi magiſtro vteretur. Rarum hoc adoleſcentibus noſtris. Nam quotusquisque vel aetati alterius, vel auctoritati, vt minor, cedit? Statim ſapiunt, ſtatim ſciunt omnia: neminem verentur, imitantur neminem, atque ipſi ſibi exempla ſunt. Sed non Auitus: cuius haec praecipua prudentia quod alios prudentiores arbitrabatur; haec praecipua eruditio, quod 4 diſcere volebat. Semper ille aut de ſtudiis aliquid, aut de officiis vitae conſulebat: ſemper ita recedebat, vt melior factus: & erat factus vel eo, quod audierat, vel quod omnino quaeſierat.

Ep. XXIII. 1. *Iunii Auiti*) Alius Iulius Auitus fuit, cuius mortem lib. V. epiſt. 9 defleuit.

2. *Latum clauum*) Laticlauiam tunicam, ſeu latis plagis ex purpura ornatam, quae ſenatoria dignitas erat. Adde ſupra lib. II. ep. 9. n. 2.

4. *conſulebat*) interrogabat diſcendi cauſſa, qua notione Suetonius Aug. c. 98. *interrogare & conſulere* permutauit. *Verſu* enim *pronuntiato*, Thraſyllum, inquit, *interrogauit, cuiusnam poetae putaret eſſe; quo haeſitante ſubiecit alium. De hoc quoque conſuluit* &c.

Quod

Quod ille obsequium Seruiano, exactissimo viro, 5
praestitit? quem legatum tribunus ita & intellexit, & cepit, vt ex Germania in Pannoniam transeuntem, non vt commilito, sed vt comes adsectatorque sequeretur. Qua industria, qua modestia quaestor consulibus suis (& plures habuit) non minus iucundus & gratus, quam vsui fuit? Quo discursu, qua vigilantia, hanc ipsam aedilitatem, cui praereptus est, petiit? Quod vel maxime dolorem meum exulcerat. Obseruantur 6
oculis casti labores, & infructuosae preces, & honor quem meruit tantum. Redit animo ille latus clauus, in penatibus meis sumtus; redeunt illa prima, illa postrema suffragia mea, illi sermones, illae consultationes. Adficior adole- 7
scentia ipsius, adficior necessitudinum casu. Erat illi grandis natu parens; erat vxor, quam

5. *exactissimo*) perfectissimo, accuratissimo, qualem lib. II. epist. 7. n. 6. *consummatissimum* dixerat.

legatum) proconsulis vicarium.

intellexit) mores eius intellexit & intima sensa perspexit, vt l. VI. epist. 27. n. 2. Adde Vellei. II. c. 114. extr.

cepit) comprehendit, adsequutus est. Hoc Gruterus cum Catanaeo mauult, quam *excepit* aliorum.

quaestor consulibus suis) De coniunctione consulis & quaestoris agit ep. 15. lib. IV.

6. *infructuosae preces*) quibus suffragia sibi parauit, vel alii pro ipso parauerunt.

meruit tantum. Redit) Distinctio Casauboni.

7. *necessitudinum*) necessariarum, coniunctissimarum, matris, vxoris, filiae. Sueton. Aug. c. 17. *Remisit* (Antonio) *hosti iudicato necessitudines, amicosque omnes.*

grandis natu parens) mater grandaeua. Post paullo n. 8. *orbam matrem* dicit.

ante

ante annum virginem acceperat; erat filia, quam paullo ante sustulerat. Tot spes, tot gaudia dies
8 vnus in diuersa conuertit. Modo designatus aedilis, recens maritus, recens pater, intactum honorem, orbam matrem, viduam vxorem, filiam pupillam, (ignaram aui) ignaramque patris, reliquit. Accedit lacrymis meis, quod absens, & impendentis mali nescius, pariter aegrum, pariter decessisse cognoui, ne grauissimo dolori timore
9 consuescerem. In tantis tormentis eram, quum scriberem haec, scriberem sola. Neque enim nunc aliud aut cogitare aut loqui possum. Vale.

XXIV.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Maximum, ad Achaiam ordinandam missum, admonet, vt antiquitatis reuerentia humaniter ciuitates tractet.

Amor in te meus cogit, non vt praecipiam (neque enim praeceptore eges) admoneam tamen, vt, quae scis, teneas & obserues, aut scias me-
2 lius. Cogita, te missum in prouinciam Achaiam,

---

sustulerat) i. e. tamquam suam humi positam receperat, quod solebat fieri partu edito, vt passim notum est. *Herz.*

8. *ignaram aui*) Absunt inclusa ab Aldina, & possunt quoque abesse.

9. *scriberem sola*) Absunt & haec ab Aldina & Sichardina. Casaubonus *vt* addit, ac ita distinguit: *quum scriberem; vt haec scriberem sola.*

Ep. XXIV. 2. *prouinciam Achaiam*) Quidquid Graecarum gentium inter Aegaeum mare & sinum Adriaticum fuit, in duas Romani prouincias diuiserunt, Macedoniam (sub qua & Thessalia & Epirus fuit) & Achaillam

illam veram & meram Graeciam, in qua primum humanitas, litterae, etiam fruges, inuentae esse creduntur; missum ad ordinandum statum liberarum ciuitatum, id est, ad homines maxime liberos, qui ius a natura datum, virtute, meritis, amicitia, foedere denique, & religione tenuerunt. Reuerere conditores deos, numina deorum. Reuerere gloriam veterem, & hanc ipsam senectutem, quae in homine venerabilis, in vrbibus sacra est. Sit apud te honor antiquitati, sit ingentibus factis, sit fabulis quoque: nihil ex cuiusquam dignitate, nihil ex libertate, nihil etiam ex iactatione decerpseris. Habe ante oculos, hanc esse terram, quae nobis miserit iura, quae leges non victa acceperit, sed petentibus dederit; Athenas esse, quas adeas; Lacedaemonem esse, 3 4

iam, quae Helladem vniuersam cum Peloponneso & insulis complectebatur.

veram & meram Graeciam) Graeciam propriam, purioris dialecti & disciplinarum conseruatricem.

humanitas, litterae, fruges) Cicero pro Flacco cap. 26. *Adsunt Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae, atque in omnes terras distributa putantur.*

numina deorum) Quidam nomina: vnde Gronouius *nomina heroum* ex coniectura. Sane, quod proxime *deos* memorauerat, neque *numina* neque *nomina deorum* conuenire videntur.

3. *sit honor antiquitati*) Athenarum vrbem *ex antiquitate esse* Tullius c. 1. praedicat, *vt ipsa ex sese suos ciues genuisse dicatur.*

4. *quae leges non victa*) Antequam aliquid iuris Romanis in Graecos esset, ab his leges petierunt & acceperunt. *Liuius III. c. 31. extr.*

Lacedaemonem esse, quam regas) Hinc amplitudo quam

quam regas: quibus reliquam vmbram, & residuum libertatis nomen eripere, durum, ferum, barbarumque est. Vides a medicis, quamquam in aduersa valetudine nihil serui ac liberi differant, mollius tamen liberos clementiusque tractari. Recordare, quid quaeque ciuitas fuerit; non vt despicias, quod esse desierit. Abest superbia, asperitas; nec timueris contemtum. An contemnitur, qui imperium, qui fasces habet, nisi qui humilis, & sordidus, & qui se primus ipse contemnit. Male vim suam potestas aliorum contumeliis experitur; male terrore veneratio adquiritur: longeque valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor. Nam timor abit; si recedas, manet amor: ac sic, vt ille in odium, hic in reuerentiam vertatur. Te vero etiam atque etiam (repetam enim) meminisse oportet officii tui titulum, ac tibi ipsi interpretari, quale

Achaiae, prouinciae Romanae, cognoscitur. Ab altero latere Boeotiam & alias gentes comprehendebat, vnde Sulpicius a Caesare Achaiae praefectus, *ab Athenis in Boeotiam ibat, vt reliquam iurisdictionem absolueret.* Multum ergo prouincia Romana differt ab veteri Achaia, quae circa Corinthum angustis finibus continebatur.

reliquam vmbram) Vere *vmbram* libertatis dixit, quam Romani victores Graecis ciuitatibus reliquerunt. Nam quamuis suis legibus viuerent; nutu tamen Romanorum regebantur.

6. *Male vim suam potestas*) Campus hic est, in quo sapientes decurrunt, & scribendo sese exercent, quorum monita nunc nolumus cumulare. Nostri tantum parallela commendamus ex lib. IX. epist. 5. & Panegyr. c. 49. Addi potest Seneca sub fin. Thebaid.

7. *officii tui titulum*) caussam, cur missus sis in Graequan-

quantumque sit ordinare statum liberarum ciuitatum. Nam quid ordinatione ciuilius? Quid 8
libertate pretiosius? Porro quam turpe, si ordinatio euersione, libertas seruitute mutetur? Accedit, quod tibi certamen est tecum: onerat te quaesturae tuae fama, quam ex Bithynia optimam reuexisti: onerat testimonium principis: onerat tribunatus, praetura, atque haec ipsa legatio, quasi praemium data. Quo magis nitendum est, ne in longinquam prouinciam, quam suburbanam; ne inter seruientes, quam liberos; ne sorte, quam iudicio missus, ne rudis & incognitus, quam exploratus probatusque, humanior, melior, peritior fuisse videaris: quum sit alioqui, vt saepe audisti, saepe legisti, multo deformius, amittere, quam non adsequi laudem. Haec 10
velim credas, (quod initio dixi) scripsisse me admonentem, non praecipientem; quamquam praecipientem quoque. Quippe non vereor, in amore ne modum excesserim. Neque enim periculum est, ne sit nimium, quod esse maximum debet. Vale.

---

ciam, nempe ad *ordinandum* statum *liberarum* ciuitatum, v. 2. quas voces mox interpretatur.

8. *onerat te fama*) Fama olim parta, tamquam onus incumbit, vrgetque, vt bene merendo tueamur, quia turpius, amittere laudem, quam non adsequi. *num.* 9.

9. *suburbanam*) propinquam, abusiue. Nam longiore interuallo diremta Achaia ab Italia est. Verius Siciliam Florus l. III. c. 19. *prouinciam suburbanam* dixit.

sorte, quam iudicio] Quaestores sorte legebantur, qui cum proconsulibus aut propraetoribus in prouincias irent. Vnde praesidis & quaestoris societas *coniunctio sortis* appellatur Cic. Diuinat. in Verr. c. 19. Legatus autem iudicio principis mittebatur.

LIBER IX.

I.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Maximum hortatur, vt libros, contra Plantam viuum compositos, festinet edere, ne post mortem eius inchoasse videatur.

Saepe te monui, vt libros, quos vel pro te, vel in Plantam, immo & pro te & in illum (ita enim materia cogebat) composuisti, quam maturisime emitteres: quod nunc praecipue, morte
2 eius audita, & hortor, & moneo. Quamuis enim legeris multis, legendosque dederis, nolo tamen quemquam opinari, defuncto demum inchoatos, quos incolumi eo peregisti. Salua sit
3 tibi constantiae fama. Erit autem, si notum aequis iniquisque fuerit, non post inimici mortem scribendi tibi natam esse fiduciam, sed iam paratam editionem morte praeuentam. Simul vitabis illud:

Οὐχ ὅσιον φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.

Epist. I. 1. *in Plantam*) MS. & vett. edd. *Platam*, vnde *Plantam*, quod notum nomen Romanorum est, (infra lib. X. ep. 5. alibi) Gruterus formauit. Alii *Blateram* legunt.

maturissime) Noster saepe hac forma delectatur, vtpote lib. VIII. ep. 17. n. 6. & ep. 21. n. 6. lib. X. ep. 14. qua etiam Cicero pro Caecin. c. 2. vsus est: at Caesar B. Gall. lib. I. c. 33. & Tacitus Annal. I. c. 63. *maturrime*.

3. Οὐχ ὅσιον) Non decet mortuis insultare. Ex Homeri Odyss. penult. v. 412. paucis mutatis,

Οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.

h. e. Fas non est occisis viris insultare.

Nam

Nam quod de viuente scriptum, de viuente recitatum est, in defunctum quoque, tamquam viuentem adhuc, editur, si editur, statim. Igitur, si quid aliud in manibus, differ: interim hoc perfice, quod nobis, qui legimus olim, absolutum videtur: sed iam videatur & tibi; cuius cunctationem nec res ipsa desiderat, & temporis ratio praecidit. Vale.

II.

C. PLINIVS SABINO SVO S.

Longas & crebras epistolas flagitanti, excusat se, quod materia deficiat.

Facis iucunde, quod non solum plurimas epistolas meas, verum etiam longissimas, flagitas: in quibus parcior fui, partim quia tuas occupationes verebar, partim quia ipse multum distringebar, plerumque frigidis, negotiis: quae simul & auocant animum & comminuunt. Praeterea nec materia plura scribendi dabatur: neque enim eadem nostra conditio, quae M. Tullii, ad cuius exemplum nos vocas. Illi enim & copiosissimum ingenium, & ingenio qua varietas rerum, qua magnitudo largissime suppetebat. Nos quam angustis terminis claudamur, etiam

---

5. *si quid aliud in manibus*] Supra lib. V. ep. 5. p. 7. *quae inter manus habes.*

Ep. II. 2. & *ingenio qua varietas*) Emendatio ex MSS. Fr. Modii. Ipse quidem Modius epist. 92. Nouanti- quae Lect. *materiam* de suo interposuit, quod & Gruterus adprobauit: sed superuacuum id Gronouio visum, & abest quoque a Palatino, nec cum verbo *suppetebat* cohaeret.

tacente me, perspicis: nisi forte volumus scholasticas tibi, atque (vt ita dicam) vmbraticas litteras mittere. Sed nihil minus aptum arbitramur, quum arma vestra, quum castra, quum denique cornua, tubas, fudorem, puluerem, soles cogitamus. Habes, vt puto, iustam excusationem: quam tamen dubito, an tibi probari velim. Est enim summi amoris, negare veniam breuibus epistolis amicorum, quamuis scias illis constare rationem. Vale.

III.

C. PLINIVS PAVLLINO SVO S.

Bonam mansuramque famam omnibus aliis rebus anteponit.

Alius alium, ego beatissimum existimo, qui bonae mansuraeque famae praesumtione perfruitur, certusque posteritatis cum futura gloria viuit. Ac mihi nisi praemium aeternitatis ante oculos, pingue illud altumque otium, pla-

---

3. *scholasticas*) de re litteraria, non de statu reipublicae.

4. *puluerem, soles*) aestiuos labores militiae, sub dio & in sole sustinendos. Horatius lib. I. epist. 20. n. 24. *solibus aptum* dicit, qui propter senile frigus indiget solari aestu, quo refoueatur.

Ep. III. 1. *praesumtione*) Praesumere est ante capere, praeoccupare, vt *officia heredum praesumere*, lib. VI. epist. 10. n. 5. Et quia certa ante captorum possessio habetur, *praesumtio* quaedam quasi fiducia est, qua ita certi de futuris sumus, ac si iam obtenta essent & possiderentur: atque ita *praesumere* inuenitur lib. II. ep. 10. n. 6. & lib. III. ep. 1. n. 11.

ceat.

ceat. Etenim omnes homines arbitror oportere 2
aut immortalitatem ſuam aut mortalitatem cogitare: & illos quidem contendere, eniti; hos quieſcere, remitti, nec breuem vitam caducis laboribus fatigare: vt video multos, miſera ſimul & ingrata imagine induſtriae, ad vilitatem ſui peruenire. Haec ego tecum, quae quotidie me- 3
cum, vt deſinam mecum, ſi diſſenties tu; quamquam non diſſenties, vt qui ſemper praeclarum aliquid & immortale meditaris. Vale.

IV.

C PLINIVS MACRINO SVO S.

Excuſat orationem, quam mittit, tamquam in vniuerſitate longiſſimam, breuiſſimam in partibus.

Vererer, ne immoditam orationem putares, quam cum hac epiſtola accipies, niſi eſſet generis eius, vt ſaepe incipere, ſaepe deſinere videatur. Nam ſingulis criminibus ſingulae veluti cauſſae continentur. Poteris ergo, vndecumque 2
inceperis, vbicumque deſieris, quae deinceps ſequentur, & quaſi incipientia legere, & quaſi

---

2. *contendere, eniti*) Sic Ald. & fere Palat.
miſera ſimul & ingrata imagine) ſtultis occupationibus, & vana ſpecie diligentiae. *Gron.*
ad vilitatem ſui) ad contemtionem ſui, vt ipſi de ſe humiliter ſentiant, & ab aliis quoque contemnantur. Scriptura Aldi & Sichardi eſt, confirmata MSto Rom. Alii *mortalitatem*.
3. *deſinam mecum*) ſc. cogitare & perpendere.
Ep. IV. 1. *orationem*] Catanaeo eſt, quam contra Caecilium Claſſicum habuit, variam & in partes multas diuiduam, lib. III. epiſt. 9.

cohaerentia; meque in vniuersitate longissimum, breuissimum in partibus iudicare. Vale.

V.

C. PLINIVS TIRONI SVO S.

Aequitate Tironis erga prouinciales laetatur.

Egregie facis (inquiro enim, & persеuere) quod iustitiam tuam prouincialibus multa humanitate commendas: cuius praecipua pars est, honestissimum quemque complecti, atque ita a minoribus amari, vt simul a principibus diligare. Plerique autem, dum verentur, ne gratiae potentium nimium impertiri videantur, sinisteritatis atque etiam malignitatis famam consequuntur. A quo vitio tu longe recessisti, scio: sed temperare mihi non possum, quo minus laudem, similis monenti, quod eum modum tenes, vt discrimina ordinum dignitatumque custodias: quae si confusa, turbata, permista sint, nihil est ipsa aequalitate inaequalius. Vale.

2. *vniuersitate*) summa & contextu. Supra lib. I. epist. 8. n. 3. *vt non tantum vniuersitati eius* (orationis) *attendas, verum etiam particulas lima persequaris.* Adde lib. III. ep. 15. extr.

Ep. V. 1. & *persеuere*) Ald. & *persеuero*: Sich. & *persеuera*, extra parenthesin.

cuius) humanitatis, cuius munus est, ita nos gerere, vt a summis, infimis diligamur.

2. *sinisteritatis*) austeritatis, vitii, quod contrarium est humanitati. Supra lib. VI. ep. 17. n. 3. *arrogantia, sinisteritas, ac potius amentia.*

3. *discrimina ordinum custodias*) non omnes vna pertica (vt dixit I. VIII. ep. 2. extr.) metiaris siue tractes.

aequalitate) quam Tiro humanitate sua omnibus aeque volebat distribuere. *Herz.*

VI.

VI.

C. PLINIVS CALVISIO SVO S.

Ridet vanitatem Circensium ludorum, & illorum tempus studiis impendit.

Omne hoc tempus inter pugillares ac libellos iucundissima quiete transmisi. Quemadmodum, inquis, in vrbe potuisti? Circenses erant; quo genere spectaculi ne leuissime quidem teneor. Nihil nouum, nihil varium, nihil quod non semel spectasse sufficiat. Quo magis 2
miror, tot millia virorum tam pueriliter idemtidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines videre. Si tamen aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla: nunc fauent panno, pannum amant; & si in ipso cursu, medioque certamine,

Ep. VI. 1. *Circenses*) ludi, qui in loco, *Circus* vocato, celebrabantur. Certabatur cursu equorum, vti in sequentibus patet. *Herz.*

ne leuissime quidem teneor) vt decet sapientem. Optimus enim quisque ludicris non capitur, sed tempus suum melioribus studiis transmittit. Idem de Circensibus M. Tullius sensit lib. VII. epist. 1. *Teneri* est impense delectari, quod de iisdem ludis etiam Suetonius Aug. 45. dixit, *spectandi studio ac voluptate teneri.*

2. *nunc fauent*) plaudunt, laudant, vt *turba fauentium*, Horat. III. od. 24. v. 47. & de Circi spectaculis Martialis lib. XIV. epigr. 131. *Si Veneto prasinoue faues.* Et Sidonius Carm. XXIII. seu Narbone v. 376.

Raucus corda ferit fragor fauentum,
Atque ipsis pariter viris equisque
Fit cursu calor.

panno, pannum amant) Tunica aurigatorum pannus est; ipsi colore panni in factiones diuidebantur, Venetam, prasinam, albam, & russatam, vt quatuor anni tempora quatuor diuersis coloribus referrentur. Hinc

hic color illuc, ille huc transferatur; studium fauorque transibit, & repente agitatores illos, equos illos, quos procul noscitant, quorum clamitant nomina, relinquent. Tanta gratia, tanta
3 auctoritas in vna viliſſima tunica. Mitto apud vulgus, quod vilius tunica est; sed apud quosdam graues homines: quos ego quum recordor, in re inani, frigida, assidua, tam insatiabiliter desidere, capio aliquam voluptatem, quod hac voluptate
4 non capiar. Ac per hos dies libentiſſime otium meum in litteris colloco, quos alii otioſiſſimis occupationibus perdunt. Vale.

VII.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Villas suas ad Larium lacum, & in iis aedificationes describit.

Aedificare te scribis, bene est. Inueni patrocinium. Aedifico enim iam ratione,

---

prasina factio, Sueton. Calig. c. 55. *Veneta factio*, Idem Vitell. c. 14. & multae de his inscriptiones apud Dempster. ad Rosini A. R. lib. V. c. 5. Adde Cassiodor. lib. III. epist 51 & Iuuenal. Satyr. XI. v. 195. sq. & Procop. lib. I. Bell. Pers. c. 24. cuius temporibus, id est, Iustiniani, hae factiones adhuc Constantinopoli erant.

agitatores) aurigatores. Sueton. Ner. c. 22. *tractum prasinum agitatorem querens.*

4. *Ac per hos dies*) Per plures dies enim hoc Iudicrum extrahebatur.

Ep. VII. 1. *patrocinium*) sc. tuo exemplo contra eos, qui forte vitio velint vertere, me aedificare. *Herz.*

ratione) prudenter, non sine ratione, quocum Buchnerus illud ex distichis Catonis confert.

Proximus ille Deo, qui scit ratione tacere.

quia

quia tecum. Nam hoc quoque non dissimile, quod ad mare tu, ego ad Larium lacum. Huius in 2
littore plures villae meae, sed duae vt maxime delectant, ita exercent. Altera impositа saxis, more Baiano, lacum prospicit: altera, aeque more Baiano, lacum tangit. Itaque illam, tra- 3
goediam; hanc, appellare comoediam soleo: illam, quod quasi cothurnis, hanc quod quasi socculis, sustinetur. Sua vtrique amoenitas, & vtramque possidenti ipsa diuersitate iucundior. Haec lacu propius, illa latius vtitur: haec vnum 4
sinum molli curuamine amplectitur, illa editissimo dorso duos dirimit; illic recta gestatio longo

---

Larium lacum) lacum, cui Comum adiacet, vt saepe dictum.

2. *villae meae*) Sic libri: at *villa me* Casaub. & Boxh.

exercent) curis & sumtibus, in aedificationes impendendis.

more Baiano) Amoenitas Baiani sinus atque lacus, & inde frequentia villarum, vbique ita commendata, vt in exemplum quoque amoenissimorum locorum trahatur. Martialis lib. IV. epigr. 25.

Aemula Baianis Altini littora villis.

Hoc littus depressum ex parte, ex alia collibus adsurgere, Plinius comparatione sua ostendit: & Seneca epist. 51. de Mario, Caesare, Pompeio: *exstruxerunt villas in regione Baiana, sed illas imposuerunt summis iugis montium.*

3. *quasi cothurnis*) Sidonius, nostri aemulator, Carmine XVIII.

Aemula Baiano tolluntur culmina cono
Parque cothurnato vertice fulget opus.

4. *editissimo dorso*) Quod summum in monte, atque protractum longius est. Latini *dorsum* appellauerunt. Curtius lib. VII. c. 4. n. 19. *Caucasi dorsum*; Sueton. Caes. c. 44 *dorsum Apennini.*

gestatio] Vid. Lib. I. epist. 3.

limite super littus extenditur, hic spatiosissimo xysto leuiter inflectitur: illa fluctus non sentit, haec frangit: ex illa possis delpicere piscantes, ex hac ipse piscari, hamumque e cubiculo, ac paene etiam lecto, vt e nauicula, iacere. Hae mihi causſae vtrique, quae desunt, adstruendi, ob ea, quae superſunt. Etsi quid ego rationem tibi? apud quem pro ratione erit, idem facere. Vale.

VIII.

C. PLINIVS AVGVRINO SVO S.

Laudatus ab Augurino, laudare eum veretur, & tamen laudat.

Si laudatus a te laudare te coepero, vereor, ne non tam proferre iudicium meum, quam referre gratiam videar. Sed, licet videar, omnia scripta tua pulcerrima existimo; maxime tamen illa, quae de nobis. Accidit hoc vna eademque de causſa. Nam & tu, quae de amicis, optime scribis; & ego, quae de me, vt optima, lego. Vale.

---

spatiosissimo xysto) lib. II. epist. 17. n. 17.

frangit) fluctuum cum impetu irruentium vim inhibet. *Herz.*

5. *Hae mihi causſae vtrique*) His causſis adducor, vt, quae vtrique villae desunt, adstruere velim. *Buchn.*

Etsi quid ego) Non aliter Palat. & edd. veteres: posteriores *Sed quid ego.*

Epist. VIII. *Accidit*) Sic Palat. & edd. vett. adprobante Grutero & Casaubono. Perperam vulgatum *accedit.*

IX.

C. PLINIVS COLONI SVO S.

Fidem Colonis erga defunctum amicum laudat, praesertim quod dignus ille fuerat.

Vnice probo, quod Pompeii Quinctiani morte tam dolenter adficeris, vt amissi caritatem desiderio extendas; non vt plerique, qui tantum viuentes amant, seu potius amare se simulant, ac ne simulant quidem, nisi quos florentes vident. Nam miserorum, non secus ac defunctorum, obliuiscuntur; sed tibi perennis fides, tantaque in amore constantia, vt finiri, nisi tua morte, non possit. Et, hercule, is fuit Quinctianus, quem diligi deceat exemplo ipsius. Felices amabat, miseros tuebatur, desiderabat amissos. Iam illi quanta probitas in ore? quanta in sermone cunctatio? quam pari libra grauitas comitasque? quod studium litterarum? quod 2

Epist. IX. 1. *Vnice*) valde, lib. VI. ep. 29. pr.

Quinctiani) Is forsan est, ad quem Martialis scripsit lib. I. epigr. 51. & lib. V. ep. 18.

caritatem desiderio] i. e. desiderio mortui ostendas non abruptam morte caritatem. *Herz.*

non secus ac defunctorum) Supra lib. VI. epist. 10. n. 5. *parata obliuio mortuorum.*

miserorum obliuiscuntur) Velleius lib. II. c. 53. *Quis vllam calamitosis deberi putat gratiam? aut quando fortuna non mutat fidem?*

2. *amissos*) defunctos vita, mortuos. Supra de hoc verbo ad lib. II. epist. 7. n. 3. & lib. IX. epist. 13. n. 4, 13.

probitas in ore) decora & liberalis facies, quae index est animi ad virtuten propendentis. Lib. V. epist. 17. n. 3. *multum sanguinis in ore*, quo modestia iuuenilis & pudor significatur.

iudicium? qua pietate cum dissimillimo patre
viuebat? quam non obstabat illi, quo minus vir
3 optimus videretur, quod erat optimus filius? Sed
quid dolorem tuum exulcero? quamquam sic
amasti viuentem, vt haec audire potius, quam
de illo sileri velis: a me praesertim, cuius prae-
dicatione putas vitam eius ornari, memoriam
prorogari, ipsamque illam, qua est raptus, aeta-
tem posse restitui. Vale.

X.

C. PLINIVS TACITO SVO S.

*Quod studiis & venationi non conueniat, illa sola in se-
cessu tractari significat.*

Cupio praeceptis tuis parere; sed aprorum
tanta penuria est, vt Mineruae & Dianae,
quas ais pariter colendas, conuenire non possit.
Itaque Mineruae tantum seruiendum est; deli-
2 cate tamen, vt in secessu, & aestate. In via plane
nonnulla leuiora, statimque delenda, ea garruli-

---

cum dissimillimo patre) improbo, & mollioris vitae, si is Quinctianus Afranius est, quem Tacitus XV. c. 56. & 70. notauit.

Epist. X. *Plinius Tacito*) Catanaeo non Plinii, sed Taciti videtur esse, qua is Plinianae sextae lib. I. respondet: Casaubonus, quem sequitur, censet, Plinii esse, qua ei epistolae respondeat, quam miserit Tacitus accepta superiore libri primi.

1. *Mineruae & Dianae*) lib. I. epist 6. extr.

delicate, vt in secessu, & aestate) Quod recreationi sum mentis tum corporis secessus inuentus erat, non acerrime ibidem studebat, praesertim aestate, quae dissoluit corpus, & industriae aduersatur.

2. *in via nonnulla leuiora*) Ne iter quidem vacuum a studiis erat. Vide lib. III. epist. 5. n. 15.

tate,

tate, qua sermones in vehiculo seruntur, extendi. His quaedam addidi in villa, quum aliud non liberet. Itaque poemata quiescunt; quae tu inter nemora & lucos commodissime perfici putas. Orationculam vnam & alteram retractati; 3
quamquam id genus operis inamabile, inamoenum, magisque laboribus ruris, quam voluptatibus simile. Vale.

XI.

C. PLINIVS GEMINIO SVO S.

Materiam scribendi promittit rogatus, & sua scripta trans Alpes legi laetatur.

Epistolam tuam iucundissimam recepi; eo maxime, quod aliquid ad te scribi volebas, quod libris inseri posset. Obueni t materia, vel haec ipsa, quam monstras, vel potior alia. Sunt enim in hac offendicula! nonnulla: circumfer oculos, & occurrent. Bibliopolas Lugduni esse 2
non putabam: ac tanto libentius ex litteris tuis

---

sermones seruntur) Scite dictum, quia *sermoni* nomen a *serendo* est.

poemata quiescunt) quae acrius, quam anni tempestas ferebat, ingenium intendi postulant.

3. *inamabile, inamoenum*) quia contentiosum est, vt cuncta sunt forensia, quae plus molestiae & altercationis habent, quam amoenitatis.

Epist. XI. 1. *iucundissimam*) Sich. *iucundissime*. vt opponantur *iucundissime exigere*, epist. 16. huius libri; & heic, *iucundissime recipere*.

2. *Bibliopolas Lugduni*) Galliam iam tum Tiberii, aeuo optimis studiis floruisse, ex Taciti annal. III. c. 43. manifestum est vbi de Augustoduno, Aeduorum vrbe, refert, *nobilissimam Galliarum sobolem liberalibus studiis ibi operatam*. Lugdunum ad Araris & Rhodani confluentem potissima colonia.

cognoui, venditari libellos meos, quibus peregre manere gratiam, quam in vrbe collegerint, delector. Incipio enim satis absolutum existimare, de quo tanta diuersitate regionum discreta hominum iudicia consentiunt. Vale.

XII.

C. PLINIVS IVNIORI SVO S.

Quaedam filiis remittendae, nec semper vtendum seueritate, exemplo monet.

Castigabat quidam filium suum, quod paullo sumtuosius equos & canes emeret. Huic ego, iuuene digresso, Heus tu, nunquamne fecisti, quod a patre corripi posset? Fecisti, dico? Non interdum facis, quod filius tuus, si repente pater ille, tu filius, pari grauitate reprehendat? Non omnes homines aliquo errore ducuntur? 2 Non hic in illo sibi, in hoc alius, indulget? Haec tibi admonitus immodicae seueritatis exemplo, pro amore mutuo, scripsi, ne quando tu quoque filium tuum acerbius duriusque tractares. Cogita & illum puerum esse, & te fuisse: atque ita hoc, quod es pater, vtere, vt memineris & te hominem esse, & hominis patrem. Vale.

Epist. XII. 1. *Fecisti, dico?*) Epanorthosis, quasi dicat: *Quid dico, fecisse te reprehendenda? immo adhuc facis.* Adi Casaub.

si repente pater ille) si verso naturae ordine ille pater, tu filius eius exsisteres.

XIII.

XIII.

C. PLINIVS QVADRATO SVO S.

Quae circa Heluidii vltionem egerit, pertuleritque, ordine renarrat.

Quanto studiosius intentiusque legisti libros, quos de Heluidii vltione composui; tanto impensius postulas, vt perscribam tibi, quaeque extra libros, quaeque circa libros, totum denique ordinem rei, cui per aetatem non interfuisti. Occiso Domitiano statui mecum ac deliberaui, esse magnam pulcramque materiam infectandi nocentes, miseros vindicandi, se proferendi. Porro, inter multa scelera multorum, nullum atrocius videbatur, quam quod in senatu senator senatori, praetorius consulari, reo iudex, manus intulisset. Fuerat alioqui mihi cum Heluidio amicitia, quanta potuerat esse cum eo, qui metu temporum nomen ingens, paresque virtutes, seceſſu tegebat. Fuerat cum Arria & Fannia: quarum altera, Hel-

---

Ep. XIII. 1. *de Heluidii vltione*) Heluidii iunioris, qui a Publicio Certo apud Domitianum delatus, e senatu in carcerem tractus, & postmodo interfectus est. Libri, quos de huius vltione noster composuerat, laudantur supra lib. VII. epist. 30. n. 4.

2. *se proferendi*) Vid. lib. I. epist. 13. n. 1.

senator senatori) Publicius Certus Heluidio, Heluidii Prisci filio. Infra n. 13. & 16.

manus intulisset] Tacitus Agric. c. 45. *Nostrae duxere Heluidium in carcerem manus.* Nostrae manus, hoc est, alicuius ex senatorio ordine.

3. *metu temporum*) Domitiano imperante. Adde I. V. epist. 1. n. 7.

Arria & Fannia) lib. III. epist. 11. n. 3.

uidii

uidii nouerca, altera, mater nouercae. Sed non ita me iura priuata, vt publicum fas, & indignitas facti, & exempli ratio, incitabat. Ac primis quidem diebus redditae libertatis pro se quisque inimicos suos, dumtaxat minores, incondito turbidoque clamore postulauerat simul & oppresserat: ego & modestius & constantius arbitratus immanissimum reum non communi temporum inuidia, sed proprio crimine vrgere: quum iam satis ille primus impetus deferbuisset, & languidior in dies ira ad iustitiam redisset, quamquam tum maxime tristis, amissa nuper vxore; mitto ad Anteiam (nupta haec Heluidio fuerat, rogo, vt veniat, quia me recens adhuc luctus limine contineret. Vt venit; Destinatum est, inquam, mihi, maritum tuum non inultum pati: nuntia Arriae & Fanniae (ab exsilio enim redierant) consule te, consule illas, an velitis adscribi facto, in quo ego comite non egeo: sed non ita gloriae meae fauerim, vt vobis societatem eius inuideam. Perfert Anteia

4. 5. 6.

4. *redditae libertatis*) Domitiano occiso, & Nerua in locum suffecto.

quisque inimicos suos incondito turbidoque) Xiphilinus in Nerua: ταραχῆς γενομένης ἐκ τὸ πάντας πάντων κατηγορεῖν.

amissa nuper vxore] non Calpurnia, quam postea duxit.

ad Anteiam) Vt putat Caranaeus, haec P. Anteii, a Nerone damnati, filia. De illo Tacitus XVI. c. 14.

5. *ab exsilio redierant*) reuocante Nerua.

adscribi facto] adnumerari tamquam accusatrices. Siue vtrum velitis: an meo solo nomine agam, an vestro etiam. Omnino autem illarum etiam nomine egit, quod ex n. 15. apparet.

man-

mandata; nec illae morantur. Opportune Senatus intra diem tertium. Omnia ego semper ad Corellium retuli, quem prudentissimum aetatis nostrae sapientissimumque cognoui: in hoc tamen contentus consilio meo fui, veritus, ne vetaret: (erat enim cunctantior cautiorque:) sed non sustinui inducere in animum, quo minus illi eodem die facturum me indicarem, quod an facerem non deliberabam: expertus vsu, de eo, quod destinaueris, non esse consulendos, quibus consultis obsequi debeas. Venio in senatum; ius dicendi peto; 7
dico paullisper maximo adsensú Vbi coepi crimen attingere, reum destinare (adhuc tamen sine nomine) vndique mihi reclamari. Alius; SCIAMVS, QVI SIT, DE QVO EXTRA ORDINEM REFERAS: alius; QVIS EST ANTE RELATIONEM REVS? alius; SALVI SIMVS, QVI SVPERSVMVS. Audio imperturbatus, interritus: 8
tantum susceptae rei honestas valet, tantumque ad fiduciam vel metum differt, nolint homines, quod facias, an non probent. Longum est omnia, 9

6. *ad Corellium*) lib. I. epist. 12 & lib. IV. ep. 17.

7. *reclamari*) sc. coeptum est. Vide n. 18. & 19. infra. *relationem*) propositionem criminis apud senatum, Cic. I. Catil. c. 8. *Refer ad senatum.* Et noster h. l. *de qua extra ordinem referas.*

salui simus, qui supersumus) Desine ex nobis reos agere, qui pauci euasimus Domitiani crudelitatem.

8. *Audio imperturbatus*) Sich. *Audior interturbatus.* Sed praestat vulgatum.

tantumque ad fiduciam vel metum) Tantum interest ad augendam fiduciam, si caussa sit iusto; aut ad metum, si iniusta, *nolint homines, quod facias*) Sciebat Plinius, senaquae

quae tunc hinc inde iactata sunt, recensere. Nouissime consul; SECVNDE, SENTENTIAE LOCO DICES, SI QVID VOLVERIS. PERMISERIS, inquam, QVOD VSQVE ADHVC 10 OMNIBVS PERMISISTI. Resido: aguntur alia. Interea me quidam ex consularibus amicis secreto accuratoque sermone, quasi nimis fortiter incauteque progressum, corripit, reuocat, monet, vt desistam. Adiecit etiam; Notabilem te futuris 11 principibus fecisti. Esto, inquam, dum malis. Vix ille discesserat, rursus alter; Quid audes? cur ruis? quibus te periculis obiicis? quid praesentibus confidis, incertus futurorum? Lacessis hominem iam praefectum aerarii, & breui consulem; praeterea, qua gratia, quibus amicitiis fultum? Nominat quendam, qui tunc ad orientem ampliſſimum exercitum, non sine magnis dubiisque rumoribus, 12 obtinebat. Ad haec ego; Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi: nec recuso, si ita casus attulerit, luere poenas ob honestissimum factum,

---

tores probare caussam suam, vt iustissimam; nolle tamen accusari Certum, propter hominis gratiam.

9. *Sententiae loco dices*) Noluit consul, Certum acrius accusari: idcirco ipse ad senatum relaturus erat, vt aliorum mitioribus sententiis a proposito Plinius reuocaretur.

quod vsque adhuc omnibus] vt sententiae loco dicerent, quidquid voluissent.

10. *Resido*) lib. IV. epist. 9. n. 18.

11. *Nominat quemdam*) amicum Publicii Certi.

non sine magnis dubiisque rumoribus) Neruae in principatu forte successurum esse.

12. *Omnia percepi*) Virgilianus versus Aen. lib. VI. v. 105. Quibusdam codd. Virgilii est *praecepi*.

dum

dum flagitiosissimum vlciscor. Iam censendi tem- 13
pus. Dicit Domitius Apollinaris, consul designa-
tus, dicit Fabricius Veiento, Fabius Postumius,
Vectius Proculus, collega Publicii Certi, de quo
agebatur, vxoris autem meae, quam amiseram,
vitricus: post hos Ammius Flaccus. Omnes Cer-
tum, nondum a me nominatum, vt nominatum
defendunt: crimenque quasi in medio relictum
defensione suscipiunt. Quae praeterea dixerint, 14
non est necesse narrare; in libris habes. Sum
enim cuncta ipsorum verbis persequutus. Dicunt 15
contra Autidius Quietus, Cornutus Tertullus.
Quietus; iniquissimum esse, querelas dolentium
excludi: ideoque Arriae & Fanniae ius querendi
non auferendum: nec interesse, cuius ordinis quis
sit, sed quam caussam habeat. Cornutus; datum 16
se a consulibus tutorem Heluidii filiae, petenti-
bus matre eius & vitrico: nunc quoque non su-
stinere deserere officii sui partes; in quo tamen,
& suo dolori modum imponere, & optimarum
feminarum perferre modestissimum adfectum:
quas contentas esse, admonere senatum Publicii
Certi cruentae adulationis: & petere, si poena
flagitii manifestissimi remittatur, nota Certo

13. *censendi*) sententias dicendi. Adde lib. IV. ep. 9. n. 18. & l. V. ep. 14. n. 6. ac ibi adscripta.

16. *Heluidii filiae*] partu postea exstinctae, l. IV. ep. 21.

non sustinere - - - imponere) Oratio obliqua. dixit *sustineo, impono*, directe. Non sustineo, id est, saluo pudore & officio pati & concedere non possum.

cruentae adulationis] apud Domitianum, qua Heluidius periit.

poena flagitii) exsilium aut deportatio in insulam.

nota quasi censoria inuratur) Translatio aseruis, qui quasi

17 quasi censoria inuratur. Tum Satrius Rufus medio ambiguoque sermone; Puto, inquit, iniuriam factam Publicio Certo, si non absoluitur: nominatus est ab amicis Arriae & Fanniae, nominatus ab amicis suis: nec debemus solliciti esse. Idem enim nos, qui bene sentimus de homine, iudicaturi sumus: si innocens est, sicuti & spero, & malo, donec aliquid probetur, credo poteritis absol-
18 uere. Haec illi, quo quisque ordine citabantur. Venitur ad me; consurgo; vtor initio, quod in libro est; respondeo singulis. Mirum qua intentione, quibus clamoribus omnia exceperint, qui modo reclamabant. Tanta conuersio vel negotii dignitatem, vel prouentum orationis, vel actoris
19 constantiam, subsequuta est. Finio. Incipit respondere Veiento: nemo patitur; obturbatur, obstrepitur: adeo quidem, vt diceret; ROGO, PATRES C. NE ME COGATIS IMPLORARE AVXILIVM TRIBVNORVM. Et statim Mu-

---

stigmate notabantur. *Nota* autem hoc loco ignominia est, qua vel senatu moueretur, vel priuaretur dicendae sententiae iure, aut aliis honoribus senatoriis eximeretur. Vid. lib. II. epist. 12. n 3.

18. *clamoribus*) acclamatione, applausu.

qui modo reclamabant) num. 7. quod alio exemplo explicatur num. 19. *obturbatur, obstrepitur*. Adde l. V. ep. 14. n. 6. Strepitu enim & reclamatione significabant displicere, quae dicerentur. Sallustius Catil. 31. *Obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare.* Quod ipsi Ciceroni aliquando euenit, III. Agrar. sub initium conquerenti: *Video quosdam, Quirites, strepitu significare nescio quid*, &c.

19. *obturbatur, obstrepitur*) Modo dictum n. 18.

rena

rena tribunus, PERMITTO TIBI, VIR CLARISSIME VEIENTO, DICERE. Tunc quo- 20
que reclamatur. Inter moras consul citatis nominibus, & peracta discessione, mittit senatum: ac paene adhuc stantem tentantemque dicere Veientonem relinquit. Multum ille de hac (ita vocitabat) contumelia questus est Homerico versu,

Ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί,

Non fere quisquam in senatu fuit, qui non me 21
complecteretur, exoscularetur, certatimque laude cumularet, quod intermissum tamdiu morem in publicum consulendi, susceptis propriis simultatibus, reduxissem: quod denique senatum invidia liberassem, qua flagrabat apud ordines alios, quod seuerus in ceteros, senatoribus solis, dissimulatione quasi mutua, parceret. Haec acta 22
sunt absente Certo. Abfuit enim, seu tale aliquid suspicatus, siue, vt excusabatur, infirmus. Et relationem quidem de eo Caesar ad senatum non remisit; obtinui tamen quod intenderam. Nam 23
collega Certi consulatum, successorem Certus accepit: planeque factum est, quod dixeram in fine; REDDAT PRAEMIVM SVB OPTIMO PRINCIPE, QVOD A PESSIMO ACCEPIT.

---

20. *Homerico versu*) Iliad. Θ. v. 102. Latine sonat: *O senex, certe valde te iuuenes premunt bellatores.*

23. *Reddat praemium*) Cadat spe consulatus, & remoueatur praefectura. Vtrumque factum est. Excidit enim sperato consulatu, quem collega eius in praefectura, Vettius Proculus *num.* 13. accepit; & successore dato a praefectura remotus est.

a pessimo) Demitiano, qui aerario praefuerat, & designauerat consulatui.

Postea

Postea actionem meam, vtcumque potui, recol-
24 legi: addidi multa. Accidit fortuitum (sed non tamquam fortuitum) quod, editis libris, Certus intra paucissimos dies implicitus morbo decesit.
25 Audiui referentes, hanc imaginem menti eius, hanc oculis oberrasse, tamquam videret me sibi cum ferro imminere. Verane haec, adfirmare non ausim: interest tamen exempli, vt vera videantur. Habes epistolam: si modo epistolam co-
26 gitas libris, quos legisti, non minorem. Sed imputabis tibi, qui contentus libris non fuisti. Vale.

XIV.

C. PLINIVS TACITO SVO S.

Tacitum hortatur ad parandam scriptis immortalitatem.

Nec ipse tibi plaudis, & ego nihil magis ex fide, quam de te scribo. Posteris an aliqua cura nostri, nescio: nos certe meremur, vt sit aliqua, non dico ingenio (id enim superbum) sed studio, sed labore, & reuerentia posterorum. Pergamus modo itinere instituto: quod vt paucos in lucem famamque prouexit, ita multos e tenebris & silentio protulit. Vale.

---

24. *implicitus morbo*) Liuius l. V. c. 31. *confulibus morbo implicitis*, Adde Nepot. Cim. c. 3. extr.

Epist. XIV. *Pergamus itinere instituto*) Epist. 19. extrema huius libri: *Vterque ad gloriam pari cupiditate, diuerso itinere, contendit.*

paucos in lucem, multos e tenebris) Claros a non obscuris distinguit, & hos alteros etiam non indignos laude censet. Nam *prima sequentem honestum quoquo est in secundis tertiisue consistere.* Cic. in Oratore c. 1.

XV. C.

XV.

C. PLINIVS FALCONI SVO S.

Se etiam in villa querelis rusticorum inquietari conqueritur.

Refugeram in Tuscos, vt omnia ad arbitrium meum facerem: at hoc ne in Tuscis quidem: tam multis vndique rusticorum libellis, & tam querulis, inquietor; quos aliquanto magis inuitus, quam meos, lego. Nam & meos inuitus. Retracto enim actiunculas quasdam; 2
quod, post intercapedinem temporis, & frigidum & acerbum est. Ratiocinationes, quasi absente me, negliguntur. Interdum tamen equum con- 3
scendo, & patrem familiae hactenus ago, quod aliquam partem praediorum, sed pro gestatione, percurro. Tu consuetudinem serua, nobisque sic rusticis vrbana acta perscribe. Vale.

Ep. XV. 1. *in Tuscos*) in villam l. V. ep. 6. delineatam.

rusticorum libellis) libellis supplicibus. Sed *suos* quando his comparat, orationes intelligit. Vtrumque enim hoc verbum, quod latae notionis est, significat.

2. *Retracto*) corrigo, reformo, vt lib. VII. epist. 9. n. 5. & lib. IX. epist. 10. n. 3. & epist. 40. n. 2.

actiunculas) orationes forenses, accusationes.

3. *hactenus ago, quod*) Vsitatum & elegans *hactenus, vt*, hoc est, in tantum, vt; ex lib. VII. ep. 9. n. 3. & epist. 31. n. 6. obseruamus. Adde ibi adscripta. Sed *hactenus, quod*, in singularibus nostri auctoris ponendum est.

pro gestatione) loco gestationis, quod mollius genus exercendi corporis erat. Vid. lib. 1. ep. 3. n. 1.

XVI.

C. PLINIVS MAMILIANO SVO S.

Non venari se propter vindemias, quamquam exiguas posse, attamen versiculos pro musto deuecturum, significat.

Summam te voluptatem percepisse ex isto copiosissimo genere venandi non miror, quum historicorum more scribas, numerum iniri non potuisse. Nobis venari nec vacat, nec libet: non vacat, quia vindemiae in manibus: non li-
2 bet, quia exiguae. Deuehemus tamen pro nouo musto nouos versiculos tibi, quos iucundissime exigenti, vt primum videbuntur deferbuisse, mittemus. Vale.

XVII.

C. PLINIVS GENITORI SVO S.

Ferendos esse aliorum mores, vt isti nostros quoque ferant, acroamatum in conuiuiis exemplo monet.

Accepi tuas litteras, quibus quereris, taedio tibi fuisse quamuis lautissimam coenam, quia scurrae, cinaedi, moriones mensis inerrabant. Vis tu remittere aliquid ex rugis? Equidem
2 nihil tale habeo, habentes tamen fero. Cur ergo

Ep. XVI. 1. *historicorum more*) qui, cladem scripturi, numerum caesorum iniri non posse dicunt.

nec vacat, nec libet) Non vacat propter vindemias: nec libet tristibus nobis propter illarum sterilitatem.

2. *iucundissime*] cum laetitia & voluptate. Adde paullo supra epist. 11. pr. cum obseruatione variantis lectionis.

deferbuisse) si primus feruor, qui poetas occupare solet, abierit. *Herz.*

Epist. XVII, 2. *remittere ex rugis*) morosam grauitatem deponere.

non

non habeo? quia nequaquam me, vt inexspectatum festiuumue delectat, si quid molle a cinaedo, petulans a scurra, stultum a morione profertur. Non rationem, sed stomachum tibi narro. Atque 3
adeo quam multos putas esse, quos aeque ea, quibus ego & tu capimur & ducimur, partim vt inepta, partim vt molestissima offendant? Quam multi, quum lector aut lyristes aut comoedus inductus est, calceos poscunt, aut non minore cum taedio recubant, quam tu ista (sic enim appellas) prodigia perpessus es? Demus igitur ali- 4
enis oblectationibus veniam, vt nostris impetremus. Vale.

XVIII

C. PLINIVS SABINO SVO S.

Desideranti libellos suos promittit, sed per partes, ne memoriam turbet.

Qua intentione, quo studio, qua denique memoria, legeris libellos meos, epistola tua

---

si quid molle) si quid impudicum, obscenum. *Molles mares*, nefandae nequitiae impudici, apud Phaedrum l. IV. fab. 14, quos & Apostolus μαλακοὺς appellat 1 Corinth. VI, 9. Contra *mollissimae aures* sunt verecundae, Panegyr. c. 68.

Non rationem, sed stomachum) Non causam & argumentum, quare hos auerser; sed simpliciter appetitum meum tibi narro, qui abhorret ab hisce propudiis atque monstris.

3. *capimur & ducimur*) delectamur.

lector aut lyristes) Supra lib I. epist. 15. n 2. & lib. IX. ep. 36. n. 4.

calceos poscunt) Calceos ponebant discubituri, ne lectos triclinares conspurcarent. Hos abituri resumebant.

ostendit. Ipse igitur exhibes negotium tibi, qui elicis & inuitas, vt quamplurima communicare
2 tecum velim. Faciam; per partes tamen, & quasi digesta, ne istam ipsam memoriam, cui gratias ago, assiduitate & copia turbem, oneratamque, & quasi oppressam, cogam pluribus singula, posterioribus priora dimittere. Vale.

XIX.

C. PLINIVS RVFONI SVO S.

Verginium tuetur, quod factum suum sepulcro inscribi iusserit: & Frontinum laudat, qui monimentum sibi fieri vetuerat, ac vtrumque ad gloriam, sed diuersa via, contendisse ostendit.

Significas, legisse te in quadam epistola mea, iussisse Verginium Rufum inscribi sepulcro suo:

HIC SITVS EST RVFVS, PVLSO QVI VINDICE QVONDAM IMPERIVM ADSERVIT NON SIBI, SED PATRIAE.

Reprehendis, quod iusserit; addis etiam, melius rectiusque Frontinum, quod vetuerit omnino monimentum sibi fieri: meque ad extremum,
2 quid de vtroque sentiam, consulis. Vtrumque dilexi; miratus sum magis, quem tu reprehendis, adeoque miratus, vt non putarem satis vi-

---

2. *posterioribus priora dimittere*) vt omittas priora, & confundas ordinem, dum festinas ad posteriora. *Catan.*

Epist. XIX. 1. *in quadam epistola*) lib. VI. epist. 10.

2. *adeoque miratus*) Modiana lectio ex membranis correcta. Nouant. Lect. cp. 12.

quam

quam laudari posse, cuius nunc mihi subeunda defensio est. Omnes ego, qui magnum aliquod memorandumque fecerunt, non modo venia, verum etiam laude dignissimos iudico, si immortalitatem, quam meruere, sectantur, victurique nominis famam supremis etiam titulis prorogare nituntur. Nec facile quemquam, nisi Verginium inuenio, cuius tanta in praedicando verecundia, quanta gloria ex facto. Ipse sum testis, familiariter ab eo dilectus probatusque, semel omnino, me audiente, prouectum, vt de rebus suis hoc vnum referret, ita secum aliquando Cluuium loquutum; Scis, Vergini, quae historiae fides debeatur: proinde si quid in historiis meis legis aliter ac velles, rogo ignoscas. Ad hoc sic illum; Cluui, nae tu ignoras, ideo me feciſſe, quod feci, vt esset liberum vobis scribere, quae libuisset. Agedum, hunc ipsum Frontinum in hoc ipso, in quo tibi parcior videtur, & pressior, comparemus. Vetuit exstrui monimentum: sed quibus verbis? IMPENSA MONIMENTI SVPERVACVA EST; MEMORIA NOSTRI DVRABIT, SI VITA MERVIMVS. An restrictius arbitraris per orbem

3 4 5 6

3. *supremis titulis*) inscriptionibus sepulcrorum. Silius I. XV. v. 44. *Dum cineri titulum praetendit.*

5. *familiariter ab eo dilectus*) Vid. l. II. ep. 1. n. 8.

aliquando Cluuium] Cluuium Rufum, scriptorem rerum, Neronis tempore gestarum, cuius historiae Tacitus meminit XIV, 2 pr. Adde Voss. de Hist. Lat.

Cluui, nae tu) Buchnerus vidit *nae* legendum, vbi vulgatum fuerat *Cluuine*.

vt esset liberum vobis) Idem Buchnerus Timoleontis dictum conferri iubet apud Nepotem cap. 5.

terrarum legendam dare duraturam memoriam
sui, quam vno in loco duobus versiculis signare,
7 quod feceris? Quamquam non habeo propositum, illum reprehendendi, sed hunc tuendi: cuius quae potest apud te iustior esse defensio, quam
8 ex collatione eius, quem praetulisti? Meo quidem iudicio neuter culpandus, quorum vterque ad gloriam pari cupiditate, diuerso itinere, contendit; alter, dum expetit debitos titulos; alter, dum mauult videri contemsisse. Vale.

XX.

C. PLINIVS VENATORI SVO S.

Laetatur epistola, qua libros suos laudatos vidit: & de vindemiis nuntiat.

Tua vero epistola tanto mihi iucundior fuit, quanto longior erat, praesertim cum de libellis meis tota loqueretur; quos tibi voluptati esse non miror, cum omnia nostra, perinde ac
2 nos ames. Ipse, quum maxime, vindemias, graciles quidem, vberiores tamen quam exspectaueram, colligo; si colligere est, nonnunquam decerpere vuam, torculum inuisere, gustare de lacu

---

8. *diuerso itinere*] Supra ep. 14. huius libri de gloriae via: *Pergamus modo itinere instituto.*

Epist. XX. 1. *Tua vero*) Eleganter *vero* in responsionis primordio, vt infra ep. 38. & l. VI. ep. 12. & Cic. lib. IV. epist. 6. *Ego vero, mi Serui*, &c.

2. *quum maxime*) subaudiendum aliquid, aut *labore*, aut, quod proxime sequitur, *colligo*.

graciles) exiguae, ep. 16. huius libri: vel modicae, vt ep. 28. n. 2. Etiam l. VIII, ep. 15. n. 1. *graciles vindemiae*.

torculum) torcular seu torcularium. Nam & illa forma dicunt Onomast. vet. *Torculum*, ληνός.

mustum,

mustum, obrepere vrbanis, qui nunc rusticis praesunt, meque notariis & lectoribus reliquerunt. Vale.

XXI.

C. PLINIVS SABINIANO SVO S.

Libertum in gratiam cum patrono reducere tentat. Adde epist. XXIV. huius libri.

Libertus tuus, cui succensere te dixeras, venit ad me, aduolutusque pedibus meis, tamquam tuis, haesit. Fleuit multum, multumque rogauit; multum etiam tacuit: in summa, fecit mihi fidem poenitentiae. Vere credo emendatum, 2
quia deliquisse se sentit. Irasceris, scio: & irasceris merito, id quoque scio: sed tunc praecipua mansuetudinis laus, quum irae caussa iustissima est. Amasti hominem, &, spero, amabis: interim sufficit, vt exorari te sinas. Licebit rursus irasci, si meruerit: quod exoratus excusatius facies. Remitte aliquid adolescentiae i[illegible]sius, remitte lacrymis, remitte indulgentiae tuae: ne torseris illum, ne torseris etiam te. Torqueris enim, quum tam lenis irasceris. Vereor ne vi- 4

vrbanis) seruis & libertis, quos mecum ex vrbe adduxi, & rusticis operis per vindemias praefeci.

notariis & lectoribus) Serui a studiis sunt, & illi quidem, vt exciperent dictata: hi vt praeleger nt libros auscultanti domino & optima quaeque ad excerpendum obseruanti.

Epist. XXI. 3. *excusatius facies*) Vsus hoc aduerbio aliquoties Iustinus lib. XXI. c. 1. n. 4. *excusatius facturus, quod statuerat*: & lib. XXXII. c. 2. n. 1. *excusatius sacrilegia commissurum.*

tam lenis irasceris) qui alias tam placidus & mitis es, tibi ipse noces irascendo.

dear non rogare, sed cogere, si precibus eius meas iunxero. Iungam tamen tanto plenius & effusius, quanto ipsum acrius seueriusque corripui, districte minatus, nunquam me postea rogaturum. Hoc illi, quem terreri oportebat, tibi non idem. Nam fortasse iterum rogabo, iterum impetrabo: sit modo tale, vt rogare me, praestare te deceat. Vale.

XXII.

C. PLINIVS SEVERO SVO S.

Passieni aegritudine dolet, eiusque genus, mores, & ingenium laudat.

Magna me sollicitudine adfecit Passieni Pauli valetudo, & quidem plurimis iustissimisque de caussis. Vir est optimus, honestissimus, nostri amantissimus; praeterea in litteris veteres aemulatur, exprimit, reddit: Propertium imprimis, a quo genus ducit, vera soboles, eoque simillima illi, in quo ille praecipuus. Si elegos eius in manum sumseris, leges opus tersum, molle, iucundum, & plane in Propertii domo scriptum. Nuper ad lyrica deflexit, in quibus ita Horatium, vt in illis illum alterum, effingit. Putes,

4. *districte*) minis tamquam gladio districto vtens. *Herz.*

Epist. XXII. 1. *reddit*) quippe qui tempore deperditi quasi sunt, dum exprimit, reddit nobis. *Herz.*

a quo genus ducit) idem supra l. VI. ep. 15. praedicauit.

eo, in quo ille praecipuus) Elegiaco carmine, in quo Propertius facile princeps.

2. *effingit. Putes*) Quam Boxhornius in animo habuit, & Thomasius expressit, omnino vera lectio est, quum vulgaris *effingi putes*, mutilata sit, quoquo etiam modo eam construas.

si

si quid in studiis cognatio valet, & huius propinquum. Magna varietas, magna mobilitas. Amat, vt qui verissime; dolet, vt qui impatientissime; laudat, vt qui benignissime; ludit, vt qui facetissime: omnia denique tamquam singula absoluit. Pro hoc ego amico, pro hoc ingenio, non minus 3
aeger animo, quam corpore ille, tandem illum, tandem me recepi. Gratulare mihi; gratulare etiam litteris ipsis, quae ex periculo eius tantum discrimen adierunt, quantum ex salute gloriae consequentur. Vale.

XXIII.

C. PLINIVS MAXIMO SVO S.

Laetatur, doctorum nomine se imprimis & Tacitum intelligi.

Frequenter agenti mihi euenit, vt centumuiri, quum diu se intra iudicum auctoritatem grauitatemque tenuissent, omnes repente quasi victi coactique consurgerent laudarentque. Fre- 2
quenter e senatu famam, qualem maxime optaueram, retuli: nunquam tamen maiorem cepi voluptatem, quam nuper ex sermone Cornelii Taciti. Narrabat, sedisse secum Circensibus pro-

mobilitas) in variis carmine adfectibus exprimendis, *amat, laudat, ludit*) in carminibus suis.

Epist. XXIII. 1. *centumuiri*) lib. I. epist. 5. n. 11. *tenuissent*) silentes: sic supra lib. II. epist. 17. n. 8.

2. *sedisse secum Circensibus*) Abest *secum* a Palatino. Sich. *sedisse se Circensibus proximum equiti Romano.* Gruterus praefert, *sedisse Circensibus proxime equitem Romanum.* Ceterum quomodo sedere Tacitus senator cum equite Rom. potuit, quum ordinum sedes disiunctae fuerint? Lipsius ad Tacit. XV, 32. respondet ex Dionis LX, potuisse senatorem etiam inter equites spectare, sed in priuata veste.

ximis equitem Romanum, hunc post varios eruditosque sermones requisisse, Italicus es, an provincialis? se respondisse, Nosti me, & quidem ex
3 studiis. Ad hoc illum, Tacitus es, an Plinius? Exprimere non possum, quam sit iucundum mihi, quod nomina nostra, quasi litterarum propria, non hominum, litteris redduntur; quod vterque nostrum his etiam ex studiis notus, quibus aliter
4 ignotus est. Accidit aliud ante pauculos dies simile. Recumbebat mecum vir egregius, Fabius Rufinus, super eum municeps ipsius, qui illo die primum in vrbem venerat: cui Rufinus, demonstrans me, Vides hunc? Multa deinde de studiis
5 nostris. Et ille, Plinius est, inquit. Verum fatebor, capio magnum laboris mei fructum. An, si Demosthenes iure laetatus est, quod illum anus Attica ita demonstrauit, Οὗτός ἐστι Δημοσθένης! ego celebritate nominis mei gaudere non debeo?
6 Ego vero & gaudeo, & gaudere me dico. Neque enim vereor, ne iactantior videar, quum de me aliorum iudicium, non meum, profero: praeser-

3. *quod nomina - - redduntur*) i. e. demandantur scriptis nomina nostra, ac si non tam hominum, quam litterarum sc. studiorum sint propria: quia sc. eques ad Taciti verba: *nosti me ex studiis*, statim nomina sola *Taciti & Plinii* subiecerat. *Herz.*

his ex studiis notus] his hominibus ex studiis notus, *quibus*, scilicet hominibus.

5. *anus Attica ita demonstrauit*) Cicero Tusc. V, 36. *Demosthenes illo susurro delectari se dicebat aquam ferentis mulierculae, insusurrantisque alteri: HIC EST ILLE DEMOSTHENES.* Scil. vt Persius ait Satyr. I. v. 28. *Pulcrum est digito monstrari, & dicier, Hic est.*

tim

tim apud te, qui nec vllius inuides laudibus, & faues noſtris. Vale.

XXIV.

C. PLINIVS SABINIANO SVO S.

Gratias agit Sabiniano, quod precibus pro liberto locum dederit: & vt ſine deprecatore impoſterum placabilis ſit, monet.

Bene feciſti, quod libertum, aliquando tibi carum, reducentibus epiſtolis meis in domum, in animum recepiſti. Iuuabit hoc te: me certe iuuat; primum, quod te talem video, vt in ira regi poſſis: deinde, quod tantum mihi tribuis, vt vel auctoritati meae pareas, vel precibus indulgeas. Igitur & laudo & gratias ago. Simul in poſterum moneo, vt te erroribus tuorum, etſi non fuerit, qui deprecetur, placabilem praeſtes. Vale.

XXV.

C. PLINIVS MAMILIANO SVO S.

Ex caſtris ſollicitatus de carminibus, miſſurum eſſe finito rerum actu, pollicetur.

Quereris de turba caſtrenſium negotiorum, &, tamquam ſummo otio perfruare, luſus & ineptias noſtras legis, amas, flagitas, meque ad

---

Epiſt. XXIV. *quod libertum*) Vide ſuperiorem epiſtolam XXI. quae totam cauſſam explicabit.

Epiſt. XXV. 1. *de turba negotiorum*) Non hominum ſolum, ſed quarumuis rerum *turba* eſt. Sic *turba voluminum* Cic. de clar. Orat. c. 32; *vocum* Gell. N. A. l. IX. c. 15; *ſcelerum* Lucan. IV. v. 251; *rerum* Statius II. Silu. II, 44; *malorum* Senec. Medea v. 679. Supra lib. II. ep. 8. extr. noſter, *occupationum agmen*, ſimili tralatione.

luſus & ineptias] poemata, in quibus multa ludicra erant & amatoria.

2 similia condenda non mediocriter incitas. Incipio enim ex hoc genere studiorum non solum oblectationem, verum etiam gloriam petere, post iudicium tuum, viri grauissimi, eruditissimi, ac
3 super ista verisimi. Nunc me rerum actus modice, sed tamen distringit: quo finito aliquid earumdem Camaenarum in istum benignissimum sinum mittam. Tu passerculis & columbulis nostris inter aquilas vestras dabis pennas, si tamen & sibi & tibi placebunt: si tantum sibi, continendos cauea nidoue curabis. Vale.

XXVI.

C. PLINIVS LVPERCO SVO S.

Veterum exemplo probat, oratorem sublimia magis & fere praecipitia, quam humilia semper & depressa decere.

Dixi de quodam oratore seculi nostri, recto quidem & sano, sed parum grandi & ornato, vt opinor, apte, NIHIL PECCAT, NISI
2 QVOD NIHIL PECCAT. Debet enim orator erigi, attolli, interdum etiam efferuescere, efferri, ac saepe accedere ad praeceps. Nam ple-

---

3. *rerum actus*] forensium, ciuilium. Supra lib. IV. ep. 29. *Ita tu, quam proxime res agentur*, h. e. iudicia, forenses exercitationes.

sed tamen) Delectatur noster hac forma, vt lib. III, ep. 11. extr.

Camaenarum) carminum. Metonymia.

inter aquilas) signa militaria, quae aquilam argenteam praeferebant, ad quas adludit allegoria *passerculorum*, hoc est, suorum carminum; & postea *cauae, nidi.*

dabis pennas) diuulgabis, nota facies, vt famae alis [er castra ferantur.

rum-

rumque altis & excelsis adiacent abrupta: tutius per plana, sed humilius & depressius iter: frequentior currentibus, quam reptantibus, lapsus: sed his non labentibus nulla laus, illis nonnulla laus, etiamsi labantur. Nam vt quasdam artes, 3
ita eloquentiam nihil magis, quam ancipitia commendant. Vides, qui per funem in summa nituntur, quantos soleant excitare clamores, quum iam iamque casuri videntur. Sunt enim 4
maxime mirabilia, quae maxime insperata, maxime periculosa, vtque Graeci magis exprimunt, παραβόλα. Ideo nequaquam par gubernatoris

---

Epist. XXVI. 3. *qui per funem*] funambuli, schoenobatae.

4. παράβολα) Ita Palat. cod. & Aldi prima, & antiquior illa anonyma: sequiores παράδοξα. Sed ipse noster n. 5. *audentia* vertit, & παράβολοι Graecis proiectae audaciae homines, quales illi potissimum erant, qui operam suam locabant, vt in amphitheatro cum bestiis depugnarent. Socrates Hist. Eccl. lib. VII. c. 22. de Theodosio iuniore: *Quum aliquando venationis spectaculum in amphitheatro praeberet Constantinopoli, populus vociferari coepit:* δεινῷ θηρίῳ ἕνα τῶν εὐζώνων παραβόλων μάχεσθαι. Quod Cassiodorus Hist. Tripart. XI. cap. 17 ita Latine vertit: *Crudeli bestia artifex parabolus pugnet.* Hos Scaliger ad Manil. IV. v. 183 & Salmasius ad Pollionis Gallien. c. 12. eosdem putant esse, quos Latini appellant *confectores*: Valesius autem ad c. 1. Socratis ab his distinguit. Ingenium parabolorum Cassiodorus describit lib. V. epist. regia 42 sub initium. Sunt & *Parabolani* Lege 42 & seq. Cod. Theod. *de episc. eccles. & cler.* qui curam morbo, etiam pestilenti, laborantium audaciter suscipiebant, de quibus etiam Reinesius ad Inscript. p. 15. potest consuli.

nequaquam par gubernatoris) multi in hunc modum scripserunt. Nepos Attico cap. 10. n. 6. Liuius lib.

est virtus, quum placido & quum turbato mari vehitur: tunc admirante nullo illaudatus, inglorius subit portum; at quum stridunt funes, curuatur arbor, gubernacula gemunt, tunc ille
5 clarus & diis maris proximus. Cur haec? Quia visus es mihi in scriptis meis adnotasse quaedam vt tumida, quae ego sublimia; vt improba, quae ego audentia; vt nimia, quae ego plena arbitrabar. Plurimum autem refert, reprehendenda
6 adnotes, an insignia. Omnis enim aduertit quod eminet & exstat; sed acri intentione diiudicandum est, immodicum sit an grande, altum an enorme. atque vt Homerum potissimum attingam, quem tandem alterutram in partem potest fugere,

Βράχε δ' εὐρεῖα χθών,
Ἀμφὶ δ' ἐσάλπιγξε μέγας οὐρανός.

& totum illud.

Ὡς δ' ὅτε χείμαῤῥοι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες
Ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄμβριμον ὕδωρ.

7 Sed opus est examine & libra, incredibilia sint haec & immania, an magnifica & coelestia. Nec nunc ego me his similia aut dixisse aut posse dicere puto. Non ita insanio: sed hoc intelligi volo, laxandos esse eloquentiae frenos, nec angustissimo gyro ingeniorum impetus refringen-

---

XXIV. c. 8. Seneca ad Marciam cap. 6. incunte; & alii.

6. βράχε δ') Iliad. Φ. v. 387. Latine: Insonuit autem lata terra, circumque buccinauit magnum coelum,

Ὡς δ' ὅτε χείμαῤῥοι) Ex Iliad. Δ. v. 452. seq. Latine: Vt hiberni amnes de montibus fluentes in conuallem conferunt impetuosam aquam.

dos.

dos. At enim alia conditio oratorum, alia poe- 8
tarum. Quasi vero M. Tullius minus audeat. Quamquam hunc omitto: neque enim ambigi puto. Sed Demosthenes ipse, ille norma oratoris & regula, num se cohibet & comprimit, quum dicit illa notissima? Ἄνθρωποι μιαροὶ, καὶ κόλακες καὶ ἀλάστορες. Et rursus: ἐ γὰρ λίθοις ἐτείχισα τὴν πόλιν, ἀλλὰ πλίνθοις ἐγώ. Et statim: ἐκ ἐκ μὲν θαλάττης τὴν Εὔβοιαν προὐβαλόμην ἐγὼ πρὸ τῆς Ἀττικῆς. (ὅσον ἦν ἀνθρωπίνῳ λογισμῷ δυνατόν.) Et alibi: ἐγὼ δὲ οἶμαι μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, νὴ τοὺς θεοὺς ἐκεῖνον μεθύειν τῷ μεγέθει τῶν πεπραγμένων. Iam quid au- 9
dentius illo pulcerrimo ac longisimo excessu? νόσημα γάρ. Quid haec breuiora superioribus, sed audacia paria, Τότε ἐγὼ μὲν τῷ Πύθωνι θρασυνομένῳ καὶ πολλῷ ῥέοντι καθ' ὑμῶν. Ex eadem nota: Ὅταν δὲ ἐκ πλεονεξίας καὶ πονηρίας τίς, ὥσπερ ἕτος ἰσχύσῃ, ἡ πρώτη πρόφασις καὶ μικρὸν πταῖσμα ἅπαντα ἀνεχαίτισε καὶ διέλυσε. Simile his: Ἀπεσχοινισμένος ἅπασι τοῖς ἐν τῇ

8. Ἄνθρωποι μιαροὶ) Ex oratione περὶ στεφάνου, vnde etiam, quae proxime sequuntur, excerpta sunt.

Et alibi) Oratione IV. Philippica.

9. νόσημα γάρ) Ex Orat. περὶ παραπρεσβείας

Τότε ἐγὼ) Iidem ex Orat. de Corona.

Ὅταν δὲ ἐκ πλεονεξίας Ex secunda Olynthiaca.

Simile his) Ex Orat. in Aristogitonem. Haec sufficiat tantum indicasse, non exposuisse, quia iis, qui Graece sciunt, non obscura sunt: ceteris neque ex Latina versione satis patebunt, quia ad vim verborum, quam auctor intendit, intelligendam, plura quae praecedunt, quae sequuntur, simul excerpenda erant. Hoc autem

πόλει δικαίοις γνώσεσι τριῶν δικασηρίων. Et ibidem: σὺ τὸν εἰς ταῦτα ἕλκον προῦδωκας Ἀρισογείτον, μᾶλλον δὲ ἀνήρηκας ὅλως, μὴ δὴ πρὸς ἃς αὐτὸς ἕλκωκας λιμένας, καὶ προσβολῶν ἐπέπλησας, πρὸς τέτας ὁρμίζῃ. Et dixerat: Δέδοικα μὴ δόξητέ τισι τὸν ἀεὶ βελόμενον εἶναι πονηρὸν τῶν ἐν τῇ πόλει παιδοτριβειν. ἀσθενὴς μὲν γάρ ἐστι πᾶς ὁ πονηρὸς, καθ' ἑαυτόν. Et deinceps: Τέτῳ δ' ἀδύνατα ὁρῶ τῶν τόπων, τέτων βάσιμον ὄντα, ἀλλὰ πάντα ἀπόκρημνα, φάραγγας, βάραθρα. Nec satis: ἐδὲ γὰρ τὰς προγόνας ὑπολαμβάνω τὰ δικασήρια ταῦτα οἰκοδομῆσαι, ἵνα τὰς τοιαύτας ἐν αὐτοῖς μοσχεύητε, ἀλλὰ τἐναντίον, ἵν' ἀνείργητε, καὶ κολάζητε, καὶ μηδεὶς ζηλοῖ, μηδ' ἐπιθυμῇ κακίας. Adhuc: Εἰ δὲ κάπηλός ἐστι πονηρίας, καὶ παλιγκάπηλος, καὶ μεταβολεύς. Et mille talia; vt praeteream, quae ab Aeschine θαύματα, non ῥήματα, vocantur. In
10 contrarium incidi. Dices, hunc quoque ob ista culpari. Sed vide quanto maior sit, qui reprehenditur ipso reprehendente; & maior ob haec quoque. In aliis enim vis, in his granditas eius
11 elucet. Num autem Aeschines ipse iis, quae in Demosthene carpebat, abstinuit? χρὴ γὰρ (ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι,) τὸ αὐτὸ φεύγεσθαι τὸν ῥήτορα καὶ τὸν νόμον· ὅταν δ' ἑτέραν μὲν φωνὴν ἀφιῇ ὁ νόμος, ἑτέραν δὲ ὁ ῥήτωρ, τῷ τὰ νόμε

---

nimium foret instituto nostro, quod etiam Stephanus h. l. iudicauit.

11. *Aeschines)* aemulus & aduersarius Demosthenis, cuius sequentia Graeca sunt ex oratione contra Ctesiphontem. Plura de eo lib. II. ep. 3. n. 11. & lib. IV. ep. 5.

δικαίῳ

δικαίῳ χρὴ διδόναι τὴν ψῆφον, ἃ τῇ τᾶ λέγοντος ἀναισχυντίᾳ. Alio loco: ἔπειτα ἀναφάνεται περὶ πάντων ἐν τῷ ψηφίσματι πρὸς τῷ κλέμματι γράψας τὰ πέντε τάλαντα τᾶς πρέσβεις, ἀξιῶν τὰς Ὡρείτας μὴ ἡμῖν ἀλλὰ Καλλίᾳ διδόναι. ὅτι δὲ ἀληθῆ λέγω, ἀφελὼν τὸν κομπὸν, καὶ τὰς τριήρεις, καὶ τὴν ἀλωζονείαν ἐκ τᾶ ψηφίσματος, ἀνάγνωθι. Iterum alio: καὶ μὴ ἰᾶτε αὐτὸν εἰς τὰς τᾶ παρανόμε λόγες περιίσασθαι. Quod adeo probauit, vt repetat, ἀλλὰ ἔγκαθήμενοι καὶ ἐνεδρεύοντες ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ εἰσελαύνετε αὐτὸν εἰς τὰς τᾶ παρανόμε λόγες, καὶ τὰς ἐκτροπὰς αὐτᾶ τῶν λόγων ἐπιτηρεῖτε. An illa custoditius presi- 12
usque? σὺ δὲ ἑλκοποιεῖς, καὶ μᾶλλόν σοι μέλει τῶν αὐθημέρων λόγων, ἢ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως. Altius illa: ἐκ ἀποπέμψησθαι τὸν ἄνθρωπον ὡς κοινὴν τῶν Ἑλλήνων συμφοράν, ἢ συλλαβόντες ὡς λῃστὴν τῶν πραγμάτων διὰ τῆς πολιτείας πλέοντα τιμωρήσασθαι, & alia. Exspecto, vt quaedam ex hac epistola, vt illud, 13
GVBERNACVLA GEMVNT, &, DIIS MARIS PROXIMVS, iisdem notis, quibus ea, de quibus scribo, confodias. Intelligo enim me, dum veniam prioribus peto, in illa ipsa, quae adnotaueras, incidisse. Sed con- 14
fodias licet, dummodo iam nunc destines diem, quo & de illis & de his coram exigere possimus. Aut enim tu me timidum, aut ego te temerarium faciam. Vale.

12. *custoditius*) Supra lib. V. epist. 16. n. 3. *custodite.* Catanaeus *prudentius* interpretatur, & praefert aliorum (etiam Sichardi) lectioni, quae *commodius* tradit. Aldus vero etiam *custoditius.*
vero etiam *custoditius,*

13. *vt illud*) Additum hoc ex Palat. & vet. edit.

XXVII.

XXVII.

C. PLINIVS LATERANO SVO S.

Historiae reuerentiam haberi, exemplo monstrat.

Quanta potestas, quanta dignitas, quanta maiestas, quantum denique numen sit historiae, cum frequenter alias, tum proxime sensi. 2 Recitauerat quidam verissimum librum, partemque eius in alium diem reseruauerat: ecce amici cuiusdam orantes obsecrantesque, ne reliqua recitaret. Tantus audiendi, quae fecerint, pudor, quibus nullus faciendi, quae audire erubescunt. Et ille quidem praestitit, quod rogabatur; sinebat fides. 3 Liber tamen, vt factum ipsum, manet, manebit, legeturque semper, tanto magis, quia non statim. Incitantur enim homines ad agnoscenda, quae differuntur. Vale.

XXVIII.

C. PLINIVS ROMANO SVO S.

Tribus epistolis respondet: quartam curiosius scriptam, accepisse se negat.

Post longum tempus epistolas tuas, sed tres pariter recepi, omnes elegantissimas, amantissimas, & quales a te venire, praesertim desideratas, oportebat; quarum vna iniungis mihi iu-

---

Ep. XXVII. 1. *numen historiae*) veneratio eius supra id, quod humanum est. Adde lib. VII. ep. 27. n. 1.

3. *Incitantur homines ad agnoscenda*, Buchnerus conferri iubet Tacit. Hist. lib. I. c. 17. n. 3. & lib. II. cap. 96. n. 4. vbi suppressio famae alimentum illius, quo augeatur, dicitur.

eundis.

cundissimum ministerium, vt ad Plotinam, sanctissimam feminam, litterae tuae perferantur: perferentur. Eadem commendas Popilium Artemisium: statim praestiti, quod petebat. Indicas etiam, modicas te vindemias collegisse. Communis haec mihi tecum, quamquam in diuersissima parte terrarum, querela est. Altera epistola nuntias, multa te nunc dictare, nunc scribere, quibus nos tibi repraesentes. Gratias ago: agerem magis, si me illa ipsa, quae scribis aut dictas, legere voluisses. Et erat aequum, vt te mea, ita me tua scripta cognoscere, etiamsi ad alium, quam ad me pertinerent. Polliceris in fine, quum certius de vitae nostrae ordinatione aliquid audieris, futurum te fugitiuum rei familiaris, statimque ad nos euolaturum, qui iam tibi compedes nectimus, quas perfringere nullo modo possis. Tertia epistola continebat, esse tibi redditam orationem pro Clario, eamque visam vberiorem, quam dicente me, audiente te, fuerit. Est vberior. multa enim postea inserui. Adii-

2 3 4 5

Ep. XXVIII. 1. *vt ad Plotinam*) Traiani vxorem, augustam, cuius *sanctitas* Panegyrico cap. 83 laudatur. Nummus apud Vaillant. PLOTINA AVG. IMP. TRAIANI: in postico arae figura, cum subscriptione, ARA PVDIC. hoc est, ara pudicitiae.

3. *nos tibi repraesentes*] nostra studia aemulando facias, quasi vna sim, & tecum studeam.

4. *certius aliquid*) Sich. *certi*, non male.

5. *orationem pro Clario*) Alii, *pro C. Lanio*. Sed nulla alibi huius orationis vel nominis mentio.

Est vberior) longior, amplior, insertis paene multis, idque ex more, de quo lib. III. epist. 18. pr. & lib. IX. ep. 13. n. 23.

cis,

cis, alias te litteras curiosius scriptas misisse: an acceperim, quaeris: non accepi, & accipere gestio. Proinde prima quaque occasione mitte, appositis quidem vsuris, quas ego (num parcius possim?) centesimas computabo. Vale.

XXIX.

C. PLINIVS RVSTICO SVO S.

Diffisus perfectioni, in vno scribendi genere, se varios merendae veniae caussa, exercet.

Vt satius, vnum aliquid insigniter, quam facere plurima mediocriter; ita plurima mediocriter, si non possis vnum aliquid insigniter. Quod intuens ego, variis me studiorum generi-
2 bus, nulli satis confisus, experior. Proinde quum hoc vel illud leges, ita singulis veniam, vt non singulis, dabis. An ceteris artibus excusatio in numero, litteris durior lex, in quibus
3 difficilior effectus est? Quid autem ego de venia

---

vsuris) i. e. pluribus aliis, quae tamquam vsurae sunt, illarum, quas nondum decepi, & tu mihi debes. *Herz.*

num parcius possim?) Sic Palat. & vett. libri.

centesimas) Centesimae vsurae, quae in singulos menses pendebant centesimam debiti partem. Antiqui libri, *centesimam putabo. Cellar.* Alludere vero simul Plinius videtur ad sententiam ICtorum, qui centesimam pro legitima vsura habebant. Conf. Brisson. select. antiqu. iur. ciu. lib. III. c. 1. *Herz.*

Epist. XXIX. 1. *Vt satius, vnum aliquid*) Est a Palat. & edd. vett. *Grut.*

2. *excusatio in numero*) numerus & multitudo excusant imperfectionem operis, quasi perfectissimum futurum esset, si vni rei liceret operam dare.

quasi

quasi ingratus? Nam si ea facilitate haec proxima acceperis, qua priora, laus potius speranda, quam venia obsecranda est. Mihi tamen venia sufficit. Vale.

XXX.

C. PLINIVS GEMINIO SVO S.

Quae vera liberalitas sit, docet.

Laudas mihi, & frequenter praesens, & nunc per epistolas, Nonium tuum, quod sit liberalis in quosdam: & ipse laudo, sit tamen non in hos solos. Volo enim eum, qui sit vere liberalis, tribuere patriae, propinquis, affinibus, amicis, sed amicis dico pauperibus: non vt isti, qui iis potissimum donant, qui donare maxime possunt. Hos ego viscatis hamatisque muneribus 2
non sua promere puto, sed aliena corripere. Sunt ingenio simili, qui quod huic donant, auferunt illi, famamque liberalitatis auaritia petunt. Primum est autem, suo esse contentum: deinde, 3
quos praecipue scias indigere, sustentantem fouentemque, orbe quodam societatis ambire. Quae cuncta si facit iste, vsquequaque laudandus est: si vnum aliquod, minus quidem, laudandus tamen. Tam rarum est etiam imper- 4

Epist XXX. 1. *qui sit vere liberalis*) De liberalitatis cautionibus egregie Cicero lib. I. Offic. c. 14 disseruit.

2. *viscatis hamatisque*) Panegyr. c. 43. *Caesarum munera illitos cibis hamos aemulabantur.* Adde reliqua. Et Seneca epist. 8. quae huius generis sunt, viscata beneficia appellauit. Martialis lib. VI. epigr. 63.

Munera magna quidem misit; sed misit in hamo.

4. *Tam rarum est etiam imperfectae*) Variant libri.

fectae

fectae liberalitatis exemplar. Ea inuasit homines habendi cupido, vt possideri magis, quam possidere videantur. Vale.

XXXI.

C. PLINIVS SARDO SVO S.

Laudat Sardi librum, & laudatus in illo ipse, gratias agit.

Postquam a te recessi, non minus tecum, quam quum apud te, fui. Legi enim librum tuum, idemtidem repetens ea maxime (non enim mentiar) quae de me scripsisti. In quibus quidem percopiosus fuisti. Quam multa, quam varia, quam non eadem de eodem, nec tamen diuersa, 2 dixisti? Laudem pariter & gratias agam? Neutrum satis possum, &, si possem, timerem, ne arrogans esset, ob ea laudare, ob quae gratias agerem. Vnum illud addam, omnia mihi tanto laudabiliora visa, quanto iucundiora; & tanto iucundiora, quanto laudabiliora erant. Vale.

XXXII.

C. PLINIVS TITIANO SVO S.

Quid agat amicus, quaerit: & delicatum otium suum festiue narrat.

Quid agis? quid acturus es? Ipse vitam iucundissimam, id est, otiosissimam, viuo.

Sich. *Tam rara sunt etiam imperfectae liberalitatis exempla: tanta inuasit homines* &c.

possideri] dum scil. opum continendorum amore sic occupantur, vt nihil distribuant, quum ille, qui possidet, debeat, pro lubitu & voluntate opibus vti. *Herz.*

Ep. XXXI. 1. *quam varia*) Sich. *varie.*

de eodem, nec tamen diuersa) Palat. & Sichard. *de eodem iugo tamen diuersa.*

Ep. XXXII. 1. *quid acturus es*) Aliter Sich. *Quid*

Quo

Quo fit, vt scribere longiores epistolas nolim, velim legere: illud, tamquam delicatus; hoc tamquam otiosus. Nihil est enim aut pigrius delicatis, aut curiosius otiosis. Vale.

XXXIII.

C. PLINIVS CANINIO SVO S.

Mira de Hipponensi delphino narrat.

Incidi in materiam veram, sed similimam fictae, dignamque isto lactissimo, altissimo, planeque poetico ingenio. Incidi autem, dum super coenam varia miracula hinc inde referuntur. Magna auctoris fides; tametsi quid poetae cum fide? Is tamen auctor, cui bene vel historiam scripturus credidisses. Est in Africa Hipponen- 2
sis colonia, mari proxima: adiacet ei nauigabile stagnum, ex quo, in modum fluminis, aestuarium emergit, quod vice alterna, prout aestus aut repressit, aut impulit, nunc infertur mari, nunc redditur stagno. Omnis hic aetas piscandi, nauigandi, atque etiam natandi studio tenetur; ma- 3

---

agis? an quod ago ruri ipse? vitam iucundissimam &c, Ep. XXXIII. 1. *laetissimo*] quidam *scholastico*.

poetico ingenio) quia Caninius, ad quem missa epistola, poeta fuit, bellum Dacicum scripturus, lib VIII. epist. 4.

Magna auctoris fides) Narrant quippe idem Plinius major H. N. lib. IX. c. 8. & Gellius N. A. lib. VII. c. 8.

2. *Hipponensis colonia*) Hippo Diarrhytus, vt clare annunculus c. 1. expressit, & ex eodem Solinus c. 12.

aestuarium) Ab aestu marino seu maris fluxu refluxuque nominatur, estque locus depressior, aquam marinam tenens, aestu nunc augendam, nunc minuendam.

xime

xime puerorum, quos otium ludusque sollicitat. His gloria & virtus altissime prouehi: victor ille qui longissime vt littus, ita simul nantes, reliquit.
4 Hoc certamine puer quidam, audentior ceteris, in vlteriora tendebat: delphinus occurrit, & nunc praecedere puerum, nunc sequi, nunc circuire, postremo subire, deponere, iterum subire, trepidantemque perferre primum in altum: mox flectit ad littus, redditque terrae & aequalibus.
5 Serpit per coloniam fama: concurrere omnes, ipsum puerum tamquam miraculum adspicere, interrogare, audire, narrare. Postero die obsident littus, prospectant mare, & si quid est mari simile. Natant pueri: inter hos ille, sed cautius. Delphinus rursus ad tempus, rursus ad puerum venit. Fugit ille cum ceteris. Delphinus, quasi inuitet, reuocet, exsilit, mergitur,
6 variosque orbes implicitat expeditque. Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus, donec homines, innutritos mari, subiret timendi pudor: accedunt, & adludunt, & appellant: tangunt etiam, pertrectantque praebentem. Crescit audacia experimento. Maxime puer, qui primus expertus est, adnatat natanti, insilit tergo: fertur referturque, agnosci se, amari putat, amat
7 ipse: neuter timet, neuter timetur. Huius fiducia, mansuetudo illius augetur: nec non alii pueri

4. *in altum*) in profundum mare, a littore remotum.
5. *& si quid est mari simile*) stagnum & aestuarium.
orbes implicitat) Aldus hoc & Catanaeus: *implicat* Sich.
6. *innutritos mari* adsuetos natare in mari.

dextra

dextra laeuaque simul eunt hortantes monentesque. Ibat vna (id quoque mirum) delphinus alius, tantum spectator & comes. Nihil enim simile aut faciebat, aut patiebatur: sed alterum illum ducebat, reducebat, vt puerum ceteri pueri. Incredibile (tam verum tamen quam priora) del- 8
phinum gestatorem colluforemque puerorum in terram quoque extrahi solitum, arenisque siccatum, vbi incaluisset, in mare reuolui. Constat 9
Octauium Auitum, legatum proconsulis, in littus educto religione praua superfudisse vnguentum, cuius illum nouitatem odoremque in altum refugisse; nec nisi post multos dies visum languidum & moestum; mox, redditis viribus, priorem lasciuiam & solita ministeria repetisse. Consluebant ad spectaculum omnes magistra- 10
tus, quorum aduentu, & mora modica, respublica nouis sumtibus atterebatur. Postremo locus

8. *in terram extrahi*) Hoc *incredibile* dicit, quia creditum fuit, exstingui delphinos, quamprimum in terram erupissent. Ouidius Epistola 19 Herus ad Leandrum v. 201 de delphino:

Quem postquam bibulis illisit fluctus arenis,
Vnda simul miserum, vitaque deseruit.

Et Statius Achill. I. v. 227 de eodem:

ne nudae nocerent contagia terrae.

Sed falli hos, ex Plinii maioris loco ante indicato constat, qui *nec statim tellure tacta mori* (sic in MSS. legitur, non vt Hermolaus edidit, *& statim*) adfirmat, cui Aristoteles consentit Hist. animal. lib. VIII. c. 2.

9. *educto*) delphino.

religione praua) superstitione, tamquam diuinum aliquid in animali esset.

10. *respublica nouis sumtibus*) Plinius alter c. I. *Iniuriae*

ipse

ipse quietem suam secretumque perdebat. Pla-
II cuit occulte interfici, ad quod coibatur. Haec tu qua miseratione, qua copia deflebis, ornabis, attolles? Quamquam non est opus adfingas aliquid aut adstruas: sufficit, ne ea, quae sunt vera, minuantur. Vale.

XXXIV.

C. PLINIVS TRANQVILLO SVO S.

Consulit, num versus, quos male legere dicatur, ipse pergat recitare, an liberto legendos tradat.

Explica aestum meum. Audio, me male legere, dumtaxat versus: orationes enim commodius, sed tanto minus versus. Cogito ergo recitaturus familiaribus amicis, experiri libertum meum. Hic quoque similiter, quem elegi, non bene; sed melius scio lecturum, si tamen

---

potestatum in hospitales, ad visendum venientium, Hipponenses in necem eius compulerunt. Potestates sunt magistratus Romani per Africam: hospitales, coloni Hipponenses, qui hospites illos excipere & sumtu suo alere, ex veteri more, tenebantur:

Epist. XXXIV. 1. *aestum meum*) dubitationem. Virgilius Aen. lib. VIII. v. 19. *magno curarum fluctuat aestu.*

legere) recitare. mox enim *recitaturus*: quo de more supra aliquoties diximus.

libertum meum) lectorem, cuius generis Zosimus fuit, lib. V. epist. 11. n. 3. & Encolpius, lib. VIII. ep. 1.

Hic quoque similiter, quem) Locus vlcerosus, Grutero etiam iudice, vt in vulgatis libris est, nempe, *Hoc quoque familiare, quod elegi.* Quam nos lectionem damus, ex margine Sichardinae est, etiam a Thomasio approbata, nec incommodi sensus, quod libertus, quem eligat & substituat, non quidem bene, tamen melius Plinio lecturus sit.

non

non fuerit perturbatus. Est enim tam nouus lector, quam ego poeta. Ipse nescio quid illo 2
legente interim faciam, sedeam defixus, & mutus, & similis otioso; an (vt quidam) quae pronuntiabit, murmure, oculis, manu prosequar. Sed puto, me non minus male saltare, quam legere. Iterum dicam, explica aestum meum, vereque 3
rescribe, num sit melius, pessime legere, quam ista vel non facere, vel facere. Vale.

XXXV.

C. PLINIVS APPIO SVO S.

Librum sibi missum, quum vacauerit, lecturum esse promittit: & ne diligentior amicus in retractatione sit, monet.

Librum, quem misisti, recepi, & gratias ago: sum tamen hoc tempore occupatissimus. Ideo nondum eum legi, quum alioqui validissime cupiam: sed eam reuerentiam cum litteris ipsis, tum scriptis tuis debeo, vt sumere illa, nisi vacuo animo, irreligiosum putem. Diligentiam 2
tuam in retractandis operibus valde probo. Est tamen aliquis modus, primum, quod nimia cura deterit magis, quam emendat? deinde; quod

---

2. *murmure, oculis, manu*) Auditorum erat his signis iudicare, lib. V. epist. 3. n. 9; auctorem scripti, quod praelegebatur, dedecebant.

prosequar) subsequar, imitabor. *Cuiac.*

saltare) gesticulari. *Barth.*

Ep. XXXV. 1. *irreligiosum putem*) Liuius lib. V. c. 49. *irreligiosum ratus sacerdotes pedibus ire.*

2. *in retractandis*) emendandis, reformandis. Supra lib. VII. ep. 9. n. 5. & lib. IX. epist. 10. n. 3.

deterit magis, quam emendat) Lib. V. epist. 11. n. 3.

nos a recentioribus reuocat, simulque nec absoluit priora, & inchoare posteriora non patitur. Vale.

XXXVI.

C. PLINIVS FVSCO SVO S.

Quam vitae rationem & studiorum in secessu seu villa teneat, exponit.

Quaeris, quemadmodum in Tuscis diem aestate disponam. Euigilo, quum libuit, plerumque circa horam primam, saepe ante, tardius raro: clausae fenestrae manent. Mire enim
2 silentio & tenebris animus alitur. Ab iis, quae auocant, abductus, & liber, & mihi relictus, non oculos animo, sed animum oculis sequor, qui eadem, quae mens, vident, quoties non vident alia. Cogito, si quid in manibus, cogito ad verbum scribenti emendantique similis: nunc

---

de perfecto absolutoque opere: *nec iam splendescit lima, sed atteritur.* Vbi vide, sis, quae adnotauimus. Plinius maior H. N. lib. XXXV. cap. 10. *nocere saepe nimiam diligentiam,* memorabile praeceptum vocat.

Ep. XXXVI. 1. *in Tuscis)* in villa sub Apennino, lib. V. ep. 6. laudata.

aestate) Dicemus ad epist. vltim. huius libri n. 1.

circa horam primam) puta, dici: hoc est, mane, orto sole.

silentio & tenebris animus alitur) Quintilianus lib. X. c. 3. *Lucubrantes silentium noctis & clausum cubiculum, & lumen vnum velut tectos maxime teneat.*

2. *non oculos animo, sed)* Ibidem Demosthenes in locum se abdidisse dicitur, ex quo nulla vox exaudiri, nihilque prospici posset, *ne aliud agere mentem cogerent oculi.*

pau-

pauciora, nunc plura, vt vel difficile vel facile componi teneriue potuerunt. Notarium voco, &, die admisso, quae formaueram dicto; abit, rursusque reuocatur, rursusque remittitur. Vbi 3
hora quarta vel quinta (neque enim certum dimensumque tempus) vt dies suasit, in xystum me vel cryptoporticum confero; reliqua meditor & dicto; vehiculum adscendo. Ibi quoque idem, quod ambulans aut iacens. Durat intentio, mutatione ipsa refecta: paullum redormio, dein ambulo, mox orationem Graecam Latinamue clare & intente, non tam vocis caussa, quam stomachi, lego: pariter tamen & illa firmatur. Iterum ambulo, vngor, exerceor, lauor. Coenanti 4
mihi, si cum vxore, vel paucis, liber legitur: post coenam, comoedi aut lyristes: mox cum meis ambulo, quorum in numero sunt eruditi. Ita variis sermonibus vespera extenditur, &, quamquam longissimus, dies cito conditur. Non- 5

3. *non tam vocis caussa, quam stomachi*) Cornelius Celsus lib. I. c. 8. ineunte: *Si quis stomacho laborat, legere clare debet; post lectionem ambulare.*

vngor, exerceor, lauor) Vngebantur veteres ante corporis exercitationem & ante balnea. De vtraque vnctione diximus aliquid ad nostri *vnctuarium* lib. II. epist. 17. n. 11. plura ex Mercurialis Arte gymnast. I, 8. petere iussimus.

4. *comoedi aut lyristes*) In conuiuiis inter coenandum hi oblectabant, lib. I. ep. 15. & lib. IX ep. 17. heic post coenam priuatam reseruantur deliciae, vt coena vtilioribus, lectione libri, condiretur. Propterea quum frequentiora negotia vrgerent, intermissa haec oblectamenta, non facile autem lectio, quod ex epist. vlt. huius libri manifestum est.

nunquam ex hoc ordine aliqua mutantur. Nam si diu tacui, vel ambulaui, post somnum demum lectionemque, non vehiculo, sed (quod breuius, quia velocius) equo gestor, Interueniunt amici ex proximis oppidis, partemque diei ad se trahunt, interdumque lassato mihi opportuna inter-
6 pellatione subueniunt. Venor aliquando: sed non sine pugillaribus, vt quamuis nihil ceperim, nonnihil referam. Datur & colonis (vt videtur ipsis) non satis temporis, quorum mihi agrestes querelae litteras nostras & istaec vrbana opera commendant. Vale.

XXXVII.

C. PLINIVS PAVLLINO SVO S.

Excusat se, quod propter praediorum locationem calendis Ianuariis Paullino, consulatum inituro, non possit adesse.

Nec tuae naturae est, translaticia haec & quasi publica officia a familiaribus amicis contra ipsorum commodum exigere: & ego te constantius amo, quam vt verear, ne aliter ac velim accipias, nisi te calendis statim consulem videro:

---

6. *non sine pugillaribus*) lib. I. ep. 6.

agrestes querelae) Reuolue lib. IX. epist. 15. n. 1.

Epist. XXXVII. 1. *translaticia*) communia, vulgaria. Sic *tralaticium funus*, Sueton. Ner. c 32. *Alterum caput translaticium est*, Cic. III. ad Attic. epist 23. Origo notionis ex receptis formulis, quae ex vno edicto in plura transferuntur, atque ita communes fiunt. Gellius N. A. lib. III. cap. 18. *Hoc significabat edictum, quo nunc quoque consules, seruandae consuetudinis caussa, tralaticio vtuntur.*

nisi te calendis) Ianuariis, quo die consulatus inibatur. Gronouius *si non* pro *nisi* scribendum putat.

prae-

praesertim quum me necessitas locandorum praediorum plures annos ordinatura detineat; in qua mihi noua consilia sumenda sunt. Nam priore 2
lustro, quamquam post magnas remissiones, reliqua creuerunt: inde plerisque nulla iam cura minuendi aeris alieni quod desperant posse persolui; rapiunt etiam, consumuntque, quod natum est, vt qui iam putent se non sibi parcere. Occurrendum ergo augescentibus vitiis, & medendum 3
est. Medendi vna ratio, si non nummo, sed partibus locem, ac deinde ex meis aliquos exactores operi, custodes fructibus ponam: & alioqui nullum iustius genus reditus, quam quod terra, coelum, annus refert. Ad hoc, magnam 4
fidem, acres oculos, numerosas manus poscit: experiendum tamen, &, quasi in veteri morbo, quaelibet mutationis auxilia tentanda sunt. Vide, quam non delicata me caussa obire primum 5

---

2. *priore lustro*) quinquennio, quae periodus erat locandi praedia. Lege 3. §. 6. Dig. de iure fisci, *Quum quinquennium, in quo quis pro publico conductore se obligauit, excessit.* Lustro autem quinquennium vel integrum, vel inchoatum (seu plenum quadriennium) significatur, vt voce *olympiadis*.

remissiones) concessiones ex stipulata pensione. *Erlassungen.*

reliqua creuerunt) residua debitorum. *Reste.*

3. *nullum iustius genus reditus*) Cicero I. Offic. c. 42. *Omnium rerum, ex quibus aliquid adquiritur, nihil est agricultura melius.* Adde pro Rosc. Amer. c. 17.

5. *non delicata caussa*) molesta, taediosa. Supra ep 10. huius libri, *delicate, vt in secessu.*

consulatus tui diem non sinat: quem tamen hic praesens votis, gaudio, gratulatione celebrabo. Vale.

XXXVIII.

C. PLINIVS SATVRNINO SVO S.

Rufum laudat, non tam precibus alienis, quam ipsius meritis inductus.

Ego vero Rufum nostrum laudo: non quia tu, vt ita facerem, petiisti, sed quia est ille dignissimus. Legi enim librum omnibus numeris absolutum, cui multum apud me gratiae amor ipsius adiecit. Iudicaui tamen. Neque enim soli iudicant, qui maligne legunt. Vale.

XXXIX.

C. PLINIVS MVSTIO SVO S.

Aedem Cereris refecturus, marmora & signum sibi emi rogat.

Aruspicum monitu reficienda est mihi aedes Cereris in praediis in melius & in maius. Vetus sane & angusta, quum sit alioqui statо die
2 frequentissima. Nam idibus Septembribus magnus e regione tota coit populus, multae res aguntur, multa vota suscipiuntur, multa redduntur,

---

Ep. XXXVIII. *Ego vero*) Epist. 20. ineunte huius libri.

librum omnibus numeris absolutum) Lib. VI. epist. 17. n. 2. *absolutissimum* dixit.

Epist. XXXIX. *Mustio*) Videtur architectus fuisse, vt ex fine epistolae apparet.

1. *& angusta*) Casaub. *est angusta.*

2. *multae res aguntur*) etiam quae ad religionem non pertinebant, ciuiles puta, ex occasione confluentis populi ibi expeditae.

sed


PROVINCIA PONTICA
pag. 585.
Occidens
Byzantium
Bosporus Thracius
PROPONTIS
MYSIA
Cyzicus
Granicus fl.
Apamea
Chalcedon
Psillis
Lacus
Nicomedia
Calpas
Rhyndacus fl.
Prusias s. Prusa ad Olympum
Ascania palus
Nicea
Sangarius
BITHYNIA
PONTVS
Septentrio
Prusa
Hypus
Sinaus
Doryleum
Ancyra Phryg.
Sangarius
Heraclea
Claudiopolis s. Bithynium
Tios s. Teius
PHRYGIAE MAGNAE FINES
Dadastana
Iuliopolis
Gordium
Amastris
Flaviopolis s. Cratea
Cytorium
Carambis
GALATIA
Lympus
Pessinus
Ancyra Galatiae
PAPHLAGONIA
Pompeiopolis
Gangra
Cimolis
Armene
Tavium
Sinope
EVXINVS
Halys
Oriens



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862845467/phys_0564
DFG

sed nullum in proximo suffugium aut imbris aut solis. Videor ergo munifice simul religioseque 3
facturus, si aedem quam pulcerrimam exstruxero, addidero porticus: illam ad vsum deae, has ad hominum. Velim ergo emas quatuor marmoreas columnas, cuius tibi videbitur generis: emas marmora, quibus solum, quibus parietes excolantur. Erit etiam vel faciendum vel emendum 4
ipsius deae signum: quia antiquum illud e ligno quibusdam sui partibus vetustate truncatum est. Quantum ad porticus, nihil interim occurrit, 5
quod videatur istinc esse repetendum: nisi tamen, vt formam secundum rationem loci scribas: neque enim possunt circumdari templo; nam solum templi hinc flumine & abruptissimis ripis, hinc via cingitur. Est vltra viam latissimum pratum, in quo satis apte contra templum 6
ipsum porticus explicabuntur: nisi quid tu melius inueneris, qui soles locorum difficultates arte superare. Vale.

---

suffugium imbris aut solis) Vitruuius lib. III. cap. 2. Columnarum circa aedem dispositionem non solum ornatus caussa inuentam esse dicit, sed etiam, *si imbrium aquae vis occupauerit & intercluserit hominum multitudinem, vt habeat in aede circaque cellam cum laxamento liberam moram.*

4 *truncatum est*) Ita Palat. Ald. Sich. & alii veteres: sequiores *obtruncatum.*

5. *vt formam scribas*) figuram & speciem delinees seu depingas, *einen Riss machen.* Ausonius Mosella v. 299.

Pandere tectonicas per singula praedia formas,

XL.

C. PLINIVS FVSCO SVO S.

Cui vitae studiorumque rationem aestiuam, quam in secessu teneat, epist. XXXVI. perscripserat; eidem rogatus exponit etiam hibernam.

Scribis, pergratas tibi fuisse litteras meas, quibus cognouisti, quemadmodum in Tuscis otium aestatis exigerem: requiris, quid ex hoc
2 in Laurentino, hieme permutem. Nihil, nisi quod meridianus somnus eximitur, multumque de nocte vel ante vel post diem sumitur: &, si agendi necessitas instat, quae frequens hieme, non iam comoedo vel lyristae post coenam locus; sed illa, quae dictaui, idemtidem retractantur, ac simul memoriae frequenti emenda-
3 tione proficitur. Habes aestate, hieme consuetudinem; addas huc, licet, auctumnum, quaeque inter hiemem aestatemque media, vt nihil de die perdunt, ita de nocte paruulum adquirunt. Vale.

Epist. XL. 1. *litteras meas*) lib. IX. ep. 36.

in Laurentino, hieme) Tusci, secessus aestiuus, propter frigidas auras ex Apennino, lib. V. ep. 6. n. 14. Laurentinum, secessus hiemalis, quia austro propius, tepidiore aura vtitur.

2. *meridianus somnus*) Epist. 36. n 3.

3. *addas huc, licet*) licet. vt addas huc, hoc est, ad hiemem & aestatem, etiam auctumnum, & quae alia tempora *inter hiemem & aestatem media*, quae descriptio veris est.

LIBER

LIBER X.

In quo Epistolae Plinii ad Traianum Imperatorem; & Traiani ad Plinium.

I.

C. PLINIVS TRAIANO.

Traiano, imperium morte Neruae consequuto, gratulatur.

Tua quidem pietas, Imperator sanctissime, optauerat, vt quam tardissime succederes patri: sed dii immortales festinauerunt virtutes tuas ad gubernacula reipublicae, quam susceperas, admouere. Precor ergo, vt tibi, & per te 2.
generi humano, prospera omnia, id est, digna seculo tuo, contingant. Fortem te & hilarem, Imperator optime, & priuatim & publice opto.

II.

C. PLINIVS TRAIANO.

Iure trium liberorum donatus, principi gratias agit.

Exprimere, Domine, verbis non possum, quantum mihi gaudium attuleris, quod me dignum putasti iure trium liberorum. Quamuis enim Iulii Seruiani, optimi viri, tuique amantissimi, precibus indulseris: tamen etiam ex rescripto intelligo, libentius hoc ei te praestitisse, quia pro me rogabat. Videor ergo summam 2.

Ep. I, 1. *pietas.*) filii erga parentem amor & reuerentia. Adoptatus enim Traianus a Nerua erat.

2. *hilarem*) non tristem, nec austerum, sed cuius humanitate priuati gaudere possint.

Ep. II, 1. *iure trium liberorum*) Diximus ad lib. II. ep. 13. n. 8. Adde lib. VII. ep. 16. n. 2.

voti mei consequutus, quum inter initia felicissimi principatus tui probaueris, me ad peculiarem indulgentiam tuam pertinere: eoque magis liberos concupisco; quos habere etiam illo tristissimo seculo volui, sicut potes duobus matri-
3 moniis meis credere. Sed dii melius, qui omnia integra bonitati tuae reseruarunt. Malui hoc potius tempore me patrem fieri, quo futurus essem & securus & felix.

III.

C. PLINIVS TRAIANO.

A Traiano petit, vt Voconium in senatorium ordinem promoueat.

Indulgentia tua, Imperator optime, quam plenissimam experior, hortatur me, vt audeam tibi etiam pro amicis obligari; inter quos sibi vel praecipuum locum vindicat Voconius Romanus, ab ineunte aetate condiscipulus & contu-
2 bernalis meus. Quibus ex caussis & a diuo patre

2. *peculiarem indulgentiam*) Raro enim hoc beneficium, nec cuiuis petenti indulgebatur. Vide infra epist. 96.

matrimoniis meis) Amiserat vxorem Plinius lib. IX. epist. 13. n. 4. duxitque postea Calpurniam, Fabati neptem, ex qua maxime liberos cupiebat, vt ipse prosocero scribit lib. VIII. epist. 10. n. 3.

3. *hoc potius tempore patrem fieri*) sub tam bono & benigno principe. Panegyr. cap. 26. extr. *Talis es, vt sub te liberos tollere libeat & expediat.*

Ep. III. 1. *Voconius Romanus*) de quo lib. II. ep. 13. actum fuit.

2. *diuo patre*) Nerua post mortem in deorum numerum relato. *Panegyr.* c. 11.

tuo

tuo petieram, vt illum in ampliſſimum ordinem promoueret: ſed hoc votum meum bonitati tuae reſeruatum eſt, quia mater Romani liberalitatem ſeſtertii quadringenties, quod conferre ſe filio codicillis ad patrem tuum ſcriptis profeſſa fuerat, nondum ſatis legitime peregerat. Quod 3
poſtea fecit, admonita a nobis. Nam & fundos emancipauit, & cetera, quae in emancipatione implenda ſolent exigi, conſummauit. Quum 4
ſit ergo finitum, quod ſpes noſtras morabatur, non ſine magna fiducia ſubſigno apud te fidem pro moribus Romani mei, quos & liberalia ſtudia exornant, & eximia pietas, quae hanc ipſam

---

in ampliſſimum ordinem) ſenatum. Erat enim eques Vocenius, nec pater eius clarior, quam equeſtri gradu, *lib. II. epiſt. 13. n. 4.*

ſeſtertii quadringenties) Quod grandis nimium ſumma ex calculo ſaepius dato conficitur, millionis nempe ſeu decem tonnarum, quod etiam ex Scioppii tabula patet; de numero corrigendo dudum eruditi cogitauerunt. Budaeus de Aſſe lib. III. p. 93. *quadragies* legit: Buchnerus vel *quadringentis ſeſtertiis*, vel *quatuordecies ſeſtertii*, vel potius (vt Gronouius lib. II. c. 3. de Pec. vet. pag. 69. ipſum ſcribere voluiſſe cenſet) *quaterdecies*, quod ſummo huic viro non diſplicet.

conferre ſe filio) ad ſupplendum ſenatoris cenſum.

3. *fundos emancipauit*) abdicato dominio ſuo tradidit proprios filio. Valer. Maximus lib. VIII. cap. 6. n. 3. *dimidiam partem filio emancipauit.* In his *emancipare* eſt mancipare, dominium transferre.

4. *ſubſigno apud te fidem*) Ita Aldina altera A. 1518. niſi quod punctum poſt *ſubſigno* habet: prior corrupte *adit* pro *apud*. Vulgo, *ſubſigno. Auget fidem.* At noſter quoque lib. III. epiſt. 1. extr. *id iam nunc apud te ſubſigno.*

matris liberalitatem, & statim patris hereditatem, & adoptionem a vitrico meruit. Auget haec & natalium & paternarum facultatum splendor; quibus singulis multum commendationis accessurum etiam ex meis precibus, indulgentiae tuae credo. Rogo ergo, Domine, vt me exoptatissimae mihi gratulationis compotem facias, & honestis (vt spero) adfectibus meis praestes, vt non in me tantum, verum & in amico gloriari iudiciis tuis possim.

IV.

C. PLINIVS TRAIANO.

Medico suo ciuitatem Romanam: Antoniae libertis feminis ius Quiritium petit.

Proximo anno, Domine, grauissima valetudine vsque ad periculum vitae vexatus, iatralipten adsumsi: cuius sollicitudini & studio, tuae tantum indulgentiae beneficio, referre gratiam possum. Quare rogo, des ei ciuitatem Romanam. Est enim peregrinae conditionis, manumissus a peregrina. Vocatur ipse Harpocras: patronam habuit Thermuthin Theonis, quae iampridem defuncta est. Item rogo, des

---

& statim patris hereditatem) cuius vsusfructus adhuc videtur penes matrem fuisse.

5. *paternarum facultatum*) quas pater possederat, quamquam non omnes ad filium venisse videntur.

6. *iudiciis tuis*) dum dignos iudicas honoribus: sic infra epist 8.

Epist. IV. 1. *iatralipten*) medicum vnguentarium, qui oleis & vnguentis extrinsecus curat. Ars ipsa *iatraliptice* alteri Plinio lib. XXIX. cap. 1. dicta.

ius

ius Quiritium libertis Antoniae Maximillae, ornatissimae feminae, Heliae & Antoniae Harmeridi. Quod a te, petente patrona, peto.

V.

C. PLINIVS TRAIANO.

Alexandrinam etiam ciuitatem Harpocrati datam iactatur, cui litteras ad praefectum Aegypti, sibi licentiam occursus longioris petit.

Exprimere, Domine, verbis non possum, quanto me gaudio adfecerint epistolae tuae, ex quibus cognoui, te Harpocrati, iatraliptae meo, etiam Alexandrinam ciuitatem tribuisse, quamuis, secundum institutionem principum, non temere eam dare propositum esses. Esse autem Harpocran νομῆ μεμφιτικῆ indico tibi. Rogo ergo, 2
indulgentissime imperator, vt mihi ad Pom-

2. *ius Quiritium*) Buchnero est ius Latii, quia haec epistola distingui a ciuitate Romana videtur. Gronouio est ipsum ius ciuitatis, quia infra epist. 105, & Suetonii Claudio c. 19. ab iure Latinorum tamquam maius & perfectius distinctum est, illique superaddi solitum. Et Plinius auunculus l. V. c. 5 de Cornelio Balbo: *vni huic omnium externo curru & Quiritium iure donato: quippe Gadibus genito ciuitas Romana cum Balbo maiore patruo data est.*

Epist. V. 1. *etiam Alexandrinam*) praeter Romanam; nec vero illam vltro, sed Plinio itidem petenti concessit. Interponi enim debent epistolae 22 ac 23 huius libri, quia hac quinta respondetur vigesimae tertiae, quae Traiani est.

νομῆ μεμφιτικῆ) Aegyptus in varias praefecturas descripta erat, quas νομὰς (Latine quoque *nomos* ep. 23. Traiani) appellabant. Ordinem & numerum νομῶν Ptolemaeus tradit lib. IV. c. 5. in quibus etiam est *Memphiticus*, a Memphi, vrbe eius praecipua, nominatus.

peium Plantam, praefectum Aegypti, amicum tuum, sic, vt promisisti, epistolam mittas. Obuiam iturus, quo maturius, Domine, exoptatissimi aduentus tui gaudio frui possim, rogo, permittas mihi, quam longissime occurrere tibi.

VI.

C. PLINIVS TRAIANO.

Medici propinquis ciuitatem, & aliis ius Quiritium petit.

Proxima infirmitas mea, Domine, obligauit me Postumio Marino medico: cui parem gratiam referre beneficio tuo possum, si precibus meis, ex consuetudine bonitatis tuae, indulseris.
2 Rogo ergo, vt propinquis eius des ciuitatem, Chrysippo Mithridatis, vxorique Chrysippi, Stratonicae Epigoni, item liberis eiusdem Chrysippi, Epigono & Mithridati, ita vt sint in patris potestate, vtque iis in libertos seruetur ius Patronorum.
3 Item rogo, indulgeas ius Quiritium L. Satrio Abascantio, & P. Caesio Phosphoro, & Panchariae Soteridi. Quod a te, volentibus patronis, peto.

---

2. *exoptatissimi*) a Gronouio est; vulgo *exoptatissime*.
Ep. VI. 2. *ciuitatem*) Romanam, vt epist. 4.
Chrysippo Mithridatis) sc. filio, vt epist. 4. *Thermuthis Theonis*, puta, filia.
vt sint in patris potestate) in qua, dum erant peregrinae conditionis, non fuere, quum patria potestas sit iuris ciuilis. Sunt autem in patria potestate liberi, qui nascuntur post datam parentibus libertatem: ante geniti non sunt, nisi a principe id ius ac priuilegium impetretur.
3. *ius Quiritium*) Vide paullo ante epist. 4. Adde Tit. III. Vlpiani de Latinis.

VII.

VII.

C. PLINIVS TRAIANO.

Praeturam amico, Accio Surae, petit.

Scio, Domine, memoriae tuae, quae est benefaciendi tenacissima, preces nostras inhaerere: quia tamen in hoc quoque saepe indulsisti, admoneo simul & impense rogo, vt Accium Suram praetura exornare digneris, cum locus vacet. Ad quam spem alioqui quietissimum hortatur & natalium splendor, & summa integritas in paupertate, & ante omnia, felicitas temporum, quae bonam conscientiam ciuium tuorum ad vsum indulgentiae tuae prouocat & attollit.

VIII.

C. PLINIVS TRAIANO.

Sacerdotium sibi a Traiano Plinius petit.

Quum sciam, Domine, ad testimonium laudemque morum meorum pertinere, tam boni principis iudicio exornari, rogo, dignitati, ad quam me prouexit indulgentia tua, vel auguratum, vel septemuiratum, quia vacant, adiicere

---

Epist. VII. 1. *Accium Suram*) ita Aldina. Sura vero is est, ad quem exstat 27. epistola lib. VII. de specteris.

2. *quietissimum*) minime ambitiosum, sua sorte contentum, & forsan etiam in secessu viuentem. Sic *honesta quies* & *ambitio* lib. I. epist. 14. n. 5. opponuntur: & lib. VII. ep. 31. n. 1. coniungitur *quietus* cum *recto, integro, verecundo*, in Claudio Pollione.

Epist. VIII. *auguratum*) Hunc etiam impetrauit, lib. IV. epist. 8.

septemuiratum) septemuiratum epulonum, cuius erat, vt Cicero vocat lib. III. de Orat. cap. 19. *ludorum epu-*

digneris,

digneris, vt iure sacerdotii precari deos pro te publice possim, quos nunc precor pietate priuata.

IX.

C. PLINIVS TRAIANO.

Victoriam Traiano gratulatur.

Victoriae tuae, optime imperator, maximae, pulcerrimae, antiquissimae, & tuo nomine & reipublicae gratulor, deosque immortales precor, vt omnes cogitationes tuas tam laetus sequatur euentus; vt virtutibus tantis gloria imperii & nouetur & augeatur.

X.

C. PLINIVS TRAIANO.

Seruilii aduentum in Nicomediensem vrbem nuntiat.

Seruilius Pudens legatus, Domine, VIII calend. Decembr. Nicomediam venit: meque longae exspectationis sollicitudine liberauit.

XI.

C. PLINIVS TRAIANO.

Rosianum principi commendat.

Rosianum Geminum, Domine, arctissimo vinculo mecum tua in me beneficia iunxe-

---

lare sacrificium curare. Vetus inscriptio apud Grut. p. 227. n. 1. COLLEG. VII. VIR. EPVLON.

Epist. IX. *Victoriae tuae*) cui, non liquet. Dacica praecessit prouinciam Plinii: Parthica illam sequuta est. Sed varia in Oriente victoria, nec vnius temporis.

Epist X. *Nicomediam*) Bithyniae metropolin, vbi prouinciae praeses vt plurimum agebat.

Epist XI. *arctissimo vinculo*) quia quaestorem habuerat in consulatu. De quaestoris autem & consulis coniunctione dictum est ad lib. IV. epist. 15. n. 9.

runt.

runt. Habui enim illum quaestorem in consulatu, mei summe obseruantissimum expertus. Tantam mihi post consulatum reuerentiam praestat, vt publicae necessitudinis pignora priuatis cumulet officiis. Rogo ergo, vt ipsi apud 2
te, pro dignitate eius, precibus meis faueas: cui &, si quid mihi credis, indulgentiam tuam dabis. Dabit ipse operam, vt (in) his, quae ei mandaueris, maiora mereatur. Parciorem me in laudando facit, quod spero, tibi & integritatem eius, & probitatem, & industriam non solum ex eius honoribus, quos in vrbe sub oculis tuis gessit, verum etiam ex commilitio, esse notissimam. Illud 3
vnum, quod propter caritatem eius nondum mihi videor satis plene fecisse, etiam atque etiam facio; teque, Domine, rogo, gaudere me ex ornata quaestoris mei dignitate, id est, per illum mea, quam maturissime velis.

XII.

C. PLINIVS TRAIANO.

Gratias agit Traiano, quod Coelium ex consulatu in Bithyniam missurus sit.

Difficile est, Domine, exprimere verbis, quantam perceperim laetitiam, quod & mihi &

---

pignora) indicia, documenta, Buchnerus interpretatur, vt in illo Ouidii III. Fast. v. 73.

de cuius sanguine natus
Credor, &, vt credar, pignora certa dabo.

Et in Aetna Corn. Seueri v. 459.

Certaque venturae praemittit pignora flammae.

Plura Heinsius ad d. l. Ouidii.

2. *vt in his*) inclusa praepositio suspecta est, etiam Rittershusio.

3. *quam maturissime*) l. VIII. ep. 17. n. 6. & ep 21. n 9.

Epist. XII. 1. *mihi & socrui*) id vnice rogantibus.

socrui

forui meae praestitisti, vt ad finem consulatus Coelium Clementem in hanc prouinciam transferres. Ex illo enim mensuram beneficii tui penitus intelligo, quum tam plenam indulgentiam cum tota domo mea experiar: cui referre gratiam parem ne audeo quidem, quamuis maxime debeam. Itaque ad vota confugio, deosque precor, vt iis, quae in me assidue confers, non indignus existimer.

XIII.

C. PLINIVS TRAIANO.

Tabellarium regis Sauromatae ad Traianum mittit.

Scripsit mihi, Domine, Lycormas, libertus tuus, vt, si qua legatio a Bosporo veniisset, vrbem petitura, vsque in aduentum suum retineretur. Et legatio quidem dumtaxat in eam ciuitatem, in qua ipse sum, nulla adhuc venit; sed venit tabellarius Sauromatae, quem ego, vsus opportunitate, quam mihi casus obtulerat, cum tabellario, qui Lycormam ex itinere praecessit, mittendum putaui, vt possis ex Lycormae & ex

Coelium in hanc prouinciam transferres) vt succederet Plinio. Quibus enim patria & litterarum studia cara erant, quum prouincias regerent, petebant, vt maturae sibi bonus successor mitteretur; Cicero, Ciliciae proconsul, exemplo multis epistolis est.

2. *ne audeo quidem*) Gronou. pro vulgato *nec*.

Ep. XIII. *a Bosporo*) Cimmerio. nam Thracius non pertinebat ad Sauromatas.

tabellarius Sauromatae) ab rege Sauromatarum missus. Plinius maior lib. IV. c. 12. sect. 25. *Sarmatae, Graecis Sauromatae.*

regis

regis epistolis pariter cognoscere, quae fortasse pariter scire deberes.

XIV.

C. PLINIVS TRAIANO.

Diplomate se tabellarium Sauromatam iuuisse significat.

Rex Sauromates scripsit mihi, esse quaedam, quae deberes quam maturissime scire: qua ex caussa festinationem tabellarii, quem ad te cum epistolis misit, diplomate adiuui.

XV.

C PLINIVS TRAIANO.

Excusat, quod legatum regis Sauromatae non retinuerit.

Legato Sauromatae regis, quum sua sponte Niceae, vbi me inuenerat, biduo substitisset,

---

Epist. XIV. *Rex Sauromates*) Quod superiori epistola legationem a Bosporo exspectari scripsit, credibile videri potest, regem Bosporanorum intelligi. At vero Eutropius lib. VIII. c. 2. in Traiano, distinguit Sauromatas a Bosporanis; & geographi Sauromatas supra Bosporum collocant, Mela lib. I. extr. ad Tanais ripas: Strabo lib. II. pag. 78. ὑπὲρ τῆς Μαιώτιδος, vt vicinae Bosporanorum, sed in aquilonem magis inclinatae gentes intelligantur. Vir illustris Ezech. Spanhemius nummum Dissert. V. laudat ΒΑCΙΛΕΩC CAYPOMATOY, percussum temporibus Seueri.

diplomate) Diploma hoc loco litterae sunt publicae, tutum iter & alia cursui necessaria praestantes. *Ein Passport.* Capitolinus in Pertinace c. 1. *quod siue diplomatibus cursum vsurpauerat, pedibus ab Antiochia ad legationem suam iter facere coactus est.*

Epist. XV. 1. Intelligitur ex epist. 13.

Niceae) Bithyniae clarissima vrbe.

longio-

longiorem moram faciendam, Domine, non putaui. Primum quod incertum adhuc erat, quando libertus tuus Lycormas venturus esset; deinde quod ipse proficiscebar in diuersam prouinciae
2 partem, ita officii necessitate exigente. Haec in notitiam tuam perferenda existimaui, quia proxime scripseram, petiisse Lycormam, vt legationem, si qua veniisset a Bosporo, vsque in aduentum suum retinerem. Quod diutius faciendi nulla mihi probabilis ratio occurrit; praesertim quum epistolae Lycormae, quas detinere, vt ante praedixi, nolui, aliquot diebus hunc legatum anteceſſurae viderentur.

XVI.

C. PLINIVS TRAIANO.

Callidromum, multorum variante fortuna seruum, Traiano mittit.

Apuleius, Domine, miles, qui est in statione Nicomedensi, scripsit mihi, quemdam nomine Callidromum, quum detineretur a Maximo & Dionysio pistoribus, quibus operas suas locauerat, confugisse ad tuam statuam, perductumque ad magistratus indicasse, seruisse aliquando

---

Epist. XVI. 1. *in statione*) in praesidio, seu numero custodum & excubias agentium. Tacit lib. XIII. c. 35.

confugisse ad tuam statuam) Sacrosanctae principum statuae erant, ac instar asyli, non minus quam aræ deorum. Exempla apud Sueton. Aug. c. 17. & Tib. c. 53. & plura apud Lipsium ad illud Taciti, *arrepta imagine Caesaris*, annal. III. c 36. Adde Leg. 2. Dig. de his, qui sui vel al. iur. & Leg. 1. de praef. vrbi. Abusum huius rei castigat lex vn. Cod. de his qui ad stat. confug.

Labe-

Laberio Maximo, captumque a Susago in Moesia, & a Decebalo muneri missum Pacoro, Parthiae regi, pluribusque annis in ministerio eius fuisse: deinde fugisse, atque ita in Nicomediam peruenisse. Quem ego perductum ad me, quum 2
eadem narrasset, mittendum ad te putaui. Quod paullo tardius feci, dum requiro gemmam, quam sibi, habentem imaginem Pacori, & quibus insignibus ornatus fuisset, subtractam indicabat. Volui enim hanc quoque, si inueniri potuisset, 3
simul mittere, sicut glebulam misi, quam se ex Parthico metallo attulisse dicebat. Signata est annulo meo, cuius est aposphragisma, quadriga.

XVII.

C. PLINIVS TRAIANO.

Procuratorem Caesaris testimonio prosequitur.

Maximum, libertum & procuratorem tuum, Domine, per omne tempus, quo fuimus vna,

---

a Decebalo muneri missum Pacoro) Decebalus rex Daciae, a Traiano debellatus; Pacorus, clarum nomen in Parthorum regibus. Hic Pacorus III, de quo Martialis lib. IX epigr. 36.

Scis, quid in Arsacia Pacorus deliberet aula.

3. *glebulam ex Parthico metallo*) glebam rudem, vti ex fodinis eruitur. *Metallum* saepe fodina est, vt in nota formula, *ad metallum damnari*. Adi Buchn.

aposphragisma, quadriga.) imago & character sigilli, quadriga. Nominat figuram maioris fidei caussa, quia vnus etiam non vna vtebatur. Capitolinus in Albino c. 2 ex litteris Commodi: *Litteras misi, quas ipse signatas excipies signo Amazoniae.*

Epist. XVII. *Maximum*) libertum Traiani, *epist.* 37. & adiutorem procuratoris Pliniani, *ibidem*, & ipsius

pro-

probum, & industrium, & diligentem, ac, sicut rei tuae amantissimum, ita disciplinae tenacissimum expertus, libenter apud te testimonio prosequor ea fide, quam tibi debeo.

XVIII.

C. PLINIVS TRAIANO.

Gabium Bassum laudat apud Traianum.

Gabium Bassum, Domine, praefectum orae Ponticae, integrum, probum, industrium, atque inter ista reverentissimum mei expertus, voto pariter & suffragio prosequor, ex fide, quam tibi debeo: quem abunde conspexi instructum commilitio tuo: cuius disciplinae debet, quod indulgentia tua dignus est. Apud me & milites & pagani, a quibus iustitia eius & humanitas penitus inspecta est, certatim ei, qua priuatim, qua publice, testimonium retribuerunt. Quod in notitiam tuam perfero ea fide, quam tibi debeo.

---

silinii in rationibus ciuitatum examinandis, *ep.* 28. *extr.* Procurator Caesaris hic dicitur, quae maior dignitas erat, & par quaestoriae, ad quam fortasse euectus fuit, nisi diuersa procurationis genera fuerunt.

Ep. XVIII. 1. *praefectum orae Ponticae*) praefectum militiae in ora Pontica. Add. ep. 32.

commilitio tuo) quo tecum militauit, quum adhuc priuatus esset, contra varios hostes.

2. *milites & pagani*) In iure ciuili pagani opponuntur militibus: nec aliter Tacitus Hist. lib. I. c. 53. *inter paganos corruptior miles:* & Suetonius Aug. c. 27. *turba paganorum apud milites:* ac cumprimis Vegetius lib. II. c. 23. extr. *Si doctrina cesset armorum, nihil paganus differat a milite.*

XIX.

XIX.

C. PLINIVS TRAIANO.

Filium commilitonis sui, & ipsum acrem militem, commendat.

Nymphidium Lupum, Domine, primipilarem, commilitonem habui, quum ipse tribunus essem, ille praefectus: inde familiariter diligere coepi. Creuit postea caritas ipsa mutuae vetustate amicitiae. Itaque & quieti eius inieci 2
manum, & exegi, vt me in Bithynia consilio instrueret. Quod ille amicissime, & otii & senectutis ratione postposita, & iam fecit, & facturus est. Quibus ex caussis necessitudines eius inter 3
meas numero, & filium inprimis, Nymphidium Lupum, iuuenem probum, industrium, & egregio patre dignissimum, suffecturum indulgentiae tuae: sicut primis eius experimentis cognoscere potes, quum praefectus cohortis plenissimum testimonium meruerit Iulii Ferocis & Fusci Sali-

---

Epist. XIX. 1. *primipilarem*) principem centurionum, qui primum pilum duxit, quae magna dignitas apud Romanos erat. Vid. Lipsi. de Mil. R. lib. II. c. 8.

ille praefectus) cohortis, vt plenius infra de filio dicitur.

2. *quieti eius*) vacationi a militia & re publica propter aetatem. Senex enim erat.

3. *necessitudines*) consanguineos, agnatos. Sueton. Aug. c. 17. *Remisit* (Antonio) *hosti iudicato necessitudines amicosque omnes.*

suffecturum) parem futurum muneribus, quae iniunxerit illi indulgentia tua. Scite Buchnerus illud Statii V. Silu II. v. 175. conferri iubet:

Vade puer, tantisque enixus suffice donis.

natoris,

natoris, clarissimorum virorum. Meum gaudium, Domine, meam gratulationem filii honores continerent.

Incipiunt Plinii & Traiani Epistolae mutuae.

XX.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Excusat se Traiano, quod praefectus aerario patrocinium Afris negauerit, & rursus iubente senatu praestiterit.

Vt primum me, Domine, indulgentia vestra promouit ad praefecturam aerarii Saturni, omnibus aduocationibus, quibus alioqui nunquam eram promiscue functus, renuntiaui, vt toto animo, delegato mihi officio vacarem. 2 Qua ex caussa, quum patronum me prouinciales optassent contra Marium Priscum, & petii veniam huius muneris, & impetraui: sed quum postea consul designatus censuisset, agendum nobiscum,

Epist. XX 1. *indulgentia vestra*) Vestra, id est, Traiani & Neruae. Id officii enim, viuente Nerua, sed post Traiani adoptionem, susceperat, vt ex sequente ep. 24. n. 3. non obscure apparet. Quidam *tua* legunt, quos Veenh. sequutus est.

praefecturam aerarii Saturni) Plinius biennium praefectus aerarii fuit, *Paneg. c. 91. pr.* quod Saturni cognominatur, quia erat in aede Saturni, quemadmodum ad Opis (aedem) etiam pecunia publica adseruabatur. *Cic. Phil. I, 7. II, 14. 37.*

2. *prouinciales*) Afri, quibus proconsul Marius Priscus praefuerat lib. II. epist. 11.

huius muneris) aduocationis.

censuisset. agendum). Gruteri emendatio, qui etiam pluraliter reponi cupit *consulès designati censuissent*, in quo Thomasius illum sequutus est. Sed nolo tot litteras sine vestigiis librorum immutare.

quorum

quorum erat excusatio recepta, vt essemus in senatus potestate, pateremurque nomina nostra in vrnam coniici, conuenientissimum esse tranquillitati seculi tui putaui, praesertim tam moderatae voluntati amplissimi ordinis non repugnare. Cui obsequio meo, opto, vt existimes constare 3
rationem, quum omnia facta dictaque mea probare sanctissimis moribus tuis cupiam.

XXI.

TRAIANVS PLINIO S.

Et ciuis & senatoris boni partibus functus es, obsequium amplissimi ordinis, quod iustissime exigebat, praestando. Quas partes impleturum te secundum susceptam fidem confido.

XXII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Gratias agit pro impetratis, quae epist. IV. rogauerat, & Alexandrinam quoque ciuitatem iatraliptae suo petit.

Ago gratias, Domine, quod & ius Quiritium libertis necessariae mihi feminae, & ciuitatem Romanam Harpocrati, iatraliptae meo, sine mora indulsisti. Sed quum annos eius & censum, sicut praeceperas, ederem, admonitus sum a peritioribus, debuisse me ante ei Alexandrinam ciuitatem impetrare, deinde Romanam, quoniam esset Aegyptius. Ego autem, quia inter 2
Aegyptios, ceterosque peregrinos, nihil interesse credebam, contentus fueram hoc solum scribere

Epist. XXII, 1. *annos eius & censum ederem*) aetatem & facultates profiterer, vt certae classi ciuium adscribi posset.

tibi, cum scilicet a peregrina manumissum, patronamque eius iampridem decessisse. De qua ignorantia mea non queror, per quam stetit, vt
3 tibi pro eodem homine saepius obligarer. Rogo itaque, vt beneficio tuo legitime frui possim, tribuas ei & Alexandrinam ciuitatem, & Romanam. Annos eius & censum (ne quid rursus indulgentiam tuam moraretur) libertis tuis, quibus iusseras, misi.

XXIII.

TRAIANVS PLINIO S.

Ciuitatem Alexandrinam, secundum institutionem principum, non temere dare proposui: sed cum Harpocrati, iatraliptae tuo, iam ciuitatem Romanam impetraueris, huic quoque petitioni tuae negare non sustineo. Tu, ex quo nomo sit, notum mihi facere debebis, vt epistolam tibi ad Pompeium Plantam, praefectum Aegypti, amicum meum, mittam.

---

2. *per quam stetit*) quae in caussa fuit. Liuius lib. IX. cap. 14. *per vtros stetisset, quo minus discederetur ab armis.* Et lib. XXIV. cap. 17. *vt per eum stetisse diceret, quo minus accepta ad Cannas redderetur hosti clades.*

3. *libertis tuis*) Libertorum opera ad maximas res vtebantur Romani principes. Exempla vbique prostant.

Epist. XXIII. Epistola haec Traiani praecessit eam, quae in hoc libro est quinta.

ex quo nomo sit) Expositum eadem ep. 5, huius libri.

XXIV.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Commeatum in agros excurrendi petit, tum rerum suarum causſa, tum vt templum exſtruat, in quo principum imagines ponantur.

Quum diuus pater tuus, Domine, & oratione pulcerrima & honeſtiſſimo exemplo omnes ciues ad munificentiam eſſet cohortatus, petii ab eo, vt ſtatuas principum, quas in longinquis agris per plures ſucceſſiones traditas mihi, quales acceperam, cuſtodiebam, permitteret in municipium transferre, adiecta ſua ſtatua. Quodque ille mihi 2
cum pleniſſimo teſtimonio indulſerat, ego ſtatim decurionibus ſcripſeram, vt adſignarent ſolum, in quo templum pecunia mea exſtruerem: illi in honorem operis ipſius electionem loci mihi obtulerunt. Sed primum mea, deinde patris tui 3
valetudine, poſtea curis delegati a vobis officii retentus, nunc videor, commodiſſime poſſe in rem praeſentem excurrere. Nam & menſtruum meum calend. Septembris finitur, & ſequens menſis complures dies feriatos habet. Rogo ergo, 4
ante omnia, permittas mihi, opus, quod inchoa-

Epiſt. XXIV. 1. *diuus pater tuus*) Nerua, qui Traianum adoptauit. *Diuus* defunctis & conſecratis imperatoribus proprium.

in municipium) Tifernum Tiberinum, l. IV. ep. 1.

3. *a vobis*] Nerua & adoptato Traiano, vt initio ep. 20. *indulgentia veſtra.*

officii) praefecturae aerarii. *ibid.*

menſtruum meum) tempus. Inter collegas enim labores per menſes, aut vices menſtruas, diſpenſabantur. Vid. Sueton. Caeſ. cap. 20.

turus sum, exornare & tua statua: deinde, vt hoc facere quam maturissime possim, indulgeas
5 commeatum. Non est autem simplicitatis meae dissimulare apud bonitatem tuam, obiter te plurimum collaturum vtilitatibus rei familiaris meae. Agrorum enim, quos in eadem regione possideo, locatio, quum alioqui CCCC excedat, adeo non potest differri, vt proximam putationem nouus colonus facere debeat. Praeterea continuae sterilitates cogunt me de remissionibus cogitare: quarum rationem, nisi praesens, inire
6 non possum. Debebo ergo, Domine, indulgentiae tuae & pietatis meae celeritatem, & status ordinationem, si mihi ob vtraque haec dederis commeatum XXX dierum. Neque enim angustius tempus praefinire possum, quum & municipium & agri, de quibus loquor, sint vltra centesimum & quinquagesimum lapidem.

---

4. *indulgeas commeatum*) Lib. V. epist. 15. n. 9.

5. *CCCC*] quadringenta, subaudi, millia nummum, siue sestertia, quae valent 12500. imperiales, Scioppio 1000. scutatos.

remissionibus) lib. IX. epist. 37. n. 2.

6. *& pietatis celeritatem*) Duo dicit se, impetrato commeatu, debiturum principi, *pietatis* in statuis ponendis celeritatem; *& status* seu rei familiaris ordinationem. Gronouius *status* reduxit in locum *statuarum*, quod vulgatum erat, & vim vocabuli exemplis commonstrat, Velleii lib. II. c. 2. & 72. Taciti annal. III. cap. 28. n. 5. & leg. vlt. D. ad L. Iuliam maiest.

XXV.

TRAIANVS PLINIO S.

Et priuatas multas & omnes publicas cauſſas petendi commeatus reddidiſti: mihi autem vel ſola voluntas tua ſuffeciſſet. Neque enim dubito te, vt primum potueris, ad tam diſtrictum officium reuerſurum. Statuam poni mihi a te eo, quo deſideras loco, quamquam eiusmodi honorum parciſſimus, tamen patior, ne impediſſe curſum erga me pietatis tuae videar.

XXVI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Suum ad Bithyniam acceſſum nuntiat.

Quia confido, Domine, ad curam tuam pertinere, nuntio tibi, me Epheſum cum omnibus meis ὑπὲρ Μαλέαν nauigaſſe. Quamuis contrariis ventis retentus. Nunc, deſtino partim orariis nauibus, partim vehiculis, prouinciam petere. Nam ſicut itineri graues aeſtus, ita continuae nauigationi eteſiae reluctantur.

Epiſt. XXVI. ὑπὲρ Μαλέαν) Malea promontorium Laconiae, iuxta quod curſum flectunt, qui Peloponneſum praeternauigant. Infame erat propter praedonum inſidias, *Florus lib. III. cap. 6. n. 3.*

orariis nauibus) Turnebus Aduerſar. 4. I. c. 16. interpretatur actuarias & paruas, quibus ſecundum oram nauigabatur. Maioribus enim opus eſt in alto nauigaturis.

eteſiae reluctantur) Harum quidem ſtatu in orientem nauigantibus ſecundum mare, *Tacit. Hiſtor. Lib. II. cap. 98.* noſtro autem ideo aduerſum, quia in ſeptentrionem ab Epheſo in Bithyniam tendebat.

XXVII.

TRAIANVS PLINIO S.

Recte renuntiasti mihi, eunde carissime. Pertinet enim ad animum meum, quali itinere in prouinciam peruenias. Prudenter autem constituis interim nauibus, interim vehiculis uti, prout loca suaserint.

XXVIII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Nuntiat, se tandem in prouinciam uenisse, & rationis excutere, propter quas mensorem ex urbe petit.

Sicut saluberrimam nauigationem, Domine, vsque Ephesum expertus, ita inde, postquam vehiculis iter facere coepi, grauissimis aestibus, atque etiam febriculis, vexatus Pergami subsiti. 2 Kursus, quum transissem in orarias nauiculas, contrariis ventis retentus, aliquanto tardius, quam speraueram, id est, xv calend. Octobres, Bithyniam intraui. Non possum tamen de mora queri, cum mihi contigerit, quod erat auspicatissimum, natalem tuum in prouincia celebrare. 3 Nunc reipubl. Prusensium impendia, reditus, debitores excutio: quod ex ipso tractu magis ac magis necessarium intelligo. Multae enim pecuniae variis ex caussis a priuatis detinentur: praeterea quaedam minime legitimis sumtibus

Epist. XXVIII. 1. *Pergami subsiti*) Constare hinc iter Secundi in Asia potest, quod terrestre partim fuit, partim maritimum. Deflexit enim Pergamo rursus ad mare.

3. *Prusensium*) Prusa Bithyniae vrbs. Vid. epist. 75. & 85. pr.

ero-

erogantur. Haec tibi, Domine, in ipso ingressu meo scripsi. Quintodecimo cal. Oct. Domine, prouinciam intraui, quam in eo obsequio, in ea erga te fide, quam de genere humano mereris, inueni. Dispice, Domine, an necessarium putes, mittere huc mensorem. Videntur enim non mediocres pecuniae posse reuocari a curatoribus operum, si mensurae fideliter aguntur. Ita certe prospicio ex ratione Prusensium, quam cum Maximo tracto. 4 5

XXIX.

TRAIANVS PLINIO S.

Cuperem sine querela corpusculi tui, & tuorum, peruenire in Bithyniam potuisses, ac simile tibi iter ab Epheso ei nauigationi fuisset, quam expertus vsque illo eras. Quo autem die peruenisses in Bithyniam, cognoui, Secunde carissime, litteris tuis. Prouinciales, credo, prospectum sibi a me, intelligent. Nam & tu dabis operam, vt manifestum sit, illis electum te esse, qui ad eosdem mei loco mitterēris. Rationes autem in primis tibi rerum publicarum excutiendae sunt. Nam & esse eas vexatas satis constat. 2 3

5. mensorem) architectum, peritum ita metiendi & locandi opera, vt ratio sumtuum constet, nec excedat. Vetus inscriptio apud Gruter. pag. 623.

D. M.
L. CAECILI MAXIMI
MENSORIS AEDIFICIORVM.

cum Maximo) liberto Traiani & procuratore, epist. 17. & 37.

Epist. XXIX. 1. *ei nauigationi*) Casaubono debetur: alii *vt nauigationi*, vel *vt nauigatione*.

Mensores vix etiam iis operibus, quae aut Romae, aut in proximo, fiunt, sufficientes habeo: sed in omni prouincia inueniuntur, quibus credi possit, & ideo non deerunt tibi, modo velis diligenter excutere.

XXX.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Consulit, custodiae per publicos seruos adseruandae sint, an per milites.

Rogo, Domine, consilio me regas haesitantem, vtrum per publicos ciuitatum seruos (quod vsque adhuc factum) an per milites, adseruare custodias debeam. Vereor enim, ne & per seruos publicos parum fideliter custodiantur, & non exiguum militum numerum haec cura distringat. Interim publicis seruis paucos milites addidi. Video tamen periculum esse, ne id ipsum virisque negligentiae caussa sit; dum communem culpam hi in illos, illi in hos regerere posse confidunt.

XXXI.

TRAIANVS PLINIO S.

Nihil opus est, mi Secunde carissime, ad continendas custodias, plures commilitones conuerti. Perseueremus in ea consuetudine, quae isti prouinciae est, vt per publicos seruos custodiantur. Etenim, vt fideliter hoc faciant, in tua seueri-

---

Epist. XXX. 1. *custodias*) vinctos, captiuos, reos, qui in custodia detinentur. Seneca epist. 77. sub fin. *vnus ex custodiarum agmine.*

distringat) detineat, auertat a vexillis.

tate

tate ac diligentia positum est. Inprimis enim, sicut scribis, verendum est, ne, si permisceantur seruis publicis milites, mutua inter se fiducia negligentiores sint: sed & illud haereat nobis, quam paucissimos milites a signis auocandos esse.

XXXII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Cur nondum a Bassio supernumerarios milites reuocauerit, significat.

Gabius Bassus, praefectus orae Ponticae & reuerentissime & officiosissime, Domine, venit ad me, & compluribus diebus fuit mecum. Quantum perspicere potui, vir egregius, & indulgentia tua dignus: cui ego notum feci, praecepisse te, vt ex cohortibus, quibus me praeesse voluisti, contentus esset beneficiariis decem, equiti-

---

Epist. XXXI. 2. *haereat nobis*] constanter obseruetur. Opponitur obliuioni. Cicero. IV. Catilin. cap. 10. *in omnium gentium sermonibus ac mentibus semper haerebit.* Adde infra epist. 96.

Epist. XXXII. *praefectus orae Ponticae*) supra epist. 18. huius libri.

reuerentissime & officiosissime) Aduerbia sunt, & cum verbo *venit ad me*, cohaerent. Supra epist. 18. de eodem Basso *reuerentissimum mei*. Recentiores *reuerentissimae*, ad *orae* referunt. inepte. *Grut.*

beneficiariis) Beneficiariorum militum crebra est mentio, vt apud Caesarem Bell. Ciu. lib. I. cap. 75. & lib. III. c. 88. Veget. II, 7. & in lapidibus *beneficiarii tribunorum* memorantur. A beneficio nomen esse non dubitatur, quod vel promotio ad maiorem dignitatem fuit, vt Vegetio videtur; vel vacatio a munere, vt Festus interpretatur, *munificibus* illos opponens. Subscribit Salmasius in Solin. pag. 386. *Beneficiarii, qui beneficio tri-*

bus duobus, centurione vno. Respondit; non sufficere sibi hunc numerum, idque se scripturum tibi. Hoc in caussa fuit, quo minus statim reuocandos putarem, quos habet supra numerum.

XXXIII.

TRAIANVS PLINIO S.

Et mihi scribit Gabius Bassus, non sufficere sibi eum militum numerum, qui vt daretur illi, mandatis meis complexus sum. Quod quaeris, scripsisse me, vt notum haberes, his litteris subiici iussi. Multum interest, res poscat, an homines imperare latius velint. Nobis autem vtilitas demum spectanda est: & quantum fieri potest, curandum, ne milites a signis absint.

XXXIV.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Prusensium nomine balineum rogat exstrui.

Prusenses, Domine, balineum habent & sordidum & vetus. Id itaque, indulgentia tua, restituere desiderant: ego tamen aestimans non num fieri debere, videris mihi desiderio eorum

---

buni vacationem munerum impetrabant. Adde Lipsium ad Taciti Hist. lib. IV. cap. 48.

Epist. XXXIII. *Quod quaeris, scripsisse me*) Desperatum locum critici fere sine medicina reliquerunt. Boxhornius epistola ad Blaespielium diuinauit: *Quid querenti scripserim*, querenti, puta, praefecto de paucitate militum.

Epist. XXXIV. 1. *balineum*) publicum lauacrum, seu aedificium, quo publice lauabant veteres.

ego aestimans videris) Non videntur cohaerere, quod dicendum erat, *mihi aestimanti videris.*

indul-

indulgere posse. Erit enim pecunia, ex qua fiat: 2
primum ea, quam reuocare a priuatis & exigere
iam coepi: deinde, quam ipsi erogare in oleum
soliti, parati sunt in opus balinei conferre.
Quod alioqui & dignitas ciuitatis, & seculi tui
nitor postulat.

XXXV.

TRAIANVS PLINIO S.

Si instructio noui balinei oneratura vires Prusensium non est, possumus desiderio eorum indulgere: modo ne quid ideo aut intribuant, aut minus illis in posterum fiat, ad necessarias erogationes.

XXXVI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

De militibus, liberto Caesaris relinquendis, consulit.

Maximus, libertus & procurator tuus, Domine, praeter decem beneficiarios, quos adsignari a me Gemellino, optimo viro, iussisti, sibi quoque confirmat necessarios esse milites.

---

2. *reuocare a priuatis*] quod a priuatis multae pecuniae variis ex caussis detinebantur, *epist.* 28. *n.* 3.

in oleum) quo vngebantur. Id enim etiam publice interdum praeberi solitum.

in opus) structuram, substructionem.

Epist XXXV. *intribuant*) contribuant. Lege 9. §. 2. de tributoria actione, *ne intribueret.* Et Paullus Recept. sent. lib. II. tit. 7. promiscue *contributionem & intributionem* vsurpauit.

Epist. XXXVI. *libertus & procurator*) Epist. 17. huius libri de eodem.

beneficiarios) epist. 32. huius libri.

Gemellino) Vide epist. sequentem & 88.

Ex his interim, ſicut inueneram, in miniſterio eius relinquendos exiſtimaui: praeſertim quum ad frumentum comparandum iret in Paphlagoniam. Quin etiam tutelae cauſſa, quia deſiderabat, addidi duos equites. In futurum quid ſeruari velis, rogo reſcribas.

XXXVII.

TRAIANVS PLINIO S.

Nunc quidem proficiſcentem, ad comparationem frumentorum, Maximum, libertum meum recte militibus inſtruxiſti. Fungebatur enim & ipſe extraordinario munere. Quum ad priſtinum actum reuerſus fuerit, ſufficient illi duo a te dati milites, & totidem a Virbio Gemellino, procuratore meo, quem adiuuat.

XXXVIII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Conſulit de poena ſeruorum inter tirones repertorum.

Sempronius Caelianus, egregius iuuenis, repertus inter tirones, duos ſeruos miſit ad me:

---

tutelae] defenſionis. Infra epiſtol. 60. *tutela generis humani.*

Epiſt. XXXVII. *extraordinario*) Ad alia enim, quam frumenta comparanda, miſſus erat.

ad priſtinum actum) ad ordinarium munus, officium. Seneca epiſt. 8. ineunte: *Vbi illa praecepta veſtra, quae imperant in actu mori?* Gloſſa vetus, *Actus, πραγματεία.*

Epiſt. XXXVIII. 1 *duos ſeruos*) Marcianus lege 11. Dig. de re militari: *Ab omni militia ſerui prohibentur: alioquin capite puniuntur.* Vbi neceſſitas in ſupplementum ſeruos poſtulauit, prius liberari illos & manumitti oportuit. *Flor. lib. II. cap. 6. n. 23.*

quorum

quorum ego supplicium distuli, vt te, conditorem disciplinae militaris firmatoremque, consulerem de modo poenae. Ipse enim dubito ob haec maxime, quod, vt iam dixerant, sacramento militari nondum distributi in numeros erant. Quid ergo debeam sequi, rogo, Domine, scribas, praesertim quum pertineat ad exemplum.

XXXIX.

TRAIANVS PLINIO S.

Secundum mandata mea fecit Sempronius Caelianus, mittendo ad te eos, de quibus cognosci oportebat, an capitale supplicium meruisse videantur. Refert autem, voluntarii se obtulerint, an lecti sint, vel etiam vicarii dati. Lecti si sunt, inquisitor peccauit: si vicarii dati, penes eos culpa est, qui dederunt: si ipsi, quum haberent conditionis suae conscientiam, venerunt; animaduertendum in illos erit. Neque enim multum interest, quod nondum per numeros distributi sunt. Ille enim dies, quo primum probati sunt, veritatem ab his originis suae exigit.

---

conditorem disciplinae) qui quasi de nouo instituit collapsam & deletam sub Domitiano.

2. *in numeros*) in cohortes, ordines. Tacitus Agr. c. 18. *sparsi per prouinciam numeri.* Suetonius Vesp. c. 6. *reuocatis ad officium numeris.* Buchnerus Sozomenum addit lib. I. cap. 8. dicentem: Ῥωμαίων τάγματα, ἃ νῦν ἀριθμὸς καλεῖσι.

XL.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Quaerit, quid faciendum de damnatis sit, qui ministeriis publicis se immiscuerunt.

Salua magnitudine tua, Domine, descendas oportet ad meas curas, quum ius mihi dederis referendi ad te, de quibus dubito. In plerisque ciuitatibus, maxime Nicomediae & Niceae, quidam vel in opus damnati, vel in ludum, similiaque his genera poenarum, publicorum seruorum officio ministerioque funguntur, atque etiam, vt publici serui, annua accipiunt. Quod ego quum audissem, diu multumque haesitaui, quid facere deberem. Nam & reddere poenae post longum tempus plerosque iam senes, &, quantum adfirmatur, frugaliter modesteque viuentes, nimis seuerum arbitrabar; & in publicis officiis retinere damnatos, non satis honestum putabam; eosdem rursus a republ. pasci otiosos, inutile; non pasci, etiam periculosum existima-

Epist. XL. 2. *in opus damnati vel in ludum*) De his Lege 8. Dig. de poenis, distincte, & alii in opus publicum damnati, aut in opus metalli, qui a damnatis in metallum rursus separantur; alii in ludum venatorium, & quae alia damnationis genera sunt. Paullus Recept. sent. lib. V. tit. 17. *Summa supplicia sunt crux, crematio, decollatio: mediocrium autem delictorum poenae sunt metallum, ludus, deportatio: minimae, relegatio, exsilium, opus publicum, vincula.*

annua] subaudi stipendia, salaria.

3. *periculosum*) quia periculum erat, ne alimentis priuati ad pessima studia conuerterentur, furta, latrocinia & similia. Malesuada enim fames.

bam.

bam. Necessario ergo rem totam, dum te con- 4
sulerem, in suspenso reliqui. Quaeres fortasse, quemadmodum euenerit, vt poenis, in quas damnati erant, exsoluerentur: & ego quaesiui, sed nihil comperi, quod adfirmare tibi possum. Vt decreta, quibus damnati erant, proferebantur; ita nulla monimenta, quibus liberati, probarentur. Erant tamen, qui dicerent deprecantes, 5
iussu proconsulum legatorumue dimissos. Addebat fidem, quod credibile erat, neminem hoc ausum sine auctore.

XLI.

TRAIANVS PLINIO S.

Memineris idcirco te in istam prouinciam missum, quoniam multa in ea emendanda apparuerint. Erit autem vel hoc maxime corrigendum, quod qui damnati ad poenam erant, non modo ea sine auctore, vt scribis, liberati sunt: sed etiam in conditionem proborum ministrorum retrahantur. Qui igitur intra hos pro- 2
ximos decem annos damnati, nec vllo idoneo auctore liberati sunt, hos oportebit poenae suae reddi: si qui vetustiores inuenientur, & senes ante annos decem damnati, distribuamus illos in ea ministeria, quae non longe a poena sint. Solent enim eiusmodi, ad balineum, ad purgationes cloacarum, item munitiones viarum & vicorum, dari.

4. *monimenta*) documenta, testimonia.

XLII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Nicomedienſe incendium narrat, & inſtitutionem collegii fabrum commendat.

Quum diuerſam partem prouinciae circumirem, Nicomediae vaſtiſſimum incendium multas priuatorum domos, & duo publica opera, quamquam via interiacente, Geruſiam & Iſſon, 2 abſumſit. Eſt autem latius ſparſum: primum violentia venti, deinde inertia hominum, quod ſatis conſtat, otioſos & immobiles tanti mali ſpectatores perſtitiſſe: & alioqui nullus vsquam in publico ſipho, nulla hama, nullum denique inſtrumentum ad incendia compeſcenda: & haec 3 quidem, vt iam praecepi, parabuntur. Tu, Domine, diſpice, an inſtituendum putes collegium fabrorum, dumtaxat hominum CL; ego attendam, ne quis, niſi faber, recipiatur, neue iure

---

Ep. XLII. 1. *opera*) aedificia. Eutropius lib. VII. extr. de Domitiano: *Romae quoque multa opera fecit, in his Capitolium*, &c

Geruſiam & Iſſon] Geruſia eſt curia, conuentus ſenatorum, vox pure graeca: Iſſos, ignotum opus, niſi forte *Iſeum*, quod Rittershuſius ſuſpicatus eſt, legemus, hoc eſt, Iſidis templum, cuius generis Romae aedificauerat Domitianus, vt Eutropius, praeter alios, d. l. refert.

2. *nullus ſipho, nulla hama*) Sipho, hama, coercendis incendiis neceſſaria inſtrumenta, & ſipho quidem ſeu ſipo (Graece σίφων) Heſychio eſt ὄργανόν τι εἰς πρόσσιν ὑδάτων ἐν τοῖς ἐμπρησμοῖς, *inſtrumentum ad iaculandas aquas aduerſus incendia, eine Sprütze.* Hama autem vas eſt, quo aqua hauritur, *ein Eimer*, cuius diminuta forma Columella vſus eſt lib. X. v. 387.

Aut habilem lympbis hamulam.

con-

conceſſo in aliud vtatur. Nec erit difficile cuſtodire tam paucos.

XLIII.

TRAIANVS PLINIO S.

Tibi quidem ſecundum exempla complurium in mentem venit, poſſe collegium fabrorum apud Nicomedenſes conſtitui: ſed memineri-
mus, prouinciam iſtam, & praecipue eas ciui-
tates, ab eiusmodi factionibus eſſe vexatas. Quod-
cumque nomen ex quacumque cauſſa dederi-
mus iis, qui in idem contracti fuerint, hetaeriae,
quamuis breues, fient. Satius itaque eſt compa- 2
rari ea, quae ad coercendos ignes auxilio eſſe poſ-
ſint, ad-onerique dominos praediorum, vt &
ipſi inhibeant; ac, ſi res popoſcerit, accurſu po-
puli ad hoc vti.

XLIV.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Vota pro principis ſalute ſuſcepta & ſoluta nuntiat.

Solemnia vota pro incolumitate tua, qua publi-
ca ſalus continetur, & ſuſcipimus, Domine,

Ep. XLIII. 1. *hetaeriae*) ſodalitates, conuentus hominum vnius corporis ſiue collegii. Hae propter factiones & tumultus ſuſpectae imperatori erant. Adde epiſt. 97. de Chriſtianis, n. 8.

2. *dominos praediorum*) aedium, praediorum vrbanorum. Vid. Tit. Dig. de ſeruit. praedior. vrbanorum: & leg. 198. de V. S.

Ep. XLIV. *Solemnia*) Caius lege 233. de Verb. Signif. *Poſt Kalendas Ianuarias die tertio pro ſalute principis vota ſuſcipiuntur.* Qui dies videtur appellatus *Vota*. Vopiſcus Tacito cap. 9. *Diuorum templum fieri iuſſit, in quo eſſent ſtatuae principum bonorum ita, vt*

pari-

pariter & soluimus, precati deos, vt velint ea semper solui, semperque signari.

XLV.

TRAIANVS PLINIO S.

Et soluisse vos cum prouincialibus, diis immortalibus vota pro mea salute & incolumitate, & nuncupasse, libenter, mi Secunde carissime, cognoui ex litteris tuis.

XLVI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Aquaeductum, Nicomediae frustra inceptum, perfici posse scribit, si ex vrbe aquilex mittatur.

In aquaeductum, Domine, Nicomedenses impenderunt HS xxx. CCC. XXVIIII, qui imperfectus adhuc relictus, ac etiam destructus est: rursus in alium ductum erogata sunt CC. Hoc quoque relicto, nouo impendio est opus, vt aquam habeant, qui tantam pecuniam male per-
2 diderunt. Ipse perueni ad fontem purissimum, ex quo videtur aqua debere perduci, sicut initio tentatum erat, arcuato opere, ne tantum ad pla-

---

iisdem natalibus suis, & parilibus, & Kalendis Ianuariis, & votis, libamina ponerentur. Buchn.

signari] signantur nuncupata & suscepta vota, quum in tabulas referuntur, aut scripta adfiguntur statuis. Vid. Rutgers. V. L. lib. V. cap. 5.

Ep. XLVI. 1. *HS. xxx. ccc. xxviiii.*) triginta millia; trecenta & viginti nouem nummum sestertium: hoc est, 946. vnciales nummos, siue vallenses.

cc) ducenta sestertium, sed repetenda de communi xxx millia, quae valent fere 944. imperiales.

2. *arcuato opere*) arcubus exstructis, quibus depressiora loca editioribus aequabantur. De his multa Frontinus.

nn

na ciuitatis & humilia perueniat. Manent adhuc pauciſſimi arcus: poſſunt & erigi quidam lapide quadrato, qui ex ſuperiore opere detractus eſt: aliqua pars, vt mihi videtur, teſtaceo opere agenda erit. Id enim & facilius & vilius. Et inprimis neceſſarium eſt, mitti a te vel aquilegem vel architectum, ne rurſus eueniat, quod accidit. Ego illud vnum adfirmo, & vtilitatem operis & pulcritudinem ſeculo tuo eſſe digniſſimam.

XLVII.

TRAIANVS PLINIO S.

Curandum eſt, vt aqua in Nicomedenſem ciuitatem perducatur. Vere credo, te ea, quæ debebis, diligentia hoc opus adgreſſurum. Sed, medius fidius, ad eamdem diligentiam tuam pertinet, inquirere, quorum vitio ad hoc opus tantam pecuniam Nicomedenſes perdiderint, ne, quum inter ſe gratificantur, & inchoauerint aquaeductus, & reliquerint. Quid itaque compereris, perfer in notitiam meam.

XLVIII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

De Nicenſium & Claudiopolitanorum aedificationibus conſulit.

Theatrum, Domine, Niceae maxima iam parte conſtructum, imperfectum tamen, ſeſtertium, vt audio (neque enim ratio plus excuſſa eſt) amplius centies hauſit: vereor, ne fru-

Epiſt. XLVIII. 1. *amplius centies*) Ingens ſumma per *centies* ſignificatur 200500 thalerorum, ſiue duarum ſtra.

2 stra. Ingentibus enim rimis descendit & hiat, siue in cauſſa ſolum humidum & molle, siue lapis ipſe gracilis & putris: dignum eſt certe deliberatione, ſitne faciendum, an ſit relinquendum, an etiam deſtruendum. Nam fulturae ac ſubſtructiones, quibus ſubinde ſuſcipitur, non tam
3 firmae mihi quam ſumtuoſae videntur. Huic theatro ex priuatorum pollicitationibus multa debentur, vt baſilicae circa, vt porticus ſupra caueam: quae nunc omnia differuntur ceſſante eo,
4 quod ante peragendum eſt. Iidem Nicenſes gymnaſium, incendio amiſſum, ante aduentum meum reſtituere coeperunt longe numeroſius laxiusque, quam fuerat. Etiam aliquantum erogauerunt: periculum eſt, ne parum vtiliter.

& dimidiae tonnarum, vt Scioppius etiam & Gronouius ſupputarunt. Tanti voluptas ludicra conſtabat.

2. *an, ſit relinquendum*) Vulgatum erat, *aut ſit*, contra indolem Latinorum, qui in tripartita dubitatione primo loco *vtrum*, vel *num*, vel *ne* encliticum; poſteriori vtroque loco *an* ponunt. Cicero pro Roſc. Amer. c. 41. *Quaero abs te, illi, qui poſtulabant, indigni erant, qui impetrarent: an iſte non commouebat, pro quo poſtulabant: an res ipſa tibi iniqua videbatur?* Et Liuius l. XXI. c. 10. in Hannonis oratione: *Vtrum hoſtem, an vos, an fortunam vtriusque populi ignoratis?*

3. *ſupra caueam*) Caueа interior pars theatri vel amphitheatri, quae concaua & capaci quodam profundo. Adi Lipſii Amphith. c. 2.

4. *gymnaſium*) publicum corporis exercendi aedificium. *numeroſius*] quod plures manſiones & membra habet. Sic lib. III. epiſt. 9. n. 22. *numeroſiſſima cauſſa*, in qua multi rei: & lib. IV. ep. 15. n. 4. *numeroſa domus*, in qua multi heredes ac cognati ſunt. *Gron.*

Incom-

Incompositum enim & sparsum est. Praeterea architectus, sane aemulus eius, a quo opus inchoatum est, adfirmat, parietes (quamquam viginti & duos pedes latos) imposita onera sustinere non posse, quia sint caemento medii farti, nec testaceo opere praecincti. Claudiopolitani quoque in depresso loco, imminente etiam monte, ingens balineum defodiunt magis, quam aedificant, & quidem ex ea pecunia, quam buleutae addunt beneficio tuo, aut iam obtulerunt ob introitum, aut nobis exigentibus conferent. Ergo quum timeam, ne illic publica pecunia, hic, quod est omni pecunia pretiosius, munus tuum male collocetur; cogor petere a te, non solum ob theatrum, verum etiam ob haec balinea, mittas architectum, despecturum, vtrum sit vtilius post sumtum, qui factus est, quoquo modo consummare opera, vt inchoata sunt: an quae videntur emendanda, corrigere; quae transferenda, transferre; ne, dum seruare volumus quod impensum est, male impendamus, quod addendum est.

XLIX.

TRAIANVS PLINIO S.

Quid oporteat fieri circa theatrum, quod inchoatum apud Nicenses est, in re praesenti

quia sint caemento medii farti) Sic Ald. & Sich. Alii *sine caemento medio parti*. Sensus, medietatem rudi caemento & sine calce constructam fuisse.

5. *Claudiopolitani*) Claudiopolis Bithyniae vrbs, quae & Hadriani, & Bithynium vocata fuit. Ptolomaeus lib. V. cap. 1. Κλαυδιόπολις ἡ καὶ Βιθύνιον.

buleutae) decuriones, senatores. Graeca voce vtitur, quia de Graecanica vrbe sermo est.

opti-

optime deliberabis & constitues: mihi sufficiet indicari, cui sententiae accesseris. Tunc autem a priuatis exigi opera tibi curae sit, quum theatrum (propter quod illa promissa sunt) factum
2 erit. Gymnasiis indulgent Graeculi: ideo forsitan Nicenses maiore animo constructionem eius adgressi sunt; sed oportet illos eo contentos
3 esse, quod possit illis sufficere. Quid Claudiopolitanis circa balineum, quod parum (vt scribis) idoneo loco inchoauerunt, suadendum sit, tu constitues. Architecti tibi deesse non possunt. Nulla prouincia est, quae non peritos & ingeniosos homines habeat: modo ne existimes, breuius esse, ab vrbe mitti, quum ex Graecia etiam ad nos venire soliti sunt.

L.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Suadet, vt lacus Nicomedensis cum mari fossa coniungatur.

Intuenti mihi & fortunae tuae & animi magnitudinem, conuenientissimum videtur, demonstrare opera non minus aeternitate tua, quam gloria digna, quantumque pulcritudinis,
2 tantum vtilitatis habitura. Est in Nicomedensium finibus amplissimus lacus: per hunc mare

---

Epist. L. 1. *aeternitate tua*) Aeternitas in titulis imperatorum erat, quod praeter hunc locum etiam epistolae 67. & 87. huius libri confirmant. Inscriptio Patauina apud Grut. pag. 279. AETERNO IMPERATORI NOSTRO MAXIMO OPTIMOQVE PRINCIPI AVRELIO VALERIO DIOCLETIANO.

mora,



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862845467/phys_0605
DFG


Byzantium
Chalcedon
Septentrio
Heracleotes Sinus
Bosporus
BITHYNIA
Nicomedia
Prusa ad Hypium
lacus
Propontis
Hypius fl.
PROPONTIS
Nicea
Astacius lacus
Apamea
Olympus
Cyzicus
Prusias s. Prusa ad Olympum
Lampsacus
Hellespontus
Abydus
MYSIA
Doryleum
Ilium
PHRYGIA MINOR
Alexandria Troas
Ancyra Phrygiae
Assum
Tenedus
Traianopolis
Adramytium
Pergamus
Caicus fl.
LESBVS
AEOLIA
Hermus
Myrina
Cyme
Phocaea
Pactolus
Sardes
MARE
Smyrna
Clazomenae
Chios
Teos
Lebedus
IONIA
Colophon
AEGAEVM
Cayster fl.
Ephesus
SAMVS
Icaria
Meridies
Mycale prom.

mora, fructus, ligna, materiae & sumtu modico & labore vsque ad viam nauibus, inde, magno labore, maiore impendio, vehiculis ad mare deuehuntur. Sed hoc opus multas manus poscit: at hae pro re non desunt. Nam & in agris magna copia est hominum, & maxima in ciuitate: certaque spes, omnes libentissime adgressuros opus omnibus fructuosum. Superest, vt tu libratorem vel architectum, si tibi videbitur, mittas, qui diligenter exploret, sitne lacus altior mari, quem artifices regionis huius quadraginta cubitis altiorem esse contendunt. Ego per eadem loca inuenio fossam a rege percussam: sed incertum, vtrum ad colligendum humorem circumiacentium agrorum, an ad committendum flumini lacum; est enim imperfecta: hoc quoque dubium, intercepto rege, mortalitate, an desperato operis effectu. Sed hoc ipso (feres enim me ambitiosum) pro tua gloria incitor &

3

4

5

---

2. *ligna, materiae*] ligna ad vrendum; materiae ad aedificandum. *Buchn.*

multas manus poscit) Lib. IX. ep. 37. n. 4.

at hae pro re non desunt) Gronouio debetur lectio: vulgaris, *at hae porro.*

3. *libratorem*) qui aquam librat, vt currendi vim habeat. De libra aquae, seu libramento, Frontinus Aquaeduct. & ibi Keuchen. p. 375.

4. *fossam a rege percussam*) percutere fossam, est ducere, facere. Frontinus lib. III. Strateg. cap. 17. n. 5. *fossa in fronte percussa, quietum in vallo militem tenuit.* Atque ita Stewegius lib. 1. Frontini cap. 5. n. 8. legit, *fossam transuersam inter montes percussit*, vbi vulgatum est *pressit.* Nosser tamen etiam epist. 69. n. 4. *fossam artius pressam* dixit.

accen-

accendor, vt cupiam peragi a te, quae tantum coeperant reges.

LI.

TRAIANVS PLINIO S.

Potest nos sollicitare lacus iste, vt committere illum mari velimus: sed plane explorandum est diligenter, ne, si immissus in mare fuerit, totus effluat; certe, quantum aquarum, & vnde accipiat. Poteris a Calpurnio Macro petere libratorem, & ego hinc aliquem tibi, peritum eiusmodi operum, mittam.

LII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

De sumtu Byzantiorum, in legationem ad principem quotannis facto, consulit.

Requirenti mihi Ryzantiorum reipublicae impendia, quae maxima fecit, indicatum est, Domine, legatum ad te salutandum annis omnibus cum psephismate mitti, eique dari nummorum duodena millia. Memor ergo propositi

---

Ep. LI. *sollicitare*) movere, inducere.

certe) supple: explorandum est.

a Calpurnio Macro) qui vicinae prouinciae praefuit, fortassis Moesiae. Vid. epist. 81.

petere libratorem) Gronouius coniunxit, vulgo interpuncta: contra idem post *effluat*, leuius; post *accipiat*, grauius distinxit.

libratorem) qui aquas certis instrumentis librat.

Ep. LII. 1 *Byzantiorum*) Ergo & haec ciuitas ad prouinciam Ponticam pertinebat. Add. ep. 81.

psephismate) decreto suffragiis populi facto. Ita in prouinciis Graecanicis nominabantur plebiscitum.

nummorum duodena millia) si nummus est sestertius tui,

tui, legatum quidem retinendum, pſephiſma autem mittendum putaui, vt ſimul & ſumtus leuaretur, & impleretur publicum officium. Eidem 3
ciuitati imputata ſunt terna millia, quae viatici nomine annua dabantur legato eunti ad eum, qui Moeſiae praeeſt, publice ſalutandum. Haec 4
ego in poſterum circumcidenda exiſtimaui. Te, Domine, rogo, vt quid ſentias, reſcribendo, aut conſilium meum confirmare, aut errorem emendare digneris.

LIII.

TRAIANVS PLINIO S.

Optime feciſti, Secunde cariſſime, duodena iſta Byzantiis, quae ad ſalutandum me in legatum impendebantur, remittendo. Fungetur his partibus, etſi ſolum eorum pſephiſma per te miſſum fuerit. Ignoſcet illis & Moeſiae praeſes, ſi minus illum ſumtuoſe coluerint.

LIV.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Diplomata quamdiu valeant, doceri cupit.

Diplomata, Domine, quorum dies praeterita, an omnino obſeruari, & quamdiu velis, rogo

---

Romanus, vt plerumque eſt, ſumma haec noſtrae monetae 375 thaleros exaequat ex ſeſtertii ratione ſaepius adhuc demonſtrata.

4. *circumcidenda*] tollenda, remouenda. Phaedrus lib. IV. fab. 19. extr. ad auarum:

Qui circumcidis omnem impenſam funeris.

Epiſt. LIV. *Diplomata*) Litterae principales, quibus iter facientes per prouincias adiuuabantur. Vide epiſt. 14. & penult. & vltimam huius libri.

scribas, meque haesitatione liberes. Vereor enim, ne in alterutram partem ignorantia lapsus, aut illicita confirmem, aut necessaria impediam.

LV.

TRAIANVS PLINIO S.

Diplomata, quorum praeteritus est dies, in vsu esse non debent; ideo inter prima iniungo mihi, vt per omnes prouincias ante mittam noua diplomata, quam desiderari possint.

LVI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

An Apamacorum rationes, quod putabant contra priuilegia esse, inspiciendae sint, consulit.

Quum vellem Apameae, Domine, cognoscere publicos debitores, & reditum, & impendia; respondit mihi, cupere quidem vniuersos, vt a me rationes coloniae legerentur; nunquam tamen esse lectas ab vllo proconsulum: habuisse priuilegium & vetustissimum morem, arbitrio suo rempublicam administrare. Exegi, 2 vt, quae dicebant, quaeque recitabant, libello complecterentur: quem tibi, qualem acceperam, misi: quamuis intelligerem, plerumque ex illo ad 3 id, de quo quaeritur, non pertinere. Te rogo, vt mihi praecipere digneris, quid me putes obseruare debere. Vereor enim, ne aut excessisse, aut non implesse officii mei partes videar.

Epist. LVI. 1. *Apameae*) Vlpianus Lege I. Dig. de Censibus: *Est & in Bithynia colonia Apamena.* Plinius quoque sub finem lib. V. *coloniam Apamenam* vocat. Nomen habet a Prusiae regis vxore. *Strab. XII. p.* 388.

LVII.

LVII.

TRAIANVS PLINIO S.

Libellus Apamaeorum, quem epistolae tuae iunxeras, remisit mihi necessitatem perpendendi, qualia essent, propter quae videri volunt eos, qui pro consulibus hanc prouinciam obtinuerunt, abstinuisse inspectione rationum suarum, quum ipsum te, vt eas inspiceres, non recusauerint. Remuneranda est igitur probitas eorum: vt iam nunc sciant, hoc, quod inspecturus es, ex mea voluntate, saluis quae habent priuilegiis, esse facturum. 2

LVIII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Consulit, an aedes Matris Magnae transferri possit.

Ante aduentum meum, Domine, Nicomedenses priori foro nouum adiicere coeperunt, cuius in angulo est aedes vetustissima Matris Magnae, aut reficienda, aut transferenda: ob hoc praecipue, quod est multo depressior opere eo, quod nunc maxime surgit. Ego, quum quaererem, 2 num esset aliqua lex dicta templo, cognoui alium hic, alium apud nos esse morem dedicationis. Dispice ergo, Domine, an putes aedem, cui nulla lex dicta est, salua religione posse transferri: alioqui commodissimum est, si religio non impedit.

Epist. LVIII. 1. *Matris Magnae*] Cybeles, Matris deum, quae in his oris maxime colebatur, cuius religiosissimum simulacrum Romani ex vicinae Phrygiae oppido Pessinunte petierunt. *Herodian. lib. I. cap.* 11.

2. *num esset aliqua lex, dicta templo*) quae prohiberet illud transferri.

LIX.

TRAIANVS PLINIO S.

Potes, mi Secunde cariſſime, ſine ſollicitudine religionis, ſi loci poſitio videtur hoc deſiderare, aedem Matris Deum transferre in eam, quae eſt accommodatior: nec te moueat, quod lex dedicationis nulla reperitur, quum ſolum peregrinae ciuitatis capax non ſit dedicationis, quae ſit noſtro iure.

LX.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Diem imperii ſolemniter celebratum eſſe nuntiat.

Diem, Domine, quo ſeruaſti imperium, dum ſuſcipis, quanta mereris laetitia, celebrauimus, precati deos, vt te generi humano, cuius tutela & ſecuritas ſaluti tuae inniſa eſt, incolumem florentemque praeſtarent. Praeiimus, & commilitonibus iusiurandum more ſolemni praeſtantibus, & prouincialibus, qui eadem certarunt pietate, iurantibus.

LXI.

TRAIANVS PLINIO S.

Quanta religione ac laetitia commilitones cum prouincialibus, te praeeunte, diem imperii mei celebrauerint, libenter, mi Secunde cariſſime, cognoui ex litteris tuis.

Ep. LX. *Diem*) Dies, quo ſuſceperat princeps imperium, quotannis ſolemni ritu celebrabatur. Adde epiſt. 103 & 104.

LXII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

De vsu publicae pecuniae consulit.

Pecuniae publicae, Domine, prouidentia tua & ministerio nostro etiam exactae sunt & exiguntur: quae vereor, ne otiosae iaceant. Nam & praediorum comparandorum aut nulla aut rarissima occasio est: nec inueniuntur, qui velint debere, reipublicae praesertim, duodenis assibus, quanti a priuatis mutuantur. Dispice ergo, 2
Domine, numquid minuendam vsuram, ac per hoc idoneos debitores inuitandos, putes; &, si ne sic quidem reperiuntur, distribuendam inter decuriones pecuniam, ita vt recte reipublicae caueant: quod, quamquam inuitis & recusantibus, minus acerbum erit, leuiore vsura constituta.

LXIII.

TRAIANVS PLINIO S.

Et ipse non aliud remedium dispicio, mi Secunde carissime, quam vt quantitas vsurarum minuatur, quo facilius pecuniae publicae collocentur. Modum eius ex copia eorum, qui mutuabuntur, tu constitues. Inuitos ad accipiendum compellere, quod fortassis ipsis otiosum futurum sit, non est ex iustitia nostrorum temporum.

Ep. LXII. 1. *duodenis assibus*) in singulos annos puta, seu duodecim menses, ita, vt centesima mensis vnius fuerit. Salmasius lectionem sollicitat: quod & Gronouius de Vsuris p. 438. repetit. Sed a libris cur standum non est?

2. *decuriones*) Buleutas Graece dixerat ep. 48. n. 5.

Ep. LXIII. *Modum eius ex copia eorum*) Buchnero *copia* facultates & bona sunt: Gronouio frequentia eorum, qui accipere argentum foenori volunt.

LXIV.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

De relegatis imperatorem consulit.

Summas, Domine, gratias ago, quod inter maximas occupationes, iis, de quibus te consului, me quoque regere dignatus es: quod nunc
2 quoque facias rogo. Adiit enim me quidam, indicauitque, aduersarios suos a Seruilio Caluo, clarissimo viro, in triennium relegatos, in prouincia morari: illi contra, ab eodem se restitutos adfirmauerunt, edictumque recitauerunt: qua caussa necessarium credidi, rem integram ad te
3 referre. Nam, sicut mandatis tuis cautum est, ne restituam ab alio aut a me relegatos; ita de iis, quos alius relegauerit & restituerit, nihil comprehensum est. Ideo tu, Domine, consulendus fuisti, quid obseruare me velles, tam, hercule, de iis, quam de illis, qui in perpetuum relegati, nec
4 restituti, in prouincia deprehenduntur. Nam haec quoque species incidit in cognitionem meam. Est enim adductus ad me in perpetuum relegatus a Iulio Basso proconsule: ego, quia sciebam, acta Bassi rescissa, datumque a senatu ius omnibus, de quibus ille aliquid constituisset, ex integro agendi dumtaxat per biennium, interrogaui hunc, quem relegauerat, an adiisset, docuis-
5 setque proconsulem: negauit. Per quod effe-

Epist. LXIV. 2. *edictumque recitauerunt*] edictum Calui proconsulis, quo restituti erant.

4. *acta Bassi rescissa*) De accusatione Bassi lib. IV. ep. 9. actum.

docuisset que) caussam suam successori Bassi expo-

ctum est, vt te consulerem, an reddendum eum poenae suae, an grauius aliquid, & quid potissimum, constituendum putares & in hunc, & in eos, si qui forte in simili conditione inuenirentur. Decretum Calui & edictum, item decretum Bassi his litteris subiecí.

LXV.

TRAIANVS PLINIO S.

Quid in personam eorum statuendum sit, qui a Publio Seruilio Caluo proconsule in triennium relegati, & mox eiusdem edicto restituti in prouincia remanserunt, proxime tibi rescribam, quum causas huius facti a Caluo requisiero. Qui a Iulio Basso in perpetuum relegatus est, quum per biennium agendi facultatem habuerit, si existimabat, se iniuria relegatum, neque id fecerit, atque in prouincia morari perseuerauerit, vinctus mitti ad praefectos praetorii mei debet. Neque enim sufficit, eum poenae suae restitui, quam contumacia elusit. 2

LXVI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

De Archippo philosopho, in metallum damnato, consulit.

---

fuisset. *Docere* enim hoc loco est, quod barbare *informare* dicunt, vti etiam lib. III. epist. 9. n. 21. & lib. V. epist. 4. n. 2. Adi Buchn.

Epist. LXV. 2. *ad praefectos praetorii*) Duo illis temporibus praefecti praetorio erant ex Augusti institutione, vt Dio l. LV. p. 555. tradit, etiam ex aliorum principum historia liquet, Domitiani maxime, apud eumdem. Primus Commodus tres constituit, *Lamprid.* c. 6.

Quum citarem iudices, Domine, conuentum inchoaturus, Flauius Archippus vacationem petere coepit, vt philosophus. Fuerunt, qui dicerent, non modo liberandum eum iudicandi necessitate, sed omnino tollendum de iudicum numero, reddendumque poenae, quam fractis vinculis euasisset. Recitata est sententia Velii Paulli proconsulis, qua probatur Archippus crimine falsi damnatus in metallum: ille nihil proferebat, quo restitutum se doceret. Allegabat tamen pro restitutione & libellum a se Domitiano datum, & epistolas eius ad honorem suum pertinentes, & decretum Prusensium. Addebat his & litteras tuas scriptas sibi: addebat & patris tui edictum, & epistolam, quibus confirmasset beneficia a Domitiano data. Itaque, quamuis eidem talia crimina applicarentur, nihil decernendum putaui, donec te consulerem de eo, quod mihi constitutione tua dignum videbatur. Ea, quae sunt vtrimque recitata, his litteris subieci.

Epist. LXVI. *conuentum inchoaturus)* conuentum iuridicum, prouinciale iudicium. Prouinciae enim in certos conuentus *(circulos* hodie vocant) descriptae erant, vt ius peterent ciuitates ex ea vrbe, in qua conuentus illarum agebatur. Vide vel solam Plinii Hispaniam lib. III. cap. 1 & 2.

vacationem petere, vt philosophus) Magistros *ciuilium munerum vacationem habuisse*, Lege 18. extr. Dig. de muner. & honorib. probatur: vbi etiam *philosophis* aliae immunitates indultae traduntur.

EPISTOLA DOMITIANI AD TERENTIVM MAXIMVM.

Flauius Archippus philosophus impetrauit a me, vt agrum ei DC circa Prusiadem, patriam suam, emi iuberem, cuius reditu suos alere posset. Quod ei praestari volo: summam expensam liberalitati meae feres.

EIVSDEM AD L. APPIVM MAXIMVM.

Archippum philosophum, bonum virum, & professioni suae, etiam maioribus respondentem, commendatum habeas velim, mi Maxime, & plenam ei humanitatem tuam praestes in iis, quae verecunde a te desiderauerit.

EDICTVM DIVI NERVAE.

QVAEDAM SINE DVBIO, QVIRITES, IPSA FELICITAS TEMPORVM EDICIT, NEC SPECTANDVS EST IN IIS BONVS PRINCEPS, QVIBVS ILLVM INTELLIGI SATIS EST, QVVM HOC SIBI QVISQVE CIVIVM MEORVM SPONDERE POSSIT, ME SECVRITATEM OMNIVM QVIETI MEAE PRAETVLISSE, VT ET LIBENTER NOVA BENEFICIA CONFERREM, ET ANTE ME CONCESSA

EPIST. I. DOMITIANI.

agrum ei DC) sexcentis millibus sestertium, siue 18750 vncialibus nummis.

circa Prusiadem) Dicemus ad epist. 85. n. 1.

expensam liberalitati meae feres) inferes in tabulas rationum, quibus dona liberalitatis principalis scribuntur.

EPIST. II. DOMITIANI.

maioribus respondentem) Vel maioribus rebus dignum significat, vel parem se gloriae veterum philosophorum praestantem. Rittersh. *moribus* suspicabatur, quem Boxhornius sequutus est.

SERVAREM. NEC TAMEN ALIQVAM GAVDIIS PVBLICIS ADFERAT HAESITATIONEM VEL EORVM QVI IMPETRAVERVNT DIFFIDENTIA, VEL EIVS MEMORIA QVI PRAESTITIT, NECESSARIVM PARITER CREDIDI AC LAETVM, OBVIAM DVBITANTIBVS INDVLGENTIAM MEAM MITTERE. NOLO EXISTIMET QVISQVAM, QVAE ALIO PRINCIPE VEL PRIVATIM VEL PVBLICE CONSEQVVTVS, IDEO SALTEM A ME RESCINDI, VT POTIVS MIHI DEBEAT, SI ILLA RATA ET CERTA FECERO: NEC GRATVLATIO VLLIVS INSTAVRATIS EGET PRECIBVS. ET QVI NON HABENT, ME, QVEM FORTVNA IMPERII VVLTV MELIORE RESPEXIT, NOVIS BENEFICIIS VACARE PATIANTVR: ET EA DEMVM SCIANT ROGANDA ESSE, QVAE NON HABENT.

EPISTOLA EIVSDEM AD TVLLIVM IVSTVM.

Quum rerum omnium ordinatio, quae prioribus temporibus inchoatae consummataeque sunt, obseruanda sit, tum epistolis etiam Domitiani standum est.

LXVII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Archippi & accusatricis libellos mittit principi.

Flauius Archippus per salutem tuam aeternitatemque petit a me, vt libellum, quem mihi dedit, mitterem tibi. Quod ego sic roganti praestandum putaui; ita tamen, vt missurum me,

Epist. LXVII. *aeternitatem*) supra epist. 50.

notum:

notum accusatrici eius facerem, a qua & ipsa acceptum libellum his epistolis iunxi, quo facilius, velut audita vtraque parte, dispiceres, quid statuendum putares.

LXVIII.

TRAIANVS PLINIO S.

Potuit quidem ignorasse Domitianus, in quo statu esset Archippus, quum tam multa ad honorem eius pertinentia scriberet; sed meae naturae accommodatius est credere, etiam statui eius subuentum interuentu principis: praesertim quum etiam statuarum ei honor toties decretus sit ab iis, qui ignorabant, quid de illo Paullus proconsul pronuntiasset. Quae tamen, mi Secunde carissime, non eo pertinent, vt, si quid illi noui criminis obiiciatur, minus de eo audiendum putes. Libellos Furiae Primae accusatricis, item ipsius Archippi, quos alteri epistolae tuae iunxeras, legi.

LXIX.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Rursus de lacu Nicomedensium cum mari committendo scribit, seu respondet ad epist. LI.

Tu quidem, Domine, prouidentissime veteris, ne commissus flumini, atque ita mari, lacus effluat: sed ego in re praesenti inuenisse

---

accusatrici] quae sequenti epistola nominatim significatur.

Epist. LXIX. 1. *prouidentissime veteris*) Aduerbium *prouidentissime*, vt epist. 81. incunte, nec cum *Domine* iungendum.

in re praesenti) quum praesens locum intuerer. Adde ep. 85. n. 7.

videor, quemadmodum huic periculo occurre-
2 rem. Potest enim lacus fossa vsque ad flumen adduci, nec tamen in flumen emitti, sed relicto quasi margine contineri pariter & dirimi: sic consequemur, vt nec vicino videatur flumini mistus, & sit perinde ac si misceatur. Erit enim facile per illam breuissimam terram, quae interiacebit, aduecta fossa, onera transponere in flu-
3 men. Quod ita fiet, si necessitas coget, & (spero) non coget. Est enim & lacus ipse satis altus, & nunc in contrariam partem flumen emittit; quod intercluſum inde, & quo volumus auersum, sine vllo detrimento, lacui tantum aquae, quantum nunc portat, adfundet. Praeterea per id spatium, per quod fossa facienda est, incidunt riui: qui si diligenter colligantur, augebunt
4 illud, quod lacus dederit. Enimuero si placeat fossam longius ducere, & arctius pressam mari aequare, nec in flumen, sed in ipsum mare emittere, repercussus maris seruabit & reprimet quidquid e lacu veniet. Quorum si nihil nobis loci natura praestaret, expeditum tamen erat, catara-
5 ctis aquae cursum temperare. Verum & haec

2. *aduecta fossae onera*) per fossam, sexto casu.

3. *sine vllo -- lacui -- adfundet*) Gronouiana emendatio. Vulgatum erat, *sine vllius - - lacus - - effundet*. Sic vero dicendum fuisset, *quo intercluso & auerso*.

4. *arctius pressam*) Fossam *premere*, id est, facere, ducere. Frontinus lib. I. Strateg. cap. 5. n. 8. *fossam transuersam inter montes pressit*; vbi Stewechius quidem *percussit*, supponit: sed Tacitus quoque XV. c. 42. *fossam vsque ad ostia Tiberina depressuros* dixit.

cataractis] molibus transuersis, quae fluminis vim & impetum retardant.

&

& alia multo sagacius conquiret explorabitque librator, quem plane, Domine, debes mittere, vt polliceris. Est enim res digna & magnitudine tua & cura. Ego interim Calpurnio Macro, clarissimo viro, auctore te, scripsi, vt libratorem quam maxime idoneum mitteret.

LXX.

TRAIANVS PLINIO S.

Manifestum est, mi Secunde carissime, nec prudentiam nec diligentiam tibi defuisse circa istum lacum, quum tam multa prouisa habeas, per quae nec periclitetur exhauriri, & magis in vsus nobis futurus sit. Elige igitur id, quod praecipue res ipsa suaserit. Calpurnium Macrum credo facturum, vt te libratore instruat: neque enim prouinciae istae his artificibus carent.

LXXI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

De libere natis, expositis, & in seruitute educatis, quaerit.

Magna, Domine, & ad totam prouinciam pertinens quaestio est de conditione & alimentis eorum, quos vocant θρεπτούς. In qua 2
ego, auditis constitutionibus principum, quia nihil inueniebam aut proprium, aut vniuersale, quod ad Bithynos ferretur, consulendum te existimaui, quid obseruari velles. Neque enim

---

Epist. LXXI. 1. θρεπτούς) Ipse imperator interpretatur epistolae sequentis principio. Quidam legunt ἐκθέτους. neutrum male, quia tum expositi sunt, tum nutriti ab aliis & in seruitute educati. Graecorum enim alterum *alumnos* & *nutritos* sonat; alterum *expositos*.

putani, posse me in eo, quod auctoritatem tuam
3 posceret, exemplis esse contentum. Recitabatur autem apud me edictum, quod dicebatur diui Augusti, ad Anniam pertinens: recitatae & epistolae diui Vespasiani ad Lacedaemonios, & diui Titi ad eosdem, dein ad Achaeos: & Domitiani ad Auidium Nigrinum & Armenium Brocchum, proconsules, item ad Lacedaemonios: quae ideo tibi non misi, quia & parum emendata, & quaedam non certae fidei videbantur, & quia vera & emendata in scriniis tuis esse credebam.

LXXII.

TRAIANVS PLINIO S.

Quaestio ista, quae pertinet ad eos, qui liberi nati, expositi, deinde sublati a quibusdam in seruitute educati sunt, saepe tractata est: nec quidquam inuenitur in commentariis eorum principum, qui ante me fuerunt, quod ad omnes
2 prouincias sit constitutum. Epistolae sane sunt Domitiani ad Auidium Nigrinum & Armenium Brocchum, quae fortasse debeant obseruari: sed inter eas prouincias, de quibus rescripsit, non est Bithynia: & ideo nec adsertionem denegandam iis, qui ex eiusmodi caussa in libertatem vindicabuntur, puto: neque ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum.

---

3. *in scriniis tuis*) in archiuis, tabulario, vbi decreta, rescripta, & litterae authenticae seruantur.

Epist. LXXII. 2. *adsertionem* vindicationem libertatis. Dicimus enim *adserere in libertatem*, Sueton. Vitell. c. 10. *in seruitutem*, Idem Tib. c. 2; & *adserere libertatem*, Idem. Claud. c. 19.

LXXIII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

An reliquias mortuorum transferre liceat, Traianum, tamquam P. M. consulit.

Petentibus quibusdam, vt sibi reliquias suorum, aut propter iniuriam vetustatis, aut propter fluminis incursum, aliaque his similia quaecumque, secundum exemplum proconsulum, transferre permitterem, quia sciebam in vrbe nostra ex eiusmodi causis collegium pontificum adiri solere, te, Domine, maximum pontificem, consulendum putaui, quid obseruare me velis.

LXXIV.

TRAIANVS PLINIO S.

Durum est iniungere necessitatem prouincialibus pontificum adeundorum, si reliquias suorum propter aliquas iustas causas transferre ex loco in alium locum velint. Sequenda ergo potius tibi exempla sunt eorum, qui isti prouinciae praefuerunt, & ex causa cuique ita aut permittendum, aut negandum.

LXXV.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Locum idoneum ostendit, vbi balineum, ab imperatore Prusensibus concessum, possit exstrui.

Quaerenti mihi, Domine, Prusae vbi posset balineum, quod indulsisti, fieri, placuit lo-

---

Epist. LXXIII *reliquias suorum*] ossa, cineres, & similia, quae ex loco, vbi sepulta erant, transferre, nisi necessitas vrgeret, & pontifices permitterent, fas non erat. Vid. Kirchmann. de Funer. l. III. c. 5. Haesit hic ritus & religio etiam Christianis. Lege 14 Cod. de Religios. *Nemo humanum corpus ad alium locum sine Augusti adsatibus transferat.*

Epist. LXXV. 1. *quod indulsisti*] supra ep. 35.

cus, in quo fuit aliquando domus, vt audio, pulcra, nunc deformis ruinis. Per hoc enim consequemur, vt foediſſima facies ciuitatis ornetur, atque etiam, vt ipſa ciuitas amplietur, nec vlla aedificia tollantur; ſed quae ſunt vetuſtate ſub-
2 lapſa, reparentur in melius. Eſt autem huius domus conditio talis. Legauerat eam Claudius Polyaenus Claudio Caeſari, iuſſeratque in peri-ſtylio templum ei fieri, reliqua ex domo locari, ex quo reditum aliquamdiu ciuitas percepit: deinde paullatim partim ſpoliata, partim neglecta, cum peri-ſtylio domus tota collapſa eſt: ac iam paene nihil ex ea, niſi ſolum ſupereſt: quod tu, Domine, ſiue donaueris ciuitati, ſiue vaenire iuſſeris, propter opportunitatem loci, pro ſum-
3 mo munere accipiet. Ego, ſi permiſeris, cogito in area vacua balineum collocare; eum autem locum, in quo aedificia fuerunt, exhedra & porticibus amplecti, atque tibi conſecrare, cuius beneficio elegans opus dignumque nomine tuo fiet.
4 Exemplar teſtamenti, quamquam mendoſum, miſi tibi; ex quo cognoſces, multa Polyaenum in eiusdem domus ornatum reliquiſſe, quae, vt domus ipſa, perierunt: a me tamen, in quantum potuerit, requirentur.

2. *Claudius Polyaenus*) Haud dubie ex Claudii potentioribus libertis fuit.

in peri-ſtylio) loco columnis vndique ſepto. Crebra eius apud Vitruuium mentio, l. V. c. 1. & l. VI. c. 4. & 10. ac alibi. *Aream* reſponſione Traianus vocat.

3. *exhedra & porticibus*) Vitruuius lib. V c. 11. de palaeſtrarum aedificatione: *In tribus porticibus exhedrae ſpatioſae, habentes ſedes, in quibus philoſophi, rhetores, reliquique, qui ſtudiis delectantur, ſedentes diſputare poſſint.*

LXXVI.

TRAIANVS PLINIO S.

Possumus apud Prusenses area ista cum domo collapsa, quam vacare scribis, ad exstructionem balinei vti. Illud tamen parum expressisti, an aedes in peristylio Claudio facta esset. Nam si facta aedes esset, licet collapsa sit, religio eius occupauit solum.

LXXVII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Consulit de liberis agnoscendis, & natalibus restituendis.

Postulantibus quibusdam, vt de agnoscendis liberis restituendisque natalibus & secundum epistolam Domitiani scriptam Minucio Rufo, & secundum exempla proconsulum, ipse cognoscerem; respexi ad SC. pertinens ad eadem genera caussarum, quod de his tantum prouinciis loquitur, quibus proconsules praesunt: ideoque

---

Epist LXXVII. *restituendis natalibus*) Natalibus restitui liberti dicebantur, qui ad ingenuitatis statum a principe restituebantur, perinde ac si nunquam maculam seruitutis sustinuissent, sed ingenui nati essent. *Brisson. de S. V.* Vide titul. Digest. de natalib. restituendis: vbi etiam vis verbi Lege 2. explicatur.

quibus proconsules praesunt) Prouinciae Romanae diuidebantur in proconsulares praetorias, & praesidiales, prout vel a proconsule regebantur, vel a propraetore, vel tantummodo a praeside siue procuratore, quod discrimen tum ex aliis, tum maxime ex Sex. Rufi c. 4. & 5. constat. Plinii autem conditio ex inscriptione apud Grut. p. 454. n. 3.

LEGAT. PROPRAET. PROVINC.
PONTI CONSVLARI POTESTATE.

rem

rem integram distuli, dum tu, Domine, praeceperis, quid observare me velis.

LXXVIII.

TRAIANVS PLINIO S.

Si mihi SC. miseris, quod haesitationem tibi fecit, aestimabo, an debeas cognoscere de agnoscendis liberis, & natalibus suis restituendis.

LXXIX.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Ex Largi hereditate vtrum opera sibi fieri, an ludos institui Traianus malit, vt significet, rogatur.

Iulius, Domine, Largus, ex Ponto, nondum mihi visus, ac ne auditus quidem, se iudicio tuo credens, dispensationem quamdam mihi erga te pietatis suae ministeriumque mandauit. 2 Rogauit enim testamento, vt hereditatem suam

---

Bithynia enim ex Augusti diuisione inter praetorias senatus erat, *Strab. XVII. extr.* cuius rectores proconsules saepe vocantur, vel ex Augusti concessione, *Dio LIII. p.* 594. vel postea mutato ordine: Traiani autem aeuo Bithynia ab senatu ad imperatorem translata, non proconsulem, sed propraetorem habuit, consulari quidem potestate, non autem cum imperio consulari. Vid. H. Noris Cenotaph. Pis. p. 207.

Epist. LXXIX. 1. *ex Ponto*) regione inter Paphlagoniam & Colchidem sub Ponto Euxino.

2. *hereditatem adirem, cerneremque*) Vetus formula. Vlpianus tit. XXII. n. 28. *eam hereditatem adeo cernoque.* Cernere autem est quasi *decernere de hereditate*, vt explicatur Lege 13. Dig. de adquir. hered. n. . & Cretio est *certorum dierum spatium, quod datur instituto heredi ad deliberandum, vtrum expediat ei adire hereditatem, nec ne?* vti idem Vlpianus d. Tit. n. 27. interpretatur.

adirem,

adirem, cerneremque: ac deinde, perceptis quinquaginta millibus nummum, reliquum omne Heracleotarum & Tianorum ciuitatibus redderem: ita vt esset arbitrii mei, vtrum opera facienda, quae honori tuo consecrarentur, putarem, an instituendos quinquennales agonas, qui Traiani appellentur. Quod in notitiam tuam perferendum existimaui, ob hoc maxime, vt dispiceres, quid eligere debeam. 3

LXXX.

TRAIANVS PLINIO S.

Iulius Largus fidem tuam, quasi te bene nosset, elegit. Quid ergo potissimum ad perpetuitatem memoriae eius faciat, secundum cuiusque loci conditionem ipse dispice, & quod optimum existimaueris, sequere.

---

quinquaginta millibus) nummis vncialibus 1562 cum dimidio.

Heracleotarum & Tianorum) Heraclea ad Pontum Euxinum in Bithynia vrbs nobilis, Ptolemaeo lib. V. c. 1. Πόντε Ηράκλεια, quam Bithyniae adscribit. *Tius* Ptolemaeo itidem ad Bithyniam est, quam *Tium* is neutro genere appellat; Mesae vero lib. I. c. 19. & Stephano Byz. in Paphlagonia, quod argumento est in vtriusque confinio fuisse. Nummi apud Harduinum TIANΩN.

opera) exstruenda vel aedificanda, vt theatra, gymnasia, porticus, aquaeductus & similia.

quinquennales agonas) quales Augustus ad Nicopolim post victoriam Actiacam instituit, *Sueton. c.* 8; & Nero Romae, *Idem cap.* 11.

LXXXI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Iuliopolitanis centurionem legionarium mitti cupit.

Prouidentissime, Domine, fecisti, quod praecepisti Calpurnio Macro, clarissimo viro, vt legionarium centurionem Byzantium mitteret.
2 Dispice, an etiam Iuliopolitanis simili ratione consulendum putes: quorum ciuitas, cum sit perexigua, onera maxima sustinet, tantoque grauiores iniurias, quanto est infirmior, patitur.
3 Quidquid autem Iuliopolitanis praestiteris, id etiam toti prouinciae proderit. Sunt enim in capite Bithyniae, plurimisque per eam commeantibus transitum praebent.

LXXXII.

TRAIANVS PLINIO S.

Ea conditio est ciuitatis Byzantiorum, confluente vndique in eam commeantium turba, vt, secundum consuetudinem praecedentium temporum, honoribus eius praesidio centurionis legionarii consulendum habuerimus: si Iuliopo-

---

Ep. LXXXI. 1. *Prouidentissime*) Supra epist. 69.

Calpurnio Macro) Vid. epist. 51. & 69. extr. huius libri.

2 *Iuliopolitanis*) Plinius maior H. N. l. V. c. 32, sect. 40. *Gordiucome, quae Iuliopolis vocatur.* Liuio XXXVIII. c. 13. *Gordiuthichos:* Ptolemaeo l. V. c. 1. extr. Ἰουλιόπολις.

3. *in capite Bithyniae*) Paphlagoniam versus. Vid. Ptolem.

Epist. LXXXII. 1. *consulendum habuerimus*) Graecum verbi *habere* vsum atque nexum Traiani aetas inprimis amauit, vt ad l. I. epist. 7. extr. notauimus. Addo ex epist. 95. huius libri *impetrandum habet:* & ex Paneg. c. 15. *discendum haberes*, & mox, *adnumerandum habent.*

litanis

litanis succurrendum eodem modo putauerimus, onerabimus nos exemplo. Plures enim tanto 2
magis eadem requirent, quanto infirmiores erunt. Tibi eam fiduciam diligentiae habeo, vt credam, te omni ratione id acturum, ne sint obnoxii iniuriis. Si qui autem se contra disciplinam meam gesserint, statim coerceantur: aut, si 3
plus admiserint, quam vt in re praesenti sit satis, puniantur: si milites erunt, legatis eorum, quae deprehenderis, notum facies: aut, si in vrbem versus venturi erunt, mihi scribes.

LXXXIII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

De annali Bithynis data lege disquirit.

Cautum est, Domine, Pompeia lege, quae Bithynis data est, ne quis capiat magistratum, neue sit in senatu minor annorum XXX; eadem lege comprehensum est, vt qui ceperint magistratum, sint in senatu. Sequutum est dein edictum 2
diui Augusti, quo permisit minores magistratus ab annis duobus & viginti capere. Quaeritur 3
ergo, an qui minor XXX annorum gessit magi-

3. *quae deprehenderis, notum facies*) Aut *quod* legendum, aut *nota*, Rittershusio videtur.

in vrbem versus) Loci particula *Versus* postpositiua, etiam propositionem ante se ferre potest. Liuius lib. I. c. 18. *ad meridiem versus considit*; vbi, ne participium intelligas, *deductus* iam praecessisse scias. Seruius Sulpicius ad Cicer. l. IV. epist. 12. *in Italiam versus*.

Epist. LXXXIII. 1. *Pompeia lege*) De hac plurium capitum lege agitur praeterea epist. 115. Tulit autem hanc Pompeius, quum prouinciam Ponticam ordinaret, hoc est, Bithyniae, veteri prouinciae Pontum, Mithridate debellato, adiiceret.

stratus,

stratus, possit a censoribus in senatum legi, &, si
poterit, an ex iis quoque, qui non gesserint, possit
quis per eamdem interpretationem ab ea aetate
senator legi, a qua illis magistratum gerere per-
missum est. quod alioqui factitatum adhuc, &
esse necessarium dicitur, quia sit aliquanto me-
lius, honestorum hominum liberos, quam e plebe
4 in curiam admitti. Ego a destinatis censoribus,
quid sentirem, interrogatus, eos quidem, qui
minores XXX annis gessissent magistratum, pu-
tabam posse in senatum & secundum edictum
Augusti, & secundum legem Pompeiam, legi:
quoniam Augustus gerere magistratus minoribus
annis XXX permisisset, lex senatorum esse voluis-
5 set, qui gessisset magistratum. De his autem,
qui non gessissent, quamuis essent aetatis eius-
dem, cuius illi, quibus gerere permissum est, hae-
sitabam. Per quod effectum est, vt te, Domine,
consulerem, quid obseruari velles. Capita legis,
tum edictum Augusti, litteris subieci.

LXXXIV.

TRAIANVS PLINIO S.

Interpretationi tuae, mi Secunde carissime,
idem existimo; hactenus edicto diui Augusti
nouatam esse legem Pompeiam, vt magistratum
quidem capere possint ii, qui non minores duo-
rum & viginti annorum essent: & qui accepis-
sent, in senatum cuiusque ciuitatis peruenirent.
Ceterum, non capto magistratu, eos, qui mino-
res XXX annorum sint, quia magistratum capere
possint, in curiam etiam loci cuiusque non exi-
stimo legi posse.

LXXXV.

LXXXV.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Libellum supplicem Dionis, cui controuersia cum Archippo de opere publico erat, imperatori mittit, pronuntiaturus, quidquid ille rescripserit.

Quum Prusae ad Olympum, Domine, publicis negotiis intra hospitium, eodem die exiturus, vocarem, Asclepiades magistratus indicauit, appellatum me a Claudio Eumolpo, quum Cocceianus Dion in bule adsignari ciuitati opus, cuius curam egerat, vellet: tum Eumolpus adsistens Flauio Archippo dixit; exigendam esse a Dione rationem operis, antequam reipublicae traderetur, quod aliter feciſſet ac debuisset. Adiecit 2
etiam, esse in eodem opere positam tuam statuam, & corpora sepultorum, vxoris Dionis, & filii: postulauitque, vt cognoscerem pro tribunali. Quod quum ego me protinus facturum dilaturumque profectionem dixissem; vt longiorem 3

Epist. LXXXV. 1. *Prusae ad Olympum*] Plinius auunculus l. V. c. 32. sect. 43. *Intus in Bithynia, Prusa ab Hannibale sub Olympo condita:* & paucis interiectis, *& Prusa item altera sub Hypio monte*; Ptolemaeo & Concil. Nicen. iuxta *fluuium* Hypium. Superior, quae ad Olympum est, ep. 66. huius libri, in priore rescripto Domitiani, *Prusias* appellata fuit, quia idem Archippus hic accusator est, cui ibi *circa Prusiadem* ager a Domitiano emtus fuerat: etiam *Prusiadis iuxta Olympum montem* episcopus in Concil. Nic. memoratur.

in bule) in senatu, Graece, vt supra *bulentae*, senatores, epist. 48. n. 5.

opus) Quale opus, ex partibus infra n. 7. cognoscitur, quae erant porticus, area, bibliotheca.

2. *& filii*) Sic Ald. & Sich. singulariter: alii *filiorum*.

diem

diem ad instruendam caussam darem, vtque in
4 alia ciuitate cognoscerem, petiit. Ego me audi-
turum Niceae, respondi: vbi quum sedissem co-
gniturus, idem Eumolpus, tamquam adhuc pa-
rum instructus, dilationem petere coepit: con-
5 tra Dion, vt audiretur, exigere. Dicta sunt vtrim-
que multa, etiam de caussa: ego quum dandam
dilationem & consulendum existimarem in re ad
exemplum pertinenti, dixi vtrique par ti, vt postu-
lationum suarum libellos darent. Volebam enim
te ipsorum potissimum verbis ea, quae erant pro-
posita, recognoscere. Et Dion quidem se datu-
rum dixit: & Eumolpus respondit, complexu-
6 rum se libello, quae reipublicae peteret. Cete-
rum, quod ad sepultos pertinet, non accusato-
rem se, sed aduocatum Flauii Archippi, cuius
mandata pertulisset. Archippus, cui Eumolpus,
sicut Prusae, adsistebat, dixit, se libellum daturum.
Ita nec Eumolpus, nec Archippus, quam plurimis
diebus exspectati, adhuc mihi libellos dederunt: Dion dedit, quem huic epistolae iunxi.
7 Ipse in re praesenti fui, & vidi tuam quoque
statuam in bibliotheca positam. Id autem, in
quo dicuntur sepulti filius & vxor Dionis, in

4. *vbi quum sedissem*) Sedere iudicum est. Supra lib. V. epist. vlt. sub init. *sedebant iudices.* Liuius lib. XL. c. 8. de Philippo rege: *Sedeo miserrimus pater iudex inter duos filios.* Et Cicero pro Rab. Post. cap. 5. *modo vos iidem in A. Gabinium iudices sedistis.* Buchnero haec obseruatio debetur.

7. *Ipse in re praesenti fui*] Ipse rem praesens inspexi. Adde epist. 69. n. 1. supra.

filius & vxor Dionis) Thom. emendauit. Vulgarea

area collocatum, quae porticibus includitur. Te, 8
Domine, rogo, vt me in hoc praecipue genere cognitionis regere digneris, quum alioqui magna sit exspectatio, vt necesse sit in ea re, quae & in confessum venit, & exemplis defenditur, deliberare.

LXXXVI.

TRAIANVS PLINIO S.

Potuisti non haerere, mi Secunde carissime, circa id, de quo me consulendum existimasti, quum propositum meum optime nosses, non ex metu nec terrore hominum, aut criminibus maiestatis, reuerentiam nomini meo adquiri. Omissa 2
ergo ea quaestione, quam non admitterem, etiamsi exemplis adiuuaretur, ratio totius operis effecti sub cura tua Cocceiano Dioni excutiatur, cum & vtilitas ciuitatis exigat, nec aut recuset Dion, aut debeat recusare.

LXXXVII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Nicensium libellum supplicem mittit.

Rogatus, Domine, a Nicensibus publice per ea, quae mihi & sunt & debent esse sanctis-

tum, *filii eius & vxor Dionis*, vbi ingrate *eius* redundat: vt probabile sit ex *filius*, errore factum *filii eius*. Repete modo dicta ad num. 2.

8. *quae & in confessum venit*) quae in confesso est. Rittersh. suspicabatur aliquando, *quae in confessum*. Plures libri, *quae & in confessum*: tollunt & Steph. & Boxh.

Epist. LXXXVI 1. *non ex metu nec terrore*) Vide Panegyr. cap. 42. n. 1.

2. *etiamsi exemplis*) superiorum principum.

Dioni excutiatur) Dion excutiat, recenseatque suum opus, eiusque rationem adferat.

sima, id est, per aeternitatem tuam salutemque, vt preces suas ad te perferrem, fas non putaui negare: acceptumque ab his libellum, huic epistolae iunxi.

LXXXVIII.

TRAIANVS PLINIO S.

Nicensibus, qui intestatorum suorum concessam vindicationem bonorum a diuo Augusto adfirmant, debebis vacare, contractis omnibus personis ad idem negotium pertinentibus, adhibitis Virdio Gemellino, & Epimacho, liberto meo, procuratoribus, vt, aestimatis etiam iis, quae contra dicuntur, quod optimum credideritis, statuatis.

LXXXIX.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Traiano de natali die gratulatur.

Opto, Domine, & hunc natalem, & plurimos alios, quam felicissimos agas: aeternaque laude florentem virtutis tuae gloriam & incolumis & fortis aliis super alia operibus augeas.

Ep. LXXXVII. *per aeternitatem*) Supra epist. 50. & 67. Cetera hinc obserues licet, impensissime rogandi modum per aeternitatem, & salutem principis.

Epist. LXXXVIII *intestatorum vindicationem*) qua possent intestato morientium bona aerario vindicare. *Rittersh.*

contractis) congregatis.

Epist. LXXXIX *& plurimos alios*) Id in votis, quae natali die nuncupantur, praecipuum solet esse. Tibullus lib. I. eleg. 8. extr.

At tu, natalis multos celebrande per annos,
Candidior semper candidiorque veni.

aliis super alia) Vide supra lib. VII. epist. 8.

XC.

XC.

TRAIANVS PLINIO S.

Agnosco vota tua, mi Secunde carissime, quibus precaris, vt plurimos & felicissimos natales, florente statu reipublicae nostrae, agam.

XCI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

De aqua in Sinopensem coloniam perducenda consulit.

Sinopenses, Domine, aqua deficiuntur; quae videtur & bona & copiosa ab sextodecimo milliario posse perduci. Est tamen statim ab capite paullo amplius mille passibus locus suspectus & mollis; quem ego interim explorari modico impendio iussi, an recipere & sustinere opus possit. Pecunia, curantibus nobis, contracta, non 2
deerit, si tu, Domine, hoc genus operis & salubritati & amoenitati valde sitientis coloniae indulseris.

Epist. XCI. *Sinopenses*) Sinope vrbs nobilis ad Pontum in Paphlagonia, a Milesiis condita, libera olim, post a Ponti regibus oppressa; tandem colonia Romana.

deficiuntur) destituuntur. Vid. lib. II. epist. 16. n. 2. & epist. 17. n. 25.

ab capite) Ita Aldus: Sich *a capite*. Sed neque *ab* ante C antiquis insolens. Liuius l. XXIII. c. 1. *ab cedentibus*: & lib. XXVI. c. 13. fin. *ab cruciatu*. Quod praecessit *ab sextodecimo*, hoc est, *ab* ante *S*, Ciceroni, Varroni, Caesari & cumprimis Liuio saepius vsurpatum, vt alibi ostendimus. Ceterum *ab capite* est *a fonte*. Horatius lib. I. Od. 1. *ad aquae lene caput sacrae*.

opus) aquaeductum, vt epist. seq. nominatur.

XCII.

TRAIANVS PLINIO S.

Vt coepisti, Secunde carissime, explora diligenter, an locus ille, quem suspectum habes, sustinere opus aquae ductus possit. Neque enim dubitandum puto, quin aqua perducenda sit in coloniam Sinopensem, si modo & viribus suis ipsa id adsequi potest, quum plurimum ea res & salubritati & voluptati eius collatura sit.

XCIII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Libellum Amisenorum mittit Traiano.

Amisenorum ciuitas & libera & foederata beneficio indulgentiae tuae legibus suis vtitur: in hac datum mihi publice libellum, ad eranos pertinentem, his litteris subiecì, vt tu, Domine, dispiceres, quid & quatenus aut permittendum aut prohibendum putares.

XCIV.

TRAIANVS PLINIO S.

Amisenos, quorum libellum epistolae tuae iunxeras, si legibus istorum, quibus de offi-

---

Epist. XCIII. *Amisenorum*) Amisus vrbs ad Pontum Euxinum, trans Halym sita in Ponto Galatico.

ad eranos) Erani pecuniae sunt ab sodalibus collatae ad subleuandos pauperes sui ordinis. In Graecis enim ciuitatibus eiusmodi sodalitates institutae erant, quae communem arcam haberent, in quam singulis mensibus aliquid conferebatur, vt esset, quo afflictos suae societatis iuuarent. Vid. epist. seq. & Casaub. ad Theophrast. charact. *περὶ ἀνταδείας.*

cio

cio foederis vtuntur, conceſſum eſt Eranos habere, poſſumus, quo minus habeant, non impedire, eo facilius, ſi tali collatione, non ad turbas & illicitos coetus, ſed ad ſuſtinendam tenuiorum inopiam vtuntur. In ceteris ciuitatibus, quae noſtro iure obſtrictae ſunt, res huiusmodi prohibenda eſt.

XCV.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Suetonio ius trium liberorum a principe petit.

Suetonium Tranquillum, probiſſimum, honeſtiſſimum, eruditiſſimum virum, & mores eius ſequutus & ſtudia, iam pridem, Domine, in contubernium adſumſi: tantoque magis diligere coepi, quanto hunc propius inſpexi. Huic ius 2
trium liberorum neceſſarium faciunt duae cauſſae. Nam & iudicia amicorum promeretur, & parum felix matrimonium expertus eſt: impetrandumque a bonitate tua per nos habet, quod illi fortunae malignitas denegauit. Scio, Do- 3
mine, quantum beneficium petam, quod peto a te, cuius in omnibus deſideriis meis pleniſſimam

---

Epiſt. XCV. 1. *mores eius ſequutus*) moribus eius honeſtiſſimis inductus, ſeu propter mores eius eximios.

2. *ius trium liberorum*) lib. II. ep. 13 expoſitum.

iudicia promeretur) dignus eſt, qui heres ſcribatur amicorum teſtamentis, quae Lege 36. de legat. & fidei comm. III. *iudicia ſuprema* appellantur.

impetrandum habet) Vide epiſt. 82. huius libri.

fortunae malignitas) Martialis lib. II epigr. 91.

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar vt eſſe trium.

indulgentiam experior. Potes autem colligere, quantopere cupiam, quod non rogarem absens, si mediocriter cuperem.

XCVI.

TRAIANVS PLINIO S.

Quam parce haec beneficia tribuam, vtique, mi Secunde carissime, haeret tibi, quum etiam in senatu adfirmare soleam, non excessisse me numerum, quem apud amplissimum ordinem suffecturum mihi professus sum: tuo tamen desiderio subscripsi; & (vt scias) dedisse me ius trium liberorum Suetonio Tranquillo ea conditione, qua adsueui, referri in commentarios meos iussi.

XCVII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

De Christianorum rebus accurate perscribit.

Solemne est mihi, Domine, omnia, de quibus dubito, ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere, vel ignorantiam instruere? Cognitionibus de Christia-
2

Epist. XCVI. *haeret tibi*) memoriae infixum est. Vide epist. 31. huius libri & ibi adnotata.

amplissimum ordinem) senatum.

suffecturum mihi) Numerum certum hominum Traianus in senatu professus erat, vltra quem nollet beneficium trium liberorum concedere.

vt scias) Absunt haec ab Aldina, & satis commode possunt abesse.

Epist. XCVII. 2. *Cognitionibus*) quaestioni, examini iudiciali.

nis

nis interfui nunquam: ideo nescio, quid, & quatenus, aut puniri soleat, aut quaeri. Nec mediocriter haesitaui, sitne aliquod discrimen aetatum, an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant: deturne poenitentiae venia, an ei, qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit: nomen ipsum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim in iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum sequutus modum. Interrogaui ipsos, an essent Christiani: confitentes iterum ac tertio interrogaui, supplicium minatus: perseuerantes duci iussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset, quod faterentur, peruicaciam certe, & inflexibilem obstinationem debere puniri. Fuerunt alii similis amen- 3 4

quamlibet teneri) quam parum etiam robusti, vt pueri, puellae.

nomen ipsum) quod vera deessent crimina, nomen pro crimine habebatur. Hanc iniuriam Tertullianus exagitat lib. I. ad Nation. c. 3. Post alia: *Non vultis*, inquit, *inquirere, vt nomen inimicum sub praesumtione criminum puniatur.*

3. *duci iussi*) ad supplicium. Tertullianus c. 1. *duci, suffigi, ad bestias dari placet.* Et Seneca lib. I. de Ira c. 16. *iratus duci iussit eum, qui ex commeatu sine commilitone redierat:* & mox, *iubet duci vtrumque.* Adde lib. III. de Ira c. 40. extr. Plene Suetonius Tib. c. 57. *duci ad supplicium imperauit*; & Cic. I. Catil. c. 1. *ad mortem te duci iampridem oportebat.*

4. *similis amentiae*) Tertullianus Apolog. c. 27. *Quidam dementiam existimant, quod quum possumus & sacrificare in praesenti, & illaesi abire, manente apud animum proposito, obstinationem saluti praeferamus.*

tiae: quos, quia ciues Romani erant, adnotaui
in vrbem remittendos; mox ipso tractu, vt fieri
solet, diffundente se crimine, plures species inci-
5 derunt. Propositus est libellus sine auctore,
multorum nomina continens, qui negarent, se
esse Christianos, aut fuisse, quum, praeeunte
me, deos appellarent, & imagini tuae, quam
propter hoc iusseram cum simulacris numinum
adferri, thure ac vino supplicarent, praeterea
maledicerent Christo: quorum nihil cogi posse
dicuntur, qui sunt reuera Christiani. Ergo di-
6 mittendos putaui. Alii ab indice nominati, esse
se Christianos dixerunt, & mox negauerunt:
fuisse quidem, sed desisse, quidam ante trien-
nium, quidam ante plures annos, non nemo
etiam ante viginti quoque. Omnes & imagi-
nem tuam, deorumque simulacra venerati sunt;
7 ii & Christo maledixerunt. Adfirmabant au-
tem, hanc fuisse summam vel culpae suae, vel

5. *qui negarent se esse*) Hi fuerunt vere gentiles, falso insimulati Christianae religionis. De apostatis Christianis post a n 6.

imagini tuae) Sancta imago principis erat: per illam iurabant, ad illam supplicabant. Minucius Felix p. 283. ed Ouzel. *Sic eorum numen vocant, ad imagines supplicant, genium, id est, daemonem eius implorant, & est eis tutius per Iouis genium peierare, quam regis.* Plura de adoratione imaginum principalium Nazianzenus Orat. in Iulianum apostatam.

6. *ante triennium*) quam coepisset Traiani persequutio.

etiam ante viginti quoque) Rittersh. mauult *viginti quinque*, ne *etiam* & *quoque* concurrant. Idem mox *Omnes, qui imaginem*, legendum censet: sed potest vtrobique vulgata lectio seruari.

erro-

erroris, quod essent soliti stato die ante lucem conuenire: carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum inuicem: seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque coeundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, & innoxium: quod ipsum facere desisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram. Quo magis 8
necessarium credidi, ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri & per tor-

---

7. *stato die*) die dominica, quae Solis est.

ante lucem) Tertullianus Apolog. cap. 2. Plinium ait, quum prouinciam regeret, *nihil aliud de sacramentis Christianorum comperisse, quam coetus antelucanos ad canendum Christo, vt Deo, & ad confoederandum disciplinam.*

Christo quasi Deo) Firmum pro Christi diuinitate argumentum, ab apostatis prolatum, a pagano homine consignatum. Ex quo constat, quid prima illa ecclesia de Christo suo senserit. Tertullianus c. l. *Christo & Deo*, quod corruptum videtur ex *Christo vt Deo*. Hoc enim *quasi* Plinianum, quod exprimere voluit, postulat.

coeundi ad capiendum cibum) Hae Agapae Christianorum sunt. Antea sacramenti nomine videtur ipsa S. Eucharistia signari, in cuius vsu se Christiani ad fugienda scelera, & sanctimoniam sectandam obstringunt: nunc *promiscuus*, id est, communis cibus refertur, isque *innoxius*, quod satis est ad calumniam de caede infantis & sanguine, etiam hostium & apostatarum testimonio repellendam.

hetaerias) supra epist. 43. huius libri.

8. *quae ministrae dicebantur*) Hae sunt veteris ec-

menta quaerere. Sed nihil aliud inueni, quam
superstitionem prauam & immodicam, ideoque,
dilata cognitione, ad consulendum te decurri.
9 Visa est enim mihi res digna consultatione, ma-
xime propter periclitantium numerum. Multi
enim omnis aetatis, omnis ordinis, vtriusque se-
xus etiam, vocantur in periculum, & vocabun-
tur. Neque enim ciuitates tantum, sed vicos
etiam atque agros superstitionis istius contagio
peruagata est: quae videtur sisti & corrigi posse.
10 Certe satis constat, prope iam desolata templa
coepisse celebrari, & sacra solemnia diu inter-
missa repeti: passimque vaenire victimas, quarum
adhuc rarissimus emtor inueniebatur; Ex quo
facile est opinari, quae turba hominum emendari
possit, si sit poenitentiae locus.

---

clesiae *Diaconissae*, quae tam in diuinis, quam ecclesiasticis scripturis laudantur, etiam Lege 20. Cod. de episcop. & cleric.

superstitionem prauam) Tacito XV. c. 44. *exitiabilis superstitio*. Suetonio Ner. c. 16. *superstitio noua & malefica* est religio Christianorum. Sic cordati alias viri iudicant de caussa, quam ipsi nunquam perspexerant.

9. *omnis ordinis*) Ergo non tantum plebs infima, vt alibi obiiciebatur, sed nobilissimi etiam homines Christianos ritus sectabantur.

Neque enim ciuitates tantum) Multae gentilium querelae de rei Christianae incremento. Vnam Caecilii apud Minuc. Felicem p. 81. attuliisse sufficiat. *Per vniuersum*, inquit, *orbem sacraria ista teterrima impiae coitionis adolescunt.*

10. *desolata templa*) Arnobius lib. I. p. 13. *Negliguntur dii, clamitant* (pagani), *atque in templis iam raritas summa est.*

XCVIII.

XCVIII.

TRAIANVS PLINIO S.

Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis caussis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, sequutus es. Neque enim in vniuersum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt: 2
si deferantur & arguantur, puniendi sunt: ita tamen, vt, qui negauerit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, id est, supplicando diis nostris, quamuis suspectus in praeteritum fuerit, veniam ex poenitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli, nullo crimine locum h bere debent. Nam & pessimi exempli, nec nostri seculi est.

XCIX.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Quaerit de contegenda Amastrianorum pestifera aqua.

Amastrianorum ciuitas, Domine, & elegans & ornata, habet inter praecipua opera pulcerrimam, eamdemque longissimam, plateam: cuius a latere per spatium omne porrigitur nomine quidem flumen, re vero cloaca foedissima:

Ep. XCVIII. 2. *Conquirendi non sunt*) Hoc iudicium Traiani iuste reprehendit Tertullianus Apolog. c. 2. *Si damnas*, inquit, *cur non & inquiris? si non inquiris, cur non & absoluis?*

nullo crimine) in nullo crimine. *Rittersh.*

Ep. XCIX. 1. *Amastrianorum*) Amastris vrbs Paphlagoniae in Bithyniae confinio.

cloaca) fossa, qua sordes & purgamenta ciuitatis euc-

quae sicut turpis & immundissima adspectu, ita
2 Pestilens est, odore teterrimo. Quibus ex caussis, non minus salubritatis quam decoris interest, eam contegi: quod fiet, si permiseris, curantibus nobis, ne desit quoque pecunia operi tam magno quam necessario.

C.

TRAIANVS PLINIO S.

Rationis est, mi Secunde carissime, contegi aquam istam, quae per ciuitatem Amastrianorum fluit, si detecta salubritati obest. Pecunia ne huic operi desit, curaturum te secundum diligentiam tuam, certum habeo.

CI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Vota pro salute Traiani & soluta & noua nuncupata se nuntiat.

Vota, Domine, priorum annorum nuncupata alacres laetique persoluimus, nouaque rursus, curante commilitonum & prouincialium pietate, suscepimus: precati deos, vt te remque publicam florentem & incolumem ea benignitate seruarent, quam super magnas plurimasque virtutes praecipue sanctitate consequi deorum honore meruisti.

---

huntur. De mirandis cloacis vrbis Romae Liuius I, 38. & Dionysius Halicarn. lib. III. p. 200.

Epist. CI. *Vota*) Pro salute principis quotannis noua vota fiebant, & iusiurandum solemni ritu repetebatur a militibus & prouincialibus vel eo die, quo imperium susceptum fuerat, epist. 60. huius libri, & epist. 103. vel tertio post calend. Ianuarias. Vide epist. 44.

curante) Forte *certante* legendum, vt eadem epist. 60. *vertarunt pietate.*

CII.

CII.

TRAIANVS PLINIO S.

Soluisse vota diis immortalibus, te praeeunte, pro mea incolumitate, & commilitones cum prouincialibus laetissimo consensu, in futurumque nuncupasse, libenter, mi Secunde carissime, cognoui litteris tuis.

CIII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Diem imperii suscepti anniuersario ritu celebratum esse nuntiat.

Diem, in quem tutela generis humani felicissima successione translata est, debita religione celebrauimus, commendantes diis, imperii tui auctoribus, & vota publica & gaudia.

CIV.

TRAIANVS PLINIO S.

Diem imperii mei debita laetitia & religione a commilitonibus & prouincialibus, praeeunte te, celebratum, libenter, mi Secunde carissime, cognoui litteris tuis.

CV.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Ius Quiritium pro tribus libertis petit.

Valerius, Domine, Paullinus, excepto vno, ius Latinorum suorum mihi reliquit: ex

Epist. CIII. *Diem, in quem*) Vide epist 60. & 101. huius libri.

Epist. CV. *ius Latinorum suorum*) libertos suos, Latinitatem consequutos.

mihi reliquit) moriens testamento reliquit.

quibus rogo tribus interim ius Quiritium des. Vereor enim, ne sit immodicum, pro omnibus pariter inuocare indulgentiam tuam; qua debeo tanto modestius vti, quanto pleniorem experior. Sunt autem, pro quibus peto, C. Valerius Aestiaeus, C. Valerius Dionysius, C. Valerius Aper.

CVI.

TRAIANVS PLINIO S.

Quum honestissime iis, qui apud fidem tuam a Valerio Paullino depositi sunt, consultum velis mature per me, iis interim, quibus nunc petisti, vt scias dedisse me ius Quiritium, referri in commentarios meos iussi, idem facturus in ceteris, pro quibus petieris.

CVII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Centurionis filiae, ciuitatem petentis, libellum mittit.

Rogatus, Domine, a P. Accio Aquila, centurione cohortis sextae equestris, vt mitterem tibi libellum, per quem indulgentiam pro statu filiae suae implorat, durum putaui negare, quum scirem, quantam soleres militum precibus patientiam humanitatemque praestare.

---

ius Quiritium) Vide huius libri epist. 4 & 6.

Ep. CVII. *cohortis sextae equestris*) Nouo instituto cohors equestris: antea omnes cohortes pedestris militiae. Inscriptio vetus apud Grut. p. 14.

PRAEF. COH. IIII. AQ. EQ.

quod plenius alia inscriptione p. 534. n. 4 expressum est: PRAEF. COH. I. AQVITANOR. EQVIT. *pro statu filiae*) vt ciuis Romana fieret. Vid. ep. seq.

CVIII.

CVIII.

TRAIANVS PLINIO S.

Libellum P. Accii Aquilae, centurionis cohortis sextae equestris, quem mihi misisti, legi: cuius precibus motus dedi filiae eius ciuitatem Romanam. Libellum rescripti, quem illi redderes, misi tibi.

CIX.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

De protopraxia ciuitatium consulit.

Quid habere iuris velis & Bithynas & Ponticas ciuitates in exigendis pecuniis, quae illis vel ex locationibus, vel ex venditionibus aliisue caussis debeantur, rogo, Domine, rescribas. Ego inueni, a plerisque pro consulibus concessam eis protopraxian, eamque pro lege valuisse. Existimo tamen tua prouidentia con- 2
stituendum aliquid & sanciendum, per quod vtilitatibus eorum in perpetuum consulatur. Nam quae sunt ab aliis instituta, sint licet sapienter indulta, breuia tamen & infirma sunt, nisi illis tua contingat auctoritas.

CX.

TRAIANVS PLINIO S.

Quo iure vti debeant Bithynae vel Ponticae ciuitates in iis pecuniis, quae ex quaque

Epist. CIX. 1. *Ponticas*) quae vltra Bithyniam ad Pontum erant, vt Sinope, Amisus, & aliae.

protopraxian) primam exactionem, siue, vt Traianus sequente explicat, priuilegium, quo quis ceteris creditoribus anteponitur: vt apud nos sunt pecuniae ecclesiarum & pupillorum.

caussa

cauſſa reipublicae debebuntur, ex lege cuiusque animaduertendum eſt. Nam ſi habent priuilegium, quo ceteris creditoribus anteponantur, cuſtodiendum eſt: ſi vero non habent, in iniuriam priuatorum id dari a me non oportebit.

CXI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

De Amiſenis, pecuniam Piſoni olim donatam repetentibus, Traianum conſulit.

Ecdicus, Domine, Amiſenorum ciuitatis petebat apud me ab Iulio Piſone denariorum circiter XL millia, donata ei publice ante XX annos, & bule & eccleſia conſentiente: nitebaturque mandatis tuis, quibus eiusmodi donationes vetantur. 2 Piſo contra, plurima ſe in rempublicam contuliſſe, ac prope totas facultates erogaſſe, dicebat. Addebat etiam temporis ſpatium, poſtulabatque, ne id, quod pro multis & olim accepiſſet, cum euerſione reliquae dignitatis reddere cogeretur. Quibus ex cauſſis integram cognitionem differendam exiſtimaui, vt te, Domine, conſulerem, quid ſequendum putares.

CXII.

TRAIANVS PLINIO S.

Sicut largitiones ex publico fieri mandata prohibent, ita, ne multorum ſecuritas ſubrua-

Epiſt. CXI. 1. *Ecdicus*) Officii vocabulum, quod *vindicem* ſonat, cuius generis *aduocatus fiſci* eſt. Cicero XIII. fam. epiſt. 56 *ecdici Mylaſii*, vbi Corradus: *vltores, qui eos perſequuntur, qui reipub. pecunias debent.*

& bule & eccleſia) ſenatu populoque.

nitebaturque) Ita Catan. legit; quem Veenhuſ. ſequitur. Alii *vtebaturque.*

tur,

tur, factas ante aliquantum temporis retractari atque in irritum vindicari non oportet. Quidquid ergo ex hac caussa actum ante viginti annos erit, omittamus. Non minus enim hominibus cuiusque loci, quam pecuniae publicae consultum volo.

CXIII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

An in senatum lecti, pro introitu aliquid inferre debeant, quaerit.

Lex Pompeia, Domine, qua Bithyni & Pontici vtuntur, eos qui in bulen a censoribus leguntur, dare pecuniam non iubet: sed ii, quos indulgentia tua quibusdam ciuitatibus super legitimum numerum adiicere permisit, & singula millia denariorum & bina intulerunt. Anicius deinde Maximus proconsul eos etiam, qui a censoribus legerentur, dumtaxat in pauciſſimis ciuitatibus, aliud aliis iussit inferre. Supereſt ergo, vt ipse disſpicias, an in omnibus ciuitatibus certum aliquid omnes, qui deinde buleutae leguntur, debeant pro introitu dare. Nam quod in perpetuum manſurum eſt, a te conſtitui decet, cuius factis dictisque debetur aeternitas. 2 3

Epiſt. CXIII. 1. *Lex Pompeia*) Huius mentio facta epiſt. 83. adde 115.

Bithyni & Pontici) Epiſt. 109. pariter diſtinguuntur.

in bulen) in ſenatum. epiſt 85. & 111.

ſuper legitimum numerum) Hi ſupernumerarii decuriones.

CXIV.

CXIV.

TRAIANVS PLINIO S.

Honorarium decurionatus omnes, qui in quaque ciuitate Bithyniae decuriones fiunt, inferre debeant necne, in vniuersum a me non potest statui. Id ergo, quod semper tutissimum est, sequendam cuiusque ciuitatis legem, puto, scilicet aduersus eos, qui inuiti fiunt decuriones, existimo id acturos, vt erogatio ceteris praeferatur.

CXV.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Decuriones alienae ciuitatis an eiici senatu possint, quaerit.

Lege, Domine, Pompeia permissum Bithynicis ciuitatibus adscribere sibi, quos vellent ciues, dum ciuitatis non sint alienae, sed suarum quisque ciuitatum, quae sunt in Bithynia. Eadem lege sancitur, quibus de caussis e senatu a censoribus eiiciantur: inter quas nihil de ciue
2 alieno cauetur. Inde me quidam ex censoribus consulendum putauerunt, an eiicere deberent

---

Epist. CXIV. *Honorarium*) quod datur honoris caussa, dum fiunt decuriones.

vt erogatio ceteris praeferatur) Subobscura verba, etiam Rittershusio, quorum sensum vult Catanaeus esse, vt minus grauentur pecuniarum illatione, qui inuiti leguntur, quam qui spontanei.

Epist. CXV. 1. *Lege Pompeia*) de qua epist. 83. dictum. add. epist. 113.

suarum quisque ciuitatum) Plures libri, *suarum quisque matrum ciuitatium*. Geneuensis autem cum Catanaei commentariis tollit *matrum*, quod abesse omnino potest, vt superfluum.

eum,

eum, qui esset alterius ciuitatis. Ego, quia lex, 3
sicut adscribi ciuem alienum vetabat, ita eiici e senatu ob hanc caussam non iubebat: praeterea quia ab aliquibus adfirmabatur mihi, in omni ciuitate plurimos esse buleutas ex aliis ciuitatibus, futurumque, vt multi homines multaeque ciuitates concuterentur ea parte legis, quae iam pridem consensu quodam exoleuisset; necessarium existimaui consulere te, quid seruandum putares. Capita legis his litteris subiecí.

CXVI.

TRAIANVS PLINIO S.

Merito haesisti, Secunde cariſſime, quid a te rescribi oporteret censoribus consulentibus, an legerent in senatum aliarum ciuitatum, eiusdem tamen prouinciae, ciues. Nam & legis auctoritas, & longa consuetudo vsurpata contra legem, in diuersum mouere te potuit. Mihi hoc temperamentum eius placuit, vt ex praeterito nihil nouaremus, sed manerent, quamuis contra legem, adsciti quarumcumque ciuitatum ciues, in futurum autem lex Pompeia obseruaretur: cuius vim si retro quoque velimus custodire, multa necesse est perturbari.

CXVII.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Veretur, ne ex inuitatione ad solemne officium factiones oriantur.

Qui virilem togam sumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magistratum, vel opus

Epist. CXVII. *Qui virilem*) Vide lib. I. epist. 9. n. 2. ex qua simul apparet, paene multos inuitatos huiuscemodi solemnitati interfuisse.

publi-

publicum dedicant, solent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios vel singulos dare: quod an celebrandum, & quatenus, putes, rogo scribas.
2 Ipse enim, sicut (arbitror, non imprudenter, praesertim ex solemnibus caussis) concedendum iussi inuitationes; ita vereor, ne ii, qui mille homines, interdum etiam plures, vocant, modum excedere, & in speciem dianomes incidere videantur.

CXVIII.
TRAIANVS PLINIO S.

Merito vereris, ne in speciem dianomes incidat inuitatio, quae & in numero modum excedit, & quasi per corpora, non viritim singulos ex notitia, ad solemnes sportulas contrahit. Sed ego ideo prudentiam tuam elegi, vt formandis istius prouinciae moribus ipse moderareris, & ea constituas, quae ad perpetuam eius prouinciae quietem essent profutura.

---

opus publicum) quale est templum, vel bibliotheca.
bulen) senatum.

2. *in speciem dianomes*) Casaubonus restituit. Ald. *diamones*, quae permansio est. Catanaeus *diamoeries*, quod diuisionem & factionem sonat. Διανομὴ autem *distributio* est & *largitio*, vt veteri Glossario latine vertitur, vbi etiam διανομὴ χρυσία, *sportula* explicatur, qua voce Traianus, respondens Plinio, vsus est. Omnes hae lectiones ad factionem tendunt, quae etiam sportulis ambiri videbatur.

Epist CXVIII. *quasi per corpora*) societates, collegia. Sic in antiquis monumentis CORPVS FABRVM, CORPVS SVARIORVM, & alia leguntur.

CXIX.

CXIX.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Doceri desiderat, a quo die incipiant iselastica praemia victoribus dari.

Athletae, Domine, ea, quae pro iselasticis certaminibus constituisti, deberi sibi putant statim ex eo die, quo sunt coronati. Nihil enim referre, quando sint patriam inuecti, sed quando certamine vicerint, ex quo inuehi possint. Ego contra scribo Iselastici nomine. Itaque eorum vehementer addubitem, an sit potius id

---

Epist. CXIX. 1. *pro iselasticis certaminibus*) Sunt certamina, quorum victores cum pompa inuehuntur, quisque in vrbem suam, ornati eximiis ab imperatore vel republica stipendiis, quae & ipsa *iselastica* appellantur. nam εἰσελαύνειν *inuehi* est. Vitruuius praefatione lib. IX. *Nobilibus athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Graecorum maiores ita magnos honores constituerunt, vti non modo in conuentu stantes cum palma & corona ferant laudes, sed etiam, quum reuertuntur in suas ciuitates cum victoria, triumphantes quadrigis in moenia & in patrias inuehantur, e republica, perpetua vita, constitutis vectigalibus fruantur.* Adi & Turnebum Adu. lib. I. c. 19. & lib. XXVI. cap. 5.

Iselastici nomine) Ita Ald. & Sich. ac alii veteres: recentiores *iselasticorum* pluraliter. Iselasticum autem hoc loco non certamen, sed praemium est. Quae sequuntur, *Itaque eorum*, suspecta sunt doctis, & in his Grutero, qui tollenda censet h. m. *Ego contra Iselasticorum nomine vehementer addubitem.* Si retinentur, quae libri omnes habent, ita forte cum Thom. interpretari potes: *Ego contra scribo*, id est, secus atque illi athletae postulant, censeo, idque *iselastici nomine*, scil. permotus, quia praemium significat iselasticis certaminibus debitum.

tem-

2 tempus, quo εἰσέλασαν, intuendum. Iidem obsonia petunt pro eo agone, qui a te iselasticus factus est, quamuis vicerint ante, quam ficret. Aiunt enim congruens esse, sicut non datur sibi pro his certaminibus, quae esse iselastica, postquam vicerunt, desierunt; ita pro iis dari, quae esse coeperunt. 3 Hic quoque non mediocriter haereo, ne cuiusquam retro habeatur ratio: dandumque, quod tunc, quum vincerent, non debebatur. Rogo ergo, vt dubitationem meam regere, id est, beneficia tua interpretari ipse digneris.

CXX.

TRAIANVS PLINIO S.

Iselasticum tunc primum mihi videtur incipere deberi, quum quis in ciuitatem suam ipse εἰσέλασιν. Obsonia eorum certaminum, quae iselastica esse placuit mihi, si ante Iselastica non fuerunt, 2 retro non debentur. Nec proficere pro desiderio athletarum potest, tam eorum, quae postea Iselastica lege constitui, quam, quum vincerent, esse desierunt. Mutata enim conditione certaminum, nihilominus, quae ante perceperant, non reuocantur.

CXXI.

C. PLINIVS TRAIANO IMP. S.

Excusat se, quod vxorem diplomate adiuuerit.

Vsque in hoc tempus, Domine, neque cuiquam diplomata commodaui, neque in rem

2. *obsonia*) stipendia, Graeca notione, vt in illo Apostoli, Roman. VI, 23.

Epist CXX. *tam eorum*) puta, certaminum.

Epist. CXXI. 1. *diplomata*) litteras immunis itineris. Vid. epist. 14. huius libri.

vllam,

vllam, nisi tuam, misi. quam perpetuam seruationem meam quaedam necessitas rupit. Vxori 2
enim meae, audita morte aui, volenti ad amitam suam excurrere, vsum eorum negare durum putaui, quum talis officii gratia in celeritate consisteret; sciremque, te rationem itineris probaturum, cuius caussa erat pietas. Haec scripsi, quia mihi parum gratus tibi fore videbar, si dissimulassem inter alia beneficia hoc vnum, quod me debere sciebam indulgentiae tuae, quod fiducia eius, quasi consulto te, non dubitaui facere; quem si consuluissem, sero fecissem.

CXXII.

TRAIANVS PLINIO S.

Merito habuisti, Secunde carissime, fiduciam animi mei. Nec dubitandum fuisset, si exspectasses, donec me consuleres, an iter vxoris tuae diplomatibus, quae officio tuo dedi, adiuuandum esset, vsum eorum intentioni non profuisse, quum apud amitam suam vxor tua deberet etiam celeritate gratiam aduentus sui augere.

---

2. *morte aui*) Fabati, ad quem tot nostri epistolae exstant.

amitam suam) Hispullam, lib. IV. epist. 19. & lib. V. epist. 15. sub fin.

FINIS.

C. PLI-

C. PLINII CAECILII SECVNDI
CONSVLIS

PANEGYRICVS,

NERVAE TRAIANO AVGVSTO DICTVS.

CAPVT I.

Bene ac sapienter, patres conscripti, maiores instituerunt, vt rerum agendarum, ita dicendi initium a precationibus capere: quod nihil rite, nihilque prouidenter homines sine deorum immortalium ope, consilio, honore auspicarentur. Qui mos cui potius quam consuli? aut 2

Panegyricus) Laudatio principis in senatu, cuius historiam epistola 18. lib. III prodit, ex qua simul cognoscitur, breuius nostrum dixisse in senatu; postea elaborasse plenius, antequam ederet. Sunt, qui inuideant ei *panegyrici* nomen, quod Berneggerus ex materia, loco, dicendi genere tuetur, quamquam non negat, aliquid satyricum admixtum esse, dum ita laudat optimum principem, vt acriter perstringat, qui antecesserunt, malos.

1. *vt rerum agendarum*) Manlius apud Liuium XXXVIII. c. 48. *Sed ego in ea ciuitate, quae ideo omnibus rebus incipiendis gerendisque deos adhibet*, & reliqua.

dicendi initium a precationibus) Idem Liuius illustrat lib. XXXIX. c. 15. *Consules*, inquit, *in Rostra escenderunt, & concione aduocata, quum solemne carmen precationis, quod praefari, priusquam populum adloquantur, magistratus solent, peregisset consul*, &c. Gruterus obseruauit.

2. *quam consuli*) Consulis quippe munus solemne erat, publico nomine gratias principi agere, quod ex

quan-

quando magis vsurpandus colendusque est, quam quum imperio senatus, auctoritate reipublicae ad agendas optimo principi gratias excitamur? Quod enim praestabilius est aut pulcrius munus deorum, quam castus & sanctus & diis simillimus princeps? Ac, si adhuc dubium fuisset, forte casuque rectores terris, an aliquo numine darentur, principem tamen nostrum liqueret diuinitus constitutum. Non enim occulta potestate fatorum, sed ab Ioue ipso coram ac palam repertus, electus est. quippe inter aras & altaria, eodemque loci, quem deus ille tam manifestus ac praesens, quam coelum ac sidera, insedit. Quo magis aptum piumque est, te, Iupiter optime maxime, antea conditorem, nunc conseruatorem imperii nostri, precari, vt mihi digna consule, digna senatu, digna principe contingat oratio: vtque omni-

3 4 5 6

principio epist. 18. lib. III. cognoscimus. *Cellar. Consul* vero dictum est pro *a consule*, more graeco. Vid. Vechneri Hellenolex. lib. I. c. 23. *Herz.*

3. *diis simillimus*) Eutropius de Augusto lib. VII. c. 5. *non immerito ex maxima parte deo similis est putatus.*

5) *inter aras & altaria*) Altare augustius aliquid, & in quo victimae adolentur: Ara etiam, in qua supplicatur, aut libatur tantum. *Lipsi.* Distinxit etiam Virgilius eclog. V. v. 65. *en quattuor aras:*

Ecce duas tibi, Daphni; duas altaria Phoebo.

vbi Seruium videas, qui aras inferis & superis, altaria tantum superis vindicat. Indeque aras tantum Daphnidi, Apollini vt deo, altaria poni obseruat.

eodemque loci) in Capitolio. Ibi enim facta adoptio Traiani, vt Xiphilinus ex Dione narrat. *Cellar.* *Loci* vero non raro a Latinis cum *ac* ponitur. Sic Cicero pro Sext. c. 31. *Eo loci res venit. Herz.*

bus, quae dicentur a me, libertas, fides, veritas constet: tantumque a specie adulationis absit gratiarum actio mea, quantum abest a necessitate.

II. Equidem non consuli modo, sed omnibus ciuibus enitendum reor, ne quid de principe nostro ita dicant, vt idem illud de alio dici potuisse
2 videatur. Quare abeant ac recedant voces illae, quas metus exprimebat: nihil, quale antea, dicamus: nihil enim, quale antea, patimur: nec eadem de principe palam, quae prius, praedicemus: neque enim eadem secreto loquimur, quae prius.
3 Discernatur orationibus nostris diuersitas temporum, & ex ipso genere gratiarum agendarum intelligatur, cui, quando sint actae. Nusquam

6. *a specie adulationis absit)* Panegyricae orationes plerumque speciem adulationis praebent, aut etiam irrisionis. Pescennius Niger idcirco noluit admittere, qui panegyricum sibi recitare volebat. *Viuentes*, inquit, *laudare irrisio est, maxime imperatores, a quibus speratur, qui timentur*; & quae sequuntur. *Spartian.* c. 11. Ab culpae huius suspicione liberauit nostrum bonitas & virtus Traiani.

a necessitate) bonus enim princeps nos non cogit ad adulandum, sicut antea factum est & fieri debuit sub tyrannis. *Herz.*

II. 2. *voces illae*) adulatoriae.

patimur) scil. tyrannidem. *Herz.*

3. *cui, quando sint actae. Nusquam*) Lipsii correctio, a Grutero probata, quam sic lac. de la Baune interpretatur: *cui principi, & quo tempore sint actae gratiae. Nullo huius orationis loco ipsi, sic tamquam deo, adulemur.* Vulgo legebatur: *cui. quando sint hactenus vt deo*, &c. *Cellar.* Pungit vero Plinius arrogantiam Domitiani, qui, vt in vulgus notum, se deum vocauit. *Herz.*

vt

vt deo nunc, nusquam vt numini blandiamur. Non enim de tyranno, sed de ciue: non de domino, sed de parente loquimur. Vnum ille se 4
ex nobis, & hoc magis excellit atque eminet, quod vnum ex nobis putat: nec minus hominem se, quam hominibus praeesse meminit. Intelligamus ergo bona nostra, dignosque nos illius 5
vsu probemus, atque idemtidem cogitemus, si maius principibus praestemus obsequium, qui seruitute ciuium, quam qui libertate laetantur. Et populus quidem Romanus dilectum princi- 6
pum seruat: quantoque paullo ante concentu formosum alium, hunc fortissimum personat: quibusque aliquando clamoribus gestum alterius & vocem, huius pietatem, abstinentiam, mansuetudinem laudat. Quid nos ipsi? diuinitatem principis nostri, an humanitatem, temperantiam, facilitatem, vt amor & gaudium tulit, cele- 7

---

5. *cogitemus, si maius*) an maius praestemus, *Si* pro *An* posito, vt in illo Terentii, *Visam, si domi est*, Heaut. a. 1, sc. 1. extr. Et Horat. lib. I. epist. 7. v. 39.
Inspice, si possim donata reponere laetus.

6. *dilectum principum*) delectum, electionem. Vulgatum erat *dilectum principem*, Lipsio improbante.
concentu formosum alium) Domitianum acclamatione populi laudatum. Fuit enim *pulcer ac decens*, Sueton. 18.
hunc fortissimum) Traianum, quae melior laus principis, quam formositas, feminarum propria.
gestum alterius ac vocem) Neronis in scenam prodeuntis. *Sueton. c. 20. seq.*

7. *Quid nos ipsi?*) nos senatores. Superiores laudes, quas enarrauit, a populo profectae; sequuntur, quae a senatu.

brare vniuersi solemus? Iam, quid tam ciuile, tam senatorium, quam illud additum a nobis OPTIMI cognomen? quod peculiare huius & proprium arrogantia priorum principum fecit.
8 Enimuero quam commune, quam ex aequo, quod felices nos, felicem illum praedicamus? alternisque votis HAEC FACIAT, HAEC AVDIAT, quasi non dicturi nisi fecerit, comprecamur? Ad quas ille voces lacrymis etiam, ac multo pudore suffunditur. Agnoscit enim, sentitque, sibi, non principi, dici.

III. Igitur quod temperamentum omnes in illo subito pietatis calore seruauimus, hoc singuli quoque meditati teneamus: sciamusque, nullum esse neque sincerius neque acceptius genus gratiarum, quam quod illas acclamationes aemu-
2 letur, quae fingendi non habent tempus. Quantum ad me pertinet, laborabo, vt orationem meam ad modestiam principis moderationemque submittam: nec minus considerabo, quid aures eius pati possint, quam quid virtutibus
3 debeatur. Magna & inusitata principis gloria,

Optimi cognomen) adde cap. 88. infra.

8. *sibi non principi dici*) suis virtutibus, non fortunae principis. Galba apud Tacitum lib. I. Hist. c. 15. n. 7. *libentius cum fortuna nostra, quam nobiscum loquentur.*

III. 1. *subito pietatis calore*) repentinis acclamationibus. *Vniuersi* enim derepente, *vt amor & gaudium tulit*, succlamabant. Cap. 2. n. 7.

2. *nec minus - - debeatur*) i. e. temperabo laudes, nec tamen, digna quae sunt laude, supprimam. *Herz.*

cui

cui gratias acturus, non tam vereor, ne me in laudibus suis parcum, quam ne nimium putet. Haec me cura, haec difficultas sola circumstat. 4
nam merenti gratias agere facile est, ne, quum loquar de humanitate, exprobrari sibi superbiam credat: quum de frugalitate, luxuriam: quum de clementia, crudelitatem: quum de liberalitate, auaritiam: quum de benignitate, liuorem: quum de continentia, libidinem: quum de labore, inertiam: quum de fortitudine, timorem. Ac ne illud quidem vereor, ne gratus ingratusue 5
videar, prout satis aut parum dixero. Animaduerto enim etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia & sanctitate, laetari: gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit.

IV. Sed parendum est senatus consulto, quod ex vtilitate publica placuit, vt consulis voce, sub titulo gratiarum agendarum, boni principes,

---

5. *satis aut parum*) de laudibus se. Traiani, si parum dixero, ingratum ne me vocent alii, non vereor, vel nec vereor, ne gratum vocitent, si satis de illis dixero. *Herz.*

etiam deos ipsos) Seneca lib. 1. de Benef. cap. 6. *nec in victimis quidem, licet opima sint, auroque praefulgeant, deorum est honos, sed pia ac recta voluntate venerantium.* Et Publius Syrus:

Puras deus, non plenas adspicit manus.

meditatum carmen) conceptis verbis compositam orationem, siue precationem. Liuius lib. XXXIX. cap. 15. pr. *solemne carmen precationis.* Adde infra Paneg. c. 63. n. 2. cap 92. n 3.

quae facerent, recognoscerent: mali, quae fa-
2 cere deberent. Id nunc eo magis solemne ac ne-
cessarium est, quod parens noster priuatas gratia-
rum actiones cohibet & comprimit: intercessu-
rus etiam publicis, si permitteret sibi vetare, quod
3 senatus iuberet. Vtrumque, Caesar auguste,
moderate, & quod alibi tibi gratias agi non sinis,
& quod hic sinis. non enim a te ipso tibi honor
iste, sed ab agentibus habetur. Cedis adfecti-
bus nostris, nec nobis munera tua praedicare, sed
4 audire tibi necesse est. Saepe ego mecum, P. C.
tacitus agitaui, qualem quantumque esse oporte-
ret, cuius ditione nutuque maria, terrae, pax,
bella regerentur: quum interea fingenti forman-
tique mihi principem, quem aequata diis immor-
talibus potestas deceret, nunquam voto saltem
concipere succurrit similem huic, quem videmus.
5 enituit aliquis in bello, sed obsoleuit in pace:
alium toga, sed non & arma honestarunt: reue-

IV. 2. *parens noster*) Traianus, pater patriae

intercessurus) se oppositurus.

3. *alibi non sinis, hic sinis*) Alibi, priuatim: Hic, publice, in senatu.

nec nobis - - necesse est) ad laudes enim Traiani praedicandas non vrgemur, quia princeps temperatus est: Traianus vero suas laudes iam audire cogitur, quia tantus est noster affectus, cui cedit. *Herz.*

4. *aequata diis potestas*) Hyperbole poetica. Iuuenalis Satyr. IV. v. 71.

laudatur diis aequa potestas.

5. *obsoleuit in pace*) vt Marius, *quietis impatientissimus*. Vellei. lib. II. c. 23.

toga, sed non & arma) Cicero cum aliis exemplo sit.

rentiam

rentiam ille terrore, alius amorem humanitate captauit: ille quaesitam domi gloriam, in publico; hic in publico partam, domi perdidit: postremo adhuc nemo exstitit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio laederentur. At principi nostro quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriae contigit, vt nihil seueritati eius hilaritate, nihil grauitati simplicitate, nihil maiestati humanitate detrahatur? Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris, ad hoc, aetatis indeflexa maturitas, nec sine quodam munere deum festinatis senectutis insignibus ad augendam maiestatem ornata caesaries, nonne longe lateque principem ostentant? 6 7

V. Talem esse oportuit, quem non bella ciui-

humanitate) Baudius *humilitate* legendum censet, quod etiam in margine Sichardus scripsit; hoc est, *nimia ciuilitate*, vt Othonis studium in captandis militum animis notetur. *Tacit. Hist I*, 23.

quaesitam domi gloriam, in publico) scil. perdidit. Baudius ad Caligulam & Galbam refert. Illo enim *nemo melior seruus, nec dominus deterior*, vt Passienus iudicauit apud Tacit. VI. c. 20; Suet. Cal. c. 10; hic priuata vita glorioſior quam imperio fuit.

in publico partam domi perdidit) Augustus intelligitur, infelix pater.

7. *proceritas corporis*) Haec animi virtutibus coniuncta, non mediocriter commendat, vt Euphratis philosophi exemplo noster lib. I. epist. 10. n. 6. ostendit.

dignitas oris) virilis pulcritudo. Vide dicta ad Nepotis Dionem c. 1. n. 2.

senectutis insignibus) canis. Conf. Xiphilin. Traiano. *Herz.*

V. 1. *non bella ciuilia*) vt Augustum & Vespasianum. *Lipſ.*

lia, nec armis oppressa respublica, sed pax & adoptio, & tandem exorata terris numina dedissent.
2 An fas erat, nihil differre inter imperatorem, quem homines & quem dii fecissent? quorum quidem in te, Caesar, iudicium & fauor, tunc statim, quum ad exercitum proficiscereris, & qui-
3 dem inusitato enituit. Nam ceteros principes aut largus cruor hostiarum, aut siniſter volatus auium consulentibus nuntiauit: tibi adscendenti de more Capitolium, quamquam non id agentium, ciuium clamor, vt iam principi, occurrit.
4 Siquidem omnis turba, quae limen insederat, ad ingressum tuum foribus reclusis, iam quidem, vt tunc arbitrabatur, deum, ceterum, vt docuit euentus, te consalutauit imperatorem: nec aliter
5 a cunctis omen acceptum est. nam ipse intelligere nolebas: recusabas enim imperare, recusa-
6 bas, quod bene erat imperaturi: igitur cogendus

---

adoptio) Sic curatius impressi libri, Sichardinus, & Parisiensis cum variorum commentariis; & alius Paris. cum obseruationibus Iac. de la Baune: etiam Belgicus cum Baudii aliorumque adnotamentis. Ceteri fere *adoptatio*, de cuius latinitate dubitauit Vossius.

3. *siniſter volatus*) qui fauſtus Romanis erat. Vid. Dionys. Halic. lib. II. p. 80.

de more) vt solebant in prouinciam cum imperio ituri.

4. *vt tunc arbitrabatur, deum*) Iouem imperatorem. Iupiter enim imperatoris titulo in Capitolio colebatur, suumque ibi sub hoc nomine simulacrum habuit, auctoribus Cicerone Verr. VI. c. 38. & Liuio VI. c. 29. Ergo in ea voce adlusio tota & omen inest, quod, dum populus *imperatorem* clamabat, Iouem salutans, forte Traianus templum Capitolinum intraret.

5. *recusabas, quod bene erat imperaturi*) Intellige, fuisti.

fuisti. Cogi porro non poterus, nisi periculo 6
patriae & mutatione reipublicae. Obstinatum
enim tibi, non suscipere imperium, nisi seruan-
dum fuisset. Quare ergo illum ipsum furorem, 7
motumque castrensem reor exstitisse, quia magna
vi magnoque terrore modestia tua vincenda erat.
At sicut maris coelique temperiem turbines tem- 8
pestatesque commendant, ita ad augendam pacis
tuae gratiam, illum tumultum praecessisse credi-
derim. Habet has vices conditio mortalium, vt 9
aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nascan-
tur. Occultat vtrorumque semina deus, & ple-
rumque bonorum malorumque caussae sub di-
uersa specie latent.

VI. Magnum quidem illud seculo dedecus, magnum reipublicae vulnus impressum est. Imperator, & parens generis humani obsessus, captus, inclusus: ablata mitissimo seni seruandorum hominum potestas: ereptumque principi

signum, munus, iudicium. Recusatio enim arguit animi continentiam, qua freti, bene sunt imperaturi, quum, qui ambitiose adfectarunt imperium, plerumque male imperent. *Imperaturi* autem Sich. legit, & Lipsius probat; vulgo editum *imperaturo*.

6. *mutatione*) Grut. ex MSS. & Sich. Alii *mutatione*. Nutasset autem resp. nisi Neruae aetate confecto, & propterea a militibus contemto, successisset Traianus.

7. *furorem motumque castrensem*) Praetorianorum militum, interfecto Domitiano, de quo tumultu Suetonius cap. vlt. consulatur, & Xiphilinus in Nerua.

9. *nascantur*) Alii *noscantur*.

VI. 1. *parens generis humani obsessus*) Nerua in palatio a praetorianis obsessus. *Xiphil.*

illud in principatu beatissimum, quod nihil co-
2 gitur. Si tamen haec sola erat ratio, quae te publicae salutis gubernaculis admoueret, prope est, vt exclamem, tanti fuisse. Corrupta est disciplina castrorum, vt tu corrector emendatorque contingeres: inductum pessimum exemplum, vt optimum opponeretur: postremo coactus princeps, quos nollet, occidere, vt daret principem,
3 qui cogi non posset. Olim tu quidem adoptari merebare: sed nescissemus, quantum tibi deberet imperium, si ante adoptatus esses. Exspectatum est tempus, in quo liqueret, non tam accepisse te beneficium, quam dedisse. Confugit in sinum tuum concussa respublica ruensque imperium super imperatorem, imperatoris tibi voce delatum est. Imploratus adoptione, & accitus es.
4 Vt olim duces magni a peregrinis externisque bellis ad opem patriae ferendam reuocari sole-

---

2. *tanti fuisse*) cladium illarum pretio redimendum, vt tu princeps esses. *Lipsi.*

quos nollet, occidere) Nerua coactus a praetorianis est, vt occidi iuberet, quos nolebat interfici, hoc est, interfectores Domitiani. *Xiphil.*

3. *Olim*) ineunte principatu Neruae, antequam tumultus praetorianorum erumperet. Adoptio enim Traiani facta, quum iam annum imperasset Nerua.

accepisse) sc. adoptionem ad regnum.

dedisse) conseruationem imperio.

Confugit in sinum tuum) Tacitus Hist. III. c. 69. pr. *tamquam omnis respub. in Vespasiani sinum cessisset.*

super imperatorem) Neruam, senectute tantae moli imparem.

4 *a peregrinis externisque bellis*) vt Agesilaus ex Persico, Hannibal ex Italico, Sylla ex Mithridatico,

bant,

bant, ita filius ac parens vno eodemque momento rem maximam inuicem praestitistis. Ille tibi imperium dedit, tu illi reddidisti. Solus ergo adhuc, qui pro munere tanto paria accipiendo fecisti, immo vltro dantem obligasti. Communicato enim imperio sollicitior tu, ille securior factus est.

VII. O nouum atque inauditum ad principatum iter! non te propria cupiditas, proprius metus, sed aliena vtilitas, alienus timor principem fecit. Videaris licet, quod est amplissimum, 2
consequutus inter homines: felicius tamen erat illud, quod reliquisti. Sub bono principe priuatus esse desiisti. Adsumtus es in laborum curarumque consortium, nec te laeta & prospera 3
stationis istius, sed aspera & dura ad capessendam eam compulerunt: suscepisti imperium, postquam alium suscepti poenitebat. Nulla adoptati 4
cum eo, qui adoptabat, cognatio, nulla necessitudo, nisi quod vterque optimus erat, dignusque alter eligi, alter eligere. Itaque adoptatus es,

---

quisque a repub. sua domum reuocatus est, vt patriae labanti opem ferret.

tu illi reddidisti) Neruae imperium confirmasti, quod ante successoris adoptionem nutabat.

vltro) Alii *vltra*, non male.

VII. 2. *quod reliquisti*) vitam priuatam reliquerat, quae feliciorem tranquillioremque reddebat, quam moles tam vasti imperii. Adde lib. V. epist. 18.

3. *stationis istius*) dignitatis & status imperatorii.

alium poenitebat) Neruam, propter rebelles Praetorianos,

non, vt prius alius atque alius, in gratiam vxoris: adsciuit enim te filium non vitricus, sed princeps: eodemque animo diuus Nerua pater tuus factus est, quo erat omnium. Nec decet aliter filium
5 adsumi, si adsumatur a principe. An senatus populique Romani exercitus, prouincias, socios transmissurus vni, successorem e sinu vxoris accipias? summaeque potestatis heredem tantum intra domum tuam quaeras? non per totam ciuitatem circumferas oculos, & hunc tibi proximum, hunc coniunctissimum existimes, quem optimum, quem diis simillimum inueneris? Impe-
6 raturus omnibus eligi debet ex omnibus. non enim seruulis tuis dominum, vt possis esse contentus quasi necessario herede, sed principem ciuibus daturus imperator. Superbum istud & regium, nisi adoptes eum, quem constet imperatu-
7 rum fuisse, etiamsi non adoptasses. Fecit hoc Nerua, nihil interesse arbitratus, genueris an elegeris: si perinde sine iudicio adoptentur liberi ac

4. *alius atque alius in gratiam vxoris*) Augustus Tiberium, Claudius Neronem.

5. *successorem e sinu vxoris*) Itidem Augustum carpit, & Claudium.

accipias) per apostrophen quemuis hic alloquitur, num si decernat, Rom. rempublicam vni committere, successorem e sinu vxoris accipiat, numque heredem intra domum suam quaerat. *Herz.*

6. *quasi necessario herede*) filio, quem lex & natura heredem constituunt.

Superbum & regium) nempe ius eligendi sibi ita vindicare, vt successorem adoptione des, qui virtute non meceatur, vt vel sine adoptione succedat.

7. *sine iudicio*) Seneca lib. III. de Benef cap. 11. nascun-

nascuntur, nisi tamen quod aequiore animo ferunt homines, quem princeps parum feliciter genuit, quam quem male elegit.

VIII. Sedulo ergo vitauit hunc casum, nec iudicium hominum, sed deorum etiam in consilium adsumsit. Itaque non tua in cubiculo, sed in templo, nec ante genialem torum, sed ante puluinar Iouis optimi maximi, adoptio peracta est: qua tandem non seruitus nostra, sed libertas & salus & securitas fundabatur. Sibi enim dii 2
gloriam illam vindicauerunt: horum opus, horum illud imperium, Nerua tantum minister fuit: vterque, qui adoptaret, tam paruit, quam tu, qui adoptabaris. Adlata erat ex Pannonia 3
laurea, id agentibus diis, vt inuicti imperatoris

In liberis tollendis nihil iudicio tollentium licet: tota res voti est.

princeps parum feliciter) Galbae oratione Tacitus Hist. lib. I. c. 16. n. 3. *Generari & nasci a principibus fortuitum, nec vltra aestimatur: adoptandi iudicium integrum.*

VIII. 2. *Nerua tantum minister*) Ita Baudius, de la Baune, & in margine Sichardus: alii *tamen*, quod videtur ex breuiata scriptura ortum.

3. *ex Pannonia laurea*) Laurea signum victoriae. Cedrenus in Nerua pag. 203. Ἐκ παιονίας ἀγγελίαι ἐπινικίων ἐλθόσαι παρὰ Τραϊανοῦ, etsi fallitur de Traiano, qui tum in Germania erat, infra c. 9 & Eutrop. lib. VIII. cap. 2 n. 2. Multiplex lauri vsus post victoriam. Litterae de victoria ad S. P. Q. R. mittendae lauro inuoluebantur. Appian. in Mithrid. de Lucullo pag. 374. τὰ γράμματα δάφνῃ περιβαλών, ὡς ἔθος ἐστὶν ἐπὶ νίκαις. quae inde *tabellae laureatae* dicuntur a Lampridio in Alex. cap. 58. nec non hasta nuntiantis ita inuoluta fuit, vt ex

exortum victoriae insigne decoraret: hanc imperator Nerua in gremio Iouis collocarat, quum repente solito maior & augustior, aduocata hominum concione deorumque, te filium sibi, hoc
4 est vnicum auxilium, fessis rebus adsumsit. Inde quasi deposito imperio qua securitate, qua gloria laetus? nam quantulum refert, deponas an partiaris imperium, nisi quod difficilius hoc est. non secus ac praesenti tibi innixus, tuis humeris se patriamque sustentans, tua iuuenta, tuo robore inualuit: statim consedit omnis tumultus.
5 Non adoptionis opus istud fuit, sed adoptati: atque adeo temere fecerat Nerua, si adoptasset alium. Oblitine sumus, vt nuper post adoptionem non desierit seditio, sed coeperit? irritamentum istud itarum, & fax tumultus fuisset, nisi in-
6 cidisset in te. An dubium est, vt dare posset imperium imperator, qui reuerentiam amiserat, auctoritate eius effectum esse, cui dabatur? Simul filius, simul Caesar, mox imperator, &

Plutarchi Pompeio p. 640. cognoscitur: *littores* quoque victoris *laureati*, Cic. lib. VII. ad Attic epist. 10. eorumque *fasces*, quos praeferebant, *laureati*. Idem I. de Diuin. cap. 28. Quod praecipuum est, ramus lauri in gremio Iouis Capitolini ponebatur. Suetonius Dom. cap. 6. *De Sarmatis lauream modo Capitolino Ioui retulit.* Statius IV. Silu. 1. v. 41.

nondum in gremio Iouis Indica laurus,

4. *non secus ac praesenti tibi*) Tum enim Traianus absens ad Rhenum erat. *Eutrop.*

5. *vt nuper post adoptionem*) Pisonis a Galba factam, *Tacit. I. Hist. c.* 15. *seq.*

6. *simul Caesar, mox imperator*) Satis alibi de discrimi-

consors

consors tribuniciae potestatis, & omnia pariter, & statim factus es, quae proxime parens verus tantum in alterum filium contulit.

IX. Magnum hoc tuae moderationis indicium, quod non solum successor imperii, sed particeps etiam sociusque placuisti. Nam successor, etiamsi nolis, habendus es: non es habendus socius, nisi velis. Credentne posteri, patricio, & consulari, & triumphali patre genitum, quum fortissimum, amplissimum, amantissimum sui exercitum regeret, imperatorem non ab exercitu factum? eidem quum Germaniae praesideret,

---

ne Caesaris & imperatoris augusti dictum. Vide Histor. Antiq. p. 142. & Programma nostrum IV. Heic quoque imperator est αὐτοκράτωρ.

consors tribuniciae potestatis) quo nomine summam & regiam potestatem Augustus occultauit. *Tacit. ann. III, 56.*

quae proxime parens verus) Vespasianus, natura pater, non adoptione.

in alterum filium) Titum, quem pater triumphi, censurae, consulatus, & tribuniciae potestatis consortem fecerat, nulla ratione Domitiani habita. *Plin. praefat. Nat. Hist.*

IX. 2. *patricio, consulari, triumphali*) Eutropius Traianum *antiqua magis, quam clara familia natum* dicit. Addit patrem eius verum, suae familiae primum consulem fuisse, suffectum credo, quia in fastis non memoratur. Triumphus autem, vel triumphalia ornamenta vnde, & ex quo bello? Infra *Parthicam laurum* vocat, quam auxerit puer Traianus Caesar. Pueritia autem illius in Neronis principatum cadit, quando contra Parthos bellum gestum fuit ex Armenia. *Tacit. XV. pr.*

Germaniae praesideret) inferiori, circa Agrippinam. *Eutrop. & Xiphil.*

Ger-

Germanici nomen hinc missum? nihil ipsum, vt imperator fieret, agitasse? nihil fecisse, nisi quod
3 meruit & paruit? Paruisti enim Caesar, & ad principatum obsequio peruenisti: nihilque magis a te subiecti animi factum est, quam quod imperare coepisti. Iam Caesar, iam imperator, iam Germanicus, absens & ignarus, & post tanta no-
4 mina, quantum ad te pertinet, priuatus. Magnum videretur, si dicerem, Nescisti te imperatorem futurum: eras imperator, & esse te nesciebas. Vt vero ad te fortunae tuae nuntius venit, malebas quidem hoc esse quod fueras, sed non erat liberum. Annon obsequereris principi ciuis? legatus imperatori? filius patri? vbi deinde disciplina? vbi mos a maioribus traditus, quodcumque imperator munus iniungeret, aequo animo paratoque subeundi? Quid enim si prouincias ex pro-
5 uinciis, ex bellis bella mandaret? Eodem illo

Germanici nomen) Haec origo tituli in lapidibus Traiani apud Grut. p. 155. & alibi,

IMP. CAES. NERVA TRAIANVS
AVG. GERM. TRIB. POT. P. P.

Hic primus Traiani ex gente deuicta titulus: accessere *Dacici* & *Parthici* gloriosissima cognomenta, quae absunt a laudata inscriptione, quia illa initio principatus, consulatum secundum agente Traiano, facta.

3. *subiecti animi*) sc. obsequio subiecti: hoc quippe maxime etiam eluxit, dum iussus imperare coepisti & non sponte regnum inuasisti. *Herz.*

Germanicus) de hoc cognomine conf. c. 14. *Herz.*

4. *legatus imperatori*) Legatus Caesaris cunctam militiam prouinciae regebat, ideoque maior, quam legatus praetorius siue vnius legionis. Recurre ad lib. VI. ep. 31. n. 4. & lib. VII. ep. 31. n. 2.

vti

vti iure posse putes, quum ad imperium reuocet, quo sit vsus, quum ad exercitum miserit; nihilque interesse, ire legatum, an redire principem iubeat, nisi quod maior sit obsequii gloria in eo, quod quis minus velit.

X. Augebat auctoritatem iubentis, in summum discrimen auctoritas eius adducta: vtque magis parendum imperanti putares, efficiebatur eo, quod ab aliis minus parebatur. ad hoc audiebas senatus populique consensum. Non vnius 2
Neruae iudicium illud, ilia electio fuit. nam qui vbique sunt homines, hoc idem votis expetebant: ille tantum iure principis occupauit, primusque fecit, quod omnes facturi erant: nec hercule tantopere cunctis factum placeret, nisi placuisset, antequam fieret. At quo temperamento, dii boni, 3
potestatem tuam fortunamque moderatus es? imperator titulis, & imaginibus, & signis: ceterum modestia, labore, vigilantia, dux, & legatus, & miles: quum iam tua vexilla, tuas aquilas magno gradu anteires, neque aliud tibi ex illa

5) *reuocet*) vocet, aduocet. Vnde Baudius suspicatus *te vocet*.

quo sit vsus) quo iure sit vsus.

quod quis minus) i. e. si quis inuitus ad rem peragendam adigitur, & obsequium praestat, illius obsequii maior est gloria. *Herz.*

X. 1. *in summum discrimen*) propter tumultum militarem.

3. *imperator titulis, imaginibus*) Tituli, inscriptiones: Imagines & signa, statuae, simulacra, picturae, quibus, vt imperator, Traianus repraesentabatur.

ado-

adoptione, quam filii pietatem, filii obsequium adfereres, longamque huic nomini aetatem, lon-
4 gam gloriam precarere. Iam te prouidentia deorum primum in locum prouexerat, tu adhuc in secundo resistere, atque etiam senescere optabas: priuatus tibi videbaris, quamdiu imperator & alius esset. Audita sunt vota tua, sed in quantum optimo illi & sanctissimo seni vtile fuit, quem dii coelo vindicauerunt, ne quid post illud, diui-
5 num & immortale factum, mortale faceret. Deberi quippe maximo operi hanc venerationem, vt nouissimum esset, auctoremque eius statim consecrandum, vt quandoque inter posteros
6 quaereretur, an illud iam deus fecisset. Ita ille nullo magis nomine publicus parens, quam quia tuus. Ingens gloria, ingensque fama, quum abunde expertus esset, quam bene humeris tuis sederet imperium, tibi terras, te terris reliquit: eo ipso carus omnibus ac desiderandus, quod prospexerat, ne desideraretur.

huic nomini) filii nomini. Optauit enim, vt sibi diutissime filio esse liceret, & sero Nerua pater ex hac vita decederet.

4. *primum in locum*) ad imperium, Caesaris, immo imperatoris dignitatem.

in secundo) officio ducis & legati.

diuinum & immortale factum) adoptionem Traiani.

6. *tuus*) scil. factus est, eoque nobis optimum imperatorem dedit. *Herz.*

humeris tuis sederet) ita impositum esset, vt constanter & stabiliter maneret.

tibi terras, te terris) tibi terras regendas, te terris rectorem reliquit, quia breui post adoptionem tempore ex vita pater Nerua excessit.

desideraretur) post mortem tamquam bonus imperator. *Herz.*

XI.

XI. Quem tu lacrymis primum, ita vt filium decuit, mox templis honestasti: non imitatus illos, qui hoc idem, sed alia mente, fecerunt. Dicauit coelo Tiberius Augustum, sed vt maiestatis numen induceret: Claudium Nero, sed vt irrideret: Vespasianum Titus, Domitianus Titum: sed ille, vt dei filius, hic, vt frater videretur: tu sideribus patrem intulisti, non ad metum 2
ciuium, non in contumeliam numinum, non in
honorem tuum, sed quia deum credis. Minus 3
est hoc, quum fit ab his, qui & sese deos putant:
sed licet illum aris, puluinaribus, flamine colas,
non alio magis tamen deum & facis & probas,
quam quod ipse talis es. In principe enim, qui electo successore, fato concessit, vna itemque certissima diuinitatis fides est, bonus successor. Num ergo 4

XI. 1. *Dicauit coelo*) Par huic iudicium Lactantii lib. I. Instit. c. 15. de Romanorum consecratione: *Apud Romanos*, inquit, *deus Iulius, quia hoc scelerato homini placuit Antonio: deus Quirinus, quia hoc pastoribus visum est, quum alter germani fratris exstiterit, alter patriae parricida.*

3. *quum fit ab his, qui & sese*) Minus honorificum est defuncto principi, consecrari a superbo successore, qui & ipse pro deo viuus haberi velit, vt Domitianus sacrauit Titum fratrem. Hic enim consecratum sibi homini parem censet.

quam quod ipse talis es) non alia re magis diuinitatem patris probas, quam vitae & virtutis imitatione, quae praestantissima veneratio est.

bonus successor) Bonitate eius, qui succedit, memoriam antecessoris immortalem fieri, Marcus imperator oratione suprema apud Herodianum lib. I. c. 4. docet, & Notis suis illustrat Boeclerus pag. 367. Contrarium in

tibi

tibi ex immortalitate patris aliquid arrogantiae accessit? num hos proximos diuinitate parentum desides ac superbos, potius quam illos veteres & antiquos aemuleris, qui hoc ipsum imperium peperere, quod modo hostes inuaserant contemserantque? cuius pulsi fugatique, non aliud magis habebatur indicium, quam quod triumpharetur. Ergo sustulerant animos, & iugum excusserant: nec iam nobiscum de sua libertate, sed de nostra seruitute, certabant: ac ne inducias quidem, nisi aequis conditionibus inibant. legesque vt acciperent, dabant.

Domitiano Eutropius obseruat, *merita & patris & fratris aboleuisse.*

4. *hos proximos*) Domitianum. Synecdoche.

illos veteres & antiquos) Camillos, Fabricios, Papirios, Fabios, Scipiones, & horum similes.

quod modo hostes) quod imperium iam Daci, Catti, Sarmatae sub Domitiano inuaserunt.

cuius pulsi fugatique) Lipsius desperat de medicina, & aliquid excidisse Liuiniius ex veteri codice, qui lacunam aliquot verborum habeat, testatum reddit: ipse interim superiora ita immutat, vt *hostis* scribat, *inuaserat contemseratque*) vt numerus cum *cuius* (subaudi hostis) *pulsi fugatique* concordet. Non placet, quia mox pluraliter subiicitur. *Ergo sustulerant. Cellar.* Posset tamen Lipsii emendatio ferri, licet Plinius in plurali pergat. Frequens enim numeri singularis & pluralis in verbis mutatis, si subiectum est nomen multitudinis. *Herz.*

triumpharetur) falsos Domitiani triumphos arguit. Tacitus Germ. c. 37. *Proximis temporibus triumphati magis, quam victi sunt.* Adde mox ex Agricolae vita producenda.

XII.

XII. At nunc rediit omnibus terror & metus, & votum imperata faciendi. Vident enim Romanum ducem vnum ex illis veteribus & priſcis, quibus imperatorium nomen addebant contecti caedibus campi, & infecta victoriis maria. Accipimus obſides ergo, non emimus: nec ingentibus damnis immenſisque muneribus paciſcimur, vt vicerimus: rogant, ſupplicant; largimur, negamus. vtrumque ex imperii maieſtate. Agunt gratias, qui impetrauerunt: non audent queri, quibus negatum eſt. An audeant, qui ſciant, te adſediſſe ferociſſimis populis eo ipſo tempore, quod amiciſſimum illis, difficillimum nobis, quum Danubius ripas gelu iungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat: quum ferae gentes non telis magis, quam ſuo coelo, ſuo ſidere armantur? Sed vbi in proximo tu, non ſecus ac ſi mutatae temporum vices eſſent, illi quidem latibulis ſuis clauſi tenebantur, noſtra agmina percurſare ripas, & aliena occaſione, ſi permitteres, vti, vltroque hiemem ſuam barbaris inferre gaudebant.

2 3 4

XII. 2. *non emimus*) Tacitus Agric. c. 39. *deriſui nuper fuiſſe falſum e Germania triumphum, emtis per commercia, quorum habitus & crines in captiuorum ſpeciem formarentur.*

vt vicerimus) vt viciſſe videamur.

3. *te adſediſſe*) hibernis caſtris ferociſſimas gentes quaſi obſediſſe. Poeta in Ciri v. 268.

noſtris qui moenibus adſidet hoſtis.

4. *aliena occaſione vti*) vti occaſione hiemis & glaciei, ac tranſire fluuium, & iis artibus hoſtes oppugnare, quibus ipſi contra Romanos vſi fuerant.

XIII.

XIII. Haec tibi apud hostes veneratio. Quid apud milites; quam admirationem, quemadmodum comparasti, quum tecum inediam, tecum ferrent sitim? quum in illa meditatione campestri militaribus turmis imperatorium puluerem sudoremque misceres? nihil a ceteris, nisi robore ac praestantia, differens, quum libero Marte, nunc cominus tela librares, nunc vibrata susci-
2 peres. Alacer virtute militum, & laetus, quoties aut cassidi tuae aut clypeo grauior ictus incideret? Laudabas quippe ipse ferientes, hortabarisque, vt auderent: & audebant iam, quum spectator moderatorque ineuntium certamina virorum, arma componeres, tela tentares: ac si quid durius accipienti videretur, ipse vibrares.
3 Quid quum solatium fessis, aegris opem ferres? Non tibi moris tua inire tentoria, nisi commilitonum ante lustrasses: nec requiem corpori, nisi
4 post omnes, dare. Hac mihi admiratione dignus

XIII. 1. *meditatione campestri*) exercitatione in campo, quando in statiuis milites, aut in hibernis essent. *Meditari* enim est ad opus se futurum praeparare. Cicero in Catil. I. c. 10. *Ad huius vitae studium meditati illi sunt labores tui.* Et Vegetius de ipsa militum exercitatione lib. I. cap. 19. *Nihil est, quod non assidua meditatio facillimum reddat.*

libero Marte) omnibus permisso exercitio, sine reuerentia imperatoris.

liberares, nunc vibrata) ita veteres libri. Lipsius & posteriori loco *librata* praefert.

2. *arma componeres*) exaequares & aequares, vt neutri certantium parti iniuria fieret.

impe-

imperator non videretur, si inter Fabricios & Scipiones & Camillos talis esset. Tunc enim illum imitationis ardor, semperque melior aliquis accenderet. postquam vero studium armorum a manibus ad oculos, ad voluptatem a labore translatum est, postquam exercitationibus nostris non veteranorum aliquis, cui decus muralis aut ciuica, sed Graeculus magister adsistit, quam magnum est vnum ex omnibus patrio more patria virtute laetari, & sine aemulo, ac sine exemplo secum certare, secum contendere: ac sicut imperat solus, solum ita esse, qui debeat imperare?

XIV. Nonne incunabula haec tibi Caesar, & rudimenta, quum puer admodum Parthica lauro gloriam patris augeres, nomenque Germanici iam tum mererere? quum ferociam superbiamque Parthorum ex proximo auditus magno terrore cohiberes? Rhenumque & Euphratem

4. *si inter Fabricios*) seculo virtutis feracissimo. De Fabricio Eutrop. lib. II. c. 7. & 8; de Camillo idem lib. I. extr.

5. *a manibus ad oculos*) ad ludos & spectacula in gymnasiis & amphitheatro.

muralis aut ciuica) corona est. De coronis militaribus Gellius V, 6. legatur; de exemplis illarum Liuius X. cap. 46; lib. XXVI. cap. 48

Graeculus magister) doctor vmbraticus, qui nunquam in castris aut in acie fuit, aptior ad ludos dirigendos, quam ad hostem profligandum.

XIV. 1. *Parthica lauro*) Quum pater Traiani sub Nerone contra Parthos pro Armenia bellum gereret, ipsi comes aderat filius puer, postmodum imperator. Repete ex cap. 9. quae huc pertinent.

nomenque Germanici) Vide eodem c. 9.

admi-

admirationis tuae fama coniungeres? quum orbem terrarum non pedibus magis, quam laudibus peragrares? apud eos semper maior & clarior quibus postea contigisses? Et necdum imperator, necdum dei filius eras, Germaniamque cum plurimae gentes, ac prope infinita vastitas interiacentis soli, tum Pyrenaeus, Alpes, immensique alii montes, nisi his compararentur, muniunt di-
3 rimuntque. per hoc omne spatium quum legiones duceres, seu potius (tanta velocitas erat) raperes: non vehiculum vnquam, non equum respexisti. Leuis hic, non subsidium itineris,

---

quam laudibus peragrares) Videtur in animo illud Ciceronis de Caesare, pro M. Marcello cap. 2. habuisse: *Nec vero disiunctissimas terras citius cuiusquam passibus potuisse peragrari, quam tuis non dicam cursibus, sed victoriis illustratae sunt.*

contigisses) i. e. forte fortuna datus sis & quos accessisti. Sic Terent. And. act. IV. sc. 2. *mihi hanc expetiui, contigit.* Noster infra cap. 15. fine: *laudator contigisti. Herz.*

2. *Germaniamque*) Deesse aliquid, quod praecesserit, plures censent. Iac. de la Baune *Hispaniam* id supplere iudicat, vnde accitus Traianus a Domitiano ad Germanicum bellum, Pyrenaeum & Alpes celerrimo cursu pertransierit. Lipsius aliter: itidem aliter Cluuerius de Germ. Antiqua, qui consuli possunt: nobis simplicissima, quam dedimus, explicatio. Vide, quae mox n. 5. sequuntur.

nisi his comparentur) nisi Alpibus & Pyrenaeo comparentur, ceteri montes Germaniae immensi & altissimi sunt.

muniunt dirimuntque) Distribue: Pyrenaeus Hispaniam, Alpes Germaniam.

3. *Leuis hic*) Leuis equus, sine sumtuoso ornatu.

sed

sed decus, & cum ceteris subsequebatur, vt cuius nullus tibi vsus, nisi quum die statuorum proximum campum alacritate, discursu, puluere attolleres. Initium laboris mirer, an finem? multum est, quod perseueraſti, plus tamen, quod non timuiſti, ne perseuerare non posses. Nec dubito, quin ille, qui te inter illa Germaniae bella ab Hiſpania vsque, vt validiſſimum praesidium exciuerat, iners ipse, alienisque virtutibus tunc quoque inuidus imperator, quum ope earum indigeret, tantam admirationem tui, non sine quodam timore conceperit, quantam ille genitus Ioue post saeuos labores, duraque imperia regi suo indomitus semper indefeſſusque referebat: quum aliis super alias expeditionibus munere alio dignus inuenireris. 4 5

XV. Tribunus vero disiunctiſſimas terras teneris adhuc annis viri firmitate luſtraſti: iam

---

attolleres) i. e. tantum puluerem excitares, vt sublatus videretur puluerulentus campus. *Herz.*

5. *nec dubito, quin ille*] ille Domitianus.

ab Hiſpania vsque) Sterilem de Traiano hiſtoriam cum Lipsio ex coniecturis supplemus, fuisse Traianum post primum consulatum, quem sub Domitiano gessit, praesidem alicuius prouinciae in Hiſpania, indeque ab eodem principe in Germaniam euocatum.

alienis virtutibus inuidus) Vid. Tacit. Agr. c. 39

ille genitus Ioue) Hercules.

regi suo) Eurysthaeo, Mycenarum principi, qui de Iunonis sententia labores Herculi imperabat, eidemque Hercules referebat exantlatos. Hyginus fab. 30. & 32. ac interpretes Virgilii Georg. l. III. v. 4. consulantur.

XV. 1. *teneris adhuc annis*) Adoleſcentes tribunos

tunc praemonente fortuna, vt diu penitusque
2 perdiſceres, quae mox praecipere deberes. Neque enim proſpexiſſe caſtra, breuemque militiam, quaſi tranſiſſe contentus, ita egiſti tribunum, vt eſſe ſtatim dux poſſes, nihilque diſcen-
3 dum haberes tempore docendi. Cognouiſti per ſtipendia decem, mores gentium, regionum ſitus, opportunitates locorum, & diuerſam aquarum coelique temperiem, vt patrios fontes patriumque ſidus, ferre conſueſti: quoties equos,
4 quoties emerita arma mutaſti. Veniet ergo tempus, quo poſteri viſere, viſendum tradere minoribus ſuis geſtient, quis ſudores tuos hauſerit campus, quae refectiones tuas arbores, quae ſomnum ſaxa praetexerint, quod denique tectum

---

illorum temporum conſuetudo admiſit, quam Hadrianus correxit. *Spartian. c.* 10.

praemonente fortuna) Lipſ. *praemuniente:* ſed nihil mutandum.

diu penitusque) Sichard. ita, & de la Baune: alii *que* abiiciunt.

3. *per ſtipendia decem*) per decem annos, non integrae militiae, ſed ſolius tribunatus. *Lipſ.*

diuerſam aquarum) ſalubrium, inſalubrium.

quoties equos) aliis poſt alios debilitatis, aut ſuffoſſis.

emerita arma) vſu detrita, & multis bellis defuncta. *de la Baune.*

4. *refectiones tuas*) cibum, epulas, quas ſub viridi arbore ſaepe Traianus capiebat.

quae ſomnum ſaxa) ita mos militum olim ferebat, non gregariorum modo, quibus *humus fatigatis cubile erat*, Curt. lib. III. c. 2. n. 15; ſed ducum quoque, quemadmodum Marius *humi requieſcere doctus* fuit. Salluſt. Iug. c. 85

magnus

magnus hospes impleueris, vt tunc ipsi tibi ingentium ducum sacra vestigia iisdem in locis monstrabantur. Verum haec olim. In praesentia quidem quisquis paullo vetustior miles, hic te commilitone censetur. Quotus enim quisque, cuius tu non ante commilito quam imperator? Inde est, quod prope omnes nomine appellas, quod singulorum fortia facta commemoras: nec habent adnumeranda tibi pro republica vulnera, quibus statim laudator & testis contigisti. 5

XVI. Sed tanto magis praedicanda moderatio tua, quod innutritus bellicis laudibus, pacem amas: nec quia vel pater tibi triumphalis, vel adoptionis tuae die dicata Capitolino Ioui laurus, idcirco ex occasione omni quaeris triumphos: non times bella, nec prouocas. Magnum 2 est, imperator auguste, magnum est, stare in Danubii ripa, si transeas, certum triumphi; nec de-

sacra vestigia) Hic praecipuus peregrinationum vsus, vt vbique obseruetur, qui magni viri, & quo loco vixerint, ac res praeclaras gesserint. Ingens inde stimulus virtutis.

5. *vetustior*) senior. Tacitus ita saepe, vt supra ad lib. VIII. epist. 14. n. 6. adnotauimus.

nec habent adnumeranda) non opus, vt recenseant tibi, quum plerisque interfueris. De formula & syntaxi vide lib. I. epist. 7. fin.

XVI. 1. *pater tibi triumphalis*) pater sc. Traiani verus & naturalis triumphauerat. Supra c. IX. n. 2.

dicata Ioui laurus) cap. 8. num. 3.

2. *in Danubii ripa*] aduersus Dacos, eorumque regem Decebalum.

nec decertare) confligebat autem Traianus, licet

certare cupere cum recusantibus: quorum alterum fortitudine, alterum moderatione efficitur.
3 Nam vt ipse nolis pugnare, moderatio: fortitudo tua praestat, vt neque hostes tui velint. Accipiet ergo aliquando Capitolium non inanes currus, nec falsae simulacra victoriae: sed imperatore veram ac solidam gloriam reportante, tranquillitatem, & tamen confessa hostium obsequia, vt
4 vincendus nemo fuerit. pulcrius hoc omnibus triumphis. neque enim vnquam, nisi ex contemtu
5 imperii nostri, factum est, vt vinceremus. Quod si quis barbarus rex eo insolentiae furorisque processerit, vt iram tuam indignationemque mereatur, nae ille, siue interfuso mari, seu fluminibus immensis, seu praecipiti monte defenditur, omnia haec tam prona tamque cedentia virtutibus tuis

---

Daci non obscura pacis petendae indicia darent. Xiphil. Traian. p. m. 341. *Herz.*

3. *non inanes currus*) sine spoliis, vt in Domitiani falso triumpho. Contrarium Lipsius ex Propertii lib. III. eleg. 4. ostendit,

Qua videam, spoliis onerato Caesaris axe,
Ad vulgi plausus saepe resistere equos.

simulacra victoriae) tabulas pictas, quibus vrbes captae & pugnae commissae repraesentabantur. Hae enim in ferculis praeferri solitae: sed falsae in Domitiani triumpho.

confessa hostium obsequia) Decebalus ἐφοβήθη *pertimuit*, quum apparatum Traiani cognosceret, *Domitianum se antea, non Romanos, victisse intelligens.* Xiphil.

5. *praecipiti monte defenditur*) vt idem Decebalus, montium abruptis praemunitus. Vid. lib. VIII. epist. 4. n. 2.

sen-

sentiet, vt subsediſſe montes, flumina exaruiſſe, interceptum mare, illatasque sibi non esſe classes noſtras, sed terras ipsas, arbitretur.

XVII. Videor iam cernere non spoliis pro-
ninciarum, & extorto sociis auro, sed hostilibus armis, captorumque regum catenis triumphum grauem. Videor ingentia ducum nomina, nec indecora nominibus corpora noscitare. Videor 2
intueri immanibus auſis barbarorum onusta fercula, & sua quemque facta vinctis manibus sequentem: mox ipsum te sublimem instantemque curru domitarum gentium tergo, ante currum autem clypeos, quos ipse perfoderis. Nec tibi 3
opima defuerint, si quis regum venire in manus audeat: nec modo telorum tuorum, sed etiam oculorum minarumque coniectum, toto campo totoque exercitu oppoſito, perhorreſcat. Meruiſti proxima moderatione, vt, quandocumque te 4
vel inferre vel propulsare bellum coegerit imperii dignitas, non ideo viciſſe videaris vt triumpha-
res, sed triumphare quia viceris.

---

sed terras ipsas) quasi Italia contigua sit Africae aut Daciae. *Lipſ.*

XVII, 1. *ingentia ducum nomina*) barbara, polysyllaba, & ipso sono horrenda.

nec indecora nominibus] vt nomina grandia captiuorum, ita aeque vasta corpora.

3. *opima*) supple *spolia*, de quibus ad Curtii lib. III. c. 11. n 7. Solute, & suppresso *spoliorum* vocabulo. Vide Silii Indicem. Etiam Seneca Herc. fur. v. 48.

Et opima victi regis ad superos refert.

ac Florus lib. II. c. 17. n. 11. *Scipio singulari certamine, quum rex fuisset pronocatus, opima retulerat.*

XVIII. Aliud ex alio mihi occurrit. Quam
speciosum est, quod disciplinam castrorum la-
psam exstinctamque refouisti, depulso prioris
seculi malo, inertia, & contumacia, & dedigna-
2 tione parendi! Tutum est reuerentiam, tutum ca-
ritatem mereri. Nec ducum quisquam, aut non
amari a militibus, aut amari timet: & inde offen-
sae gratiaeque pariter securi instant operibus, ad-
sunt exercitationibus, arma, moenia, viros aptant.
3 Quippe non is princeps, qui sibi imminere, sibi
intendi putet, quod in hostes paretur: quae per-
suasio fuit illorum, qui hostilia quum facerent,
timebant. Eodem ergo tempore militaria studia,
nec animos modo, sed & corpora ipsa languesce-
re, gladios etiam incuria hebetari retundique
4 gaudebant. Duces porro nostri non tam regum
ceterorum, quam suorum principum insidias, nec
tam hostium, quam commilitonum manus fer-
rumque metuebant.

XIX. Est haec natura sideribus, vt parua &
exilia validiorum exortus obscuret; similiter im-

XVIII. 2. *Tutum est reuerentiam*) Periculosum enim, sub malis principibus se ita gerere, vt milites reuereantur & ament.

aut non amari, aut amari) Neutrum timebant duces Traiani, non illud, quia nullus sub hoc principe delatoribus locus: neque hoc, quia is nihil suae ab aliena virtuti timebat.

3. *hostilia quum facerent*) in suos. Haec vera causa perpetui timoris tyrannorum.

corpora ipsa) desuetudine disciplinae.

4. *suorum principum*) Caesarum.

perato.

peratoris aduentu legatorum dignitas inumbratur. Tu tamen maior omnibus quidem eras, sed 2
sine vllius diminutione maior. Eamdem auctoritatem praesente te quisque, quam absente, retinebat. Quin etiam plerisque ex eo reuerentia accesserat, quod tu quoque illos reuerebare. Ita- 3
que perinde summis atque infimis carus, sic imperatorem commilitonemque miscueras, vt studium omnium laboremque & tamquam exactor intenderes, & tamquam particeps sociusque releuares. Felices illos, quorum fides & industria 4
non per internuntios & interpretes, sed ab ipso te, nec auribus tuis, sed oculis, probantur. Consequuti sunt, vt absens quoque de absentibus nemini magis, quam tibi, crederes.

XX. Iam te ciuium desideria reuocabant, amoremque castrorum superabat caritas patriae, iter inde placidum, ac modestum, vt plane a pace redeuntis. Nec vero ego in laudibus tuis ponam, 2
quod aduentum tuum non pater quisquam, non maritus expauit. Adfectata aliis castitas, tibi ingenita & innata, interque ea, quae imputare non possis. Nullus in exigendis vehiculis tumultus, 3

XIX. 1. *legatorum*) Hi legati Caesaris & consulares, qui vniuersam prouinciam & omnem in ea exercitum regebant: non praetorii singularum legionum.

4. *oculis probantur*) i. e. *quorum industriam ipse vides. Herz.*

XX. 2. *imputare*) quae nemini accepta referre possis. Supra de hoc verbo diximus I. VIII. ep. 21. n. 4.

3. *in exigendis vehiculis*) quia publica vehicula, per vias disposita, non sufficiebant Domitiano iter facienti.

nullum circa hospitia fastidium: annona, quae ceteris. Ad hoc, comitatus accinctus & parens. Diceres, magnum aliquem ducem, & te potissimum ad exercitus ire. Adeo nihil, aut certe parum intererat inter imperatorem factum, & breui
4 futurum. Quam dissimilis nuper alterius principis transitus, si tamen transitus ille, non populatio fuit, quum abactus hospitum exerceret, omniaque dextra laeuaque perusta & attrita, vt si vis aliqua, vel ipsi illi barbari, quos fugiebat, inciderent. Persuadendum prouinciis erat illud iter, Domi-
5 tiani fuisse, non principis. Itaque non tam pro tua gloria, quam pro vtilitate communi, edicto subiecisti, quid in vtrumque vestrum esset impensum. Adsuescat imperator, cum imperio calculum ponere: sic exeat, sic redeat, tamquam rationem redditurus. edicat, quid absumserit. Ita
6 fiet, vt non absumat, quod pudeat dicere. prae-

---

4. *nuper alterius principis*) Domitiani.

abactus hospitum] hospites e domibus pelleret, seruos, pecora illorum abigeret.

barbari, quos fugiebat) Sarmatae, Daci. *Suet. c. 6.*

Domitiani] tyranni.

5. *edicto subiecisti*) in fine edicti scripsisti.

quid in vtrumque) in Domitianum, & in te Traianum.

Adsuescat imperator) se ipse adsuefaciat, quia legibus solutus, nec cogi potest. Saluberrimum monitum, vt principes discant sumtus, quos faciunt, scribere, calculum ponere, h. e. rationes inire, ne impensae excedant, & imperium grauent. Supra lib. 11. ep. 19. extr. *in vtraque parte calculos pone.*

edicat) palam enuntiet. Scriuer. & *dicat.*

terea

terea futuri principes, velint nolint, sciant TANTI TVVM CONSTAT: propositisque duobus exemplis meminerint, perinde coniecturam de moribus suis homines esse facturos, prout hoc vel illud elegerint.

XXI. Nonne his tot tantisque meritis nouos aliquos honores, nouos titulos merebare? at tu etiam nomen PATRIS PATRIAE recusabas. Quam longa nobis cum modestia tua pugna? quam tarde vicimus? Nomen illud, quod alii pri- 2
mo statim principatus die, vt imperatoris & Caesaris, receperunt, tu vsque eo distulisti, donec tu quoque, beneficiorum tuorum parcissimus aestimator, iam te mereri fatereris? Itaque soli omni- 3
um contigit tibi, vt pater patriae esses, antequam fieres. Eras enim in animis, in iudiciis nostris: nec publicae pietatis intererat, quid vocarere, nisi quod ingrata sibi videbatur, si te imperatorem potius vocaret & Caesarem, quum patrem expe-

---

6. *tanti tuum constat*) Supplent nonnulli, *iter tuum, duobus exemplis*] Domitiani & Traiani.

XXI. 1. *patris patriae*) Plinius maior H. N. lib. VII. c. 30. de Cicerone: *Salue primus omnium pater patriae appellate.* Sic enim frequenti senatu a Q. Catullo propter disiectam Catilinae coniurationem appellatus fuit, vt ipse refert in Pison. cap. 3.

2. *alii primo statim die*) alii, non omnes. Augustus sero admisit, vix IX ante excessum anno, *Suet. c. 58.* Tiberius recusauit, Tacit ann. II. c. 87. & Traianum sequutus Hadrianus *sibi delatum statim & iterum, distulit, quod hoc nomen Augustus sero meruisset.* Spart. c. 6.

4 riretur. Quod quidem nomen qua benignitate, qua indulgentia exerces! vt cum ciuibus tuis, quasi cum liberis parens, viuis! vt reuersus imperator, qui priuatus exieras, agnoscis, agnoscerisque eosdem nos, eumdem te putas: par omnibus, & hoc tantum ceteris maior, quo melior.

XXII. Ac primum qui dies ille, quo exspectatus desideratusque vrbem tuam ingressus es? Iam hoc ipsum, quod ingressus es, quam mirum laetumque? Nam priores inuehi & importari solebant: non dico quadriiugo curru, & albentibus equis, sed humeris hominum, quod arrogantius
2 erat. tu sola corporis proceritate elatior aliis & excelsior, non de patientia nostra quemdam triumphum, sed de superbia principum egisti. Ergo non aetas quemquam, non valetudo, non sexus retardauit, quo minus oculos insolito spe-
3 ctaculo impleret. Te paruuli noscere, ostentare iuuenes, mirari senes, aegri quoque, neglecto medentium imperio, ad conspectum tui, quasi ad salutem sanitatemque, prorepere. Inde alii se satis vixisse, te viso, te recepto: alii nunc magis

---

4. *agnoscis*) tuos sc. ciues protegendos & regendos. *Herz.*

XXII. 1. *sed humeris hominum*) lecticis succollati. *Lipsi.*

2. *quemdam triumphum*) Translatio, quia splendidior quisque ingressus in vrbem est triumpho similis.

3. *medentium imperio*) ne se lecto proferant aut aeri sub dio committant. Est autem *imperare* etiam medicorum verbum. Seneca de Ira l. I. c. 16. *Non idem imperassem omnibus, per diuersa aegrotantibus,*

esse

esse viuendum praedicabant. Feminas etiam tunc foecunditatis suae maxima voluptas subiit, quum cernerent, cui principi ciues, cui imperatori milites peperissent. Videres referta tecta ac 4
laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui nonnisi suspensum & instabile vestigium caperet. Oppletas vndique vias, angustumque tramitem relictum tibi: alacrem hinc atque inde populum, vbique par gaudium paremque clamorem. Tam aequaliter ab omnibus ex aduentu 5
tuo laetitia percepta est, quam omnibus venisti: quae tamen ipsa cum ingressu tuo creuit, ac prope in singulos gradus adaucta est.

XXIII. Gratum erat cunctis, quod senatum osculo excipieres, vt dimissus osculo fueras: gratum, quod equestris ordinis decora honore nominum sine monitore signares: gratum, quod

---

foecunditatis suae) Idem de Clem. lib. I. c. 13. ita beatius huiusmodi seculum definit: *Tollere filios cupiunt, & publicis malis indicta sterilitas recluditur.*

4. *laborantia*) onere suo, & multitudine occupantium. Liuius prooemio Operis de Rom. imperio: *iam magnitudine laborat sua.*

5. *quam omnibus venisti*) i. e. quanta bona tecum omnibus allaturus credebaris, tanta laetitia etiam in omnibus conspiciebatur. *Herz.*

XXIII. 1. *senatum osculo*) quod fastidierant superbiores principes. Suetonius Ner. c. 37. *Neque aduenientes, neque proficiscens quemquam* (ex senatoribus) *osculo impertiuit.*

sine monitore) Seneca *nomenclatorem* vocat ep. 19. & 27. Seruus fuit, qui quorumuis obuiorum nomina domino ingerebat. Erat enim fauoris conciliabulum, quemuis appellare nomine suo.

tantum non vltro clientibus salutatis quasdam
2 familiaritatis notas adderes: gratius tamen, quod
sensim & placide, & quantum respectantium
turba pateretur, incederes, quod occursantium
populus te quoque, te immo maxime, adstaret:
quod primo statim die latus tuum crederes omni-
3 bus. neque enim stipatus satellitum manu, sed
circumfusus vndique nunc senatus nunc eque-
stris ordinis flore, prout alterutrum frequentiae
genus inualuisset, silentes quietosque lictores tuos
subsequebare. Nam milites nihil a plebe habitu,
4 tranquillitate, modestia differebant. Vbi vero
coepisti Capitolium adscendere, quam laeta omni-
bus adoptionis tuae recordatio! quam peculiare
gaudium eorum, qui te primi eodem loco saluta-
uerant imperatorem! quin etiam deum ipsum
tuum praecipuam voluptatem operis sui perce-
5 pisse crediderim. Vt quidem iisdem vestigiis
institisti, quibus parens tuus ingens illud deorum
prolaturus arcanum, quae circumstantium gau-

3. *silentes quietosque*) Lipsius Elect. I, 23. *quietos* ad pulsationem siue submotionem refert: *silentes* ad vocem lictorum. Voce enim honorem deferri imperabant, quod *animaduerti* dicebatur, de quo infra c. 61. n. 7. dicemus: virga submouebant, de via, consulem vel alium maiorem magistratum praeeuntes. Seneca epist. 94. *Non est, quod feliciorem eum iudices, cui submouetur, quam quem lictor semita deiicit.* Adde infra ad c. 76. n. 8. quae dicentur.

4. *deum ipsum tuum*) Iouem Capitolinum, cuius opus adoptio Traiani, quia ad aram illius facta erat. *Cellar.* Forte melius pro *tuum* legeres *tum*. *Herz.*

5. *deorum arcanum*) de adoptione & successione Traiani, quae occulta erat, antequam proferret Nerua.

dia!

dia! quam recens clamor! quam similis illi dies, qui hunc genuit diem! vt plena altaribus, augusta victimis, cuncta! vt in vnius salutem collata omnium vota! quum sibi se, ac liberis suis, intelligerent precari, quae pro te precarentur. Inde tu in palatium quidem, sed eo vultu, sed ea 6
moderatione, vt si priuatam domum peteres; ceteri ad penates suos, quisque iteraturus gaudii fidem, vbi nulla necessitas gaudendi est.

XXIV. Oneraſſet alium eiusmodi introitus; tu quotidie admirabilior & melior; talis denique, quales alii principes futuros se tantum pollicentur. Solum ergo te commendat augetque

---

similis illi dies, qui hunc) Dies, quo intrasti Capitolium ex Germania imperator reuersus, similis est diei adoptionis tuae, qui hunc ingressus tui diem quasi genuit.

plena altaribus) Ita moris erat obuiam viris principibus ire. Suetonius Calig. c 13. *Inter altaria & victimas, ardentesque taedas, denſiſſimo & laetiſſimo obuiorum agmine, inceſſit.* Vbi Casaubonum legisse pretium erit, qui multa in hanc rem collegit.

6. *vbi nulla neceſſitas gaudendi*) In malorum principum ingressu cogebantur ciues publice laetari, domi lamentabantur. Aliter omnia in Traiani introitu. *Cell. Vbi* vero *poſtquam* exponendum est. *Herz.*

XXIV. 1. *Oneraſſet*) Instar oneris est ingens laus & exspectatio virtutis, quia vrget & premit, vt tales nos geramus, quales videmur aliis. Noster lib. VIII. ep. VI. n. 8. *Onerat te quaeſturae tuae fama: onerat teſtimonium principis.* Et Cicero lib. II. ep. 4. ad Curionem: *Eſt tibi grauis aduerſaria conſtituta & parata, incredibilis quaedam exſpectatio.* Adde nostri Panegyr. c. 73. n. 6.

temporis spatium. Iunxisti enim ac miscuisti res olim diuersissimas, securitatem olim imperantis, & incipientis pudorem. Non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec osculum manu reddis. Manet imperatori, quae prior oris humanitas; dextrae verecundia. Incedebas pedibus, incedis: laetabaris labore, laetaris: eademque omnia illa circa te, nihil in ipso te fortuna mutauit. Liberum est, ingrediente per publicum principe, subsistere, occurrere, comitari, praeterire: ambulas inter nos, non quasi contingas: & copiam tui, non vt imputes, facis. Haeret lateri tuo quisquis accessit: finemque sermoni suus cuique pudor, non tua super-

---

te commendat spatium) quo diuturnius imperium tuum, eo tu melior in dies exsistis.

miscuisti res diuersissimas) Tacitus Agr. c. 3. *Nerua res olim dissociabiles miscuit, imperium & libertatem.*

securitatem olim imperantis) qui iam diu imperauit, & confirmatum habet imperium; is sibi fidit atque securus est: incipientes imperare, de industria bene agunt, quia verentur, ne perdant populi gratiam.

2. *ad pedes tuos deprimis*) vt Caligula apud Senecam de Benef. II. c. 12.

nec osculum manu) vt Domitianus Suet. c. 12. extr.

oris humanitas, dextrae verecundia) Ita Lipsius ex Cuspiniani cod. suppleuit, vt ad superiora referatur. Nam ore osculum reddere, humanitas est: dextram non offerre, verecundia.

incedebas) olim scil. ante acceptam imperatoriam dignitatem. *Herz.*

incedis) scil. nunc accepto imperio. *Herz.*

3. *non quasi contingas*) ac si singularis felicitas sit occursus principis. Ald. *contingat.*

imputes) tamquam beneficium. Supra c. 20. n. 2

bia,

bia, facit. Regimur quidem a te, & subiecti tibi, 4
sed quemadmodum legibus, sumus. Nam & illae
cupiditates nostras libidinesque moderantur, no-
biscum tamen & inter nos versantur. Emines,
excellis, vt honor, vt potestas, quae super homi-
nes quidem, hominum sunt tamen. Ante te prin- 5
cipes, fastidio nostri, & quodam aequalitatis metu,
vsum pedum amiserant. Illos ergo humeri cer-
uicesque seruorum super ora nostra: te fama, te
gloria, te ciuium pietas, te libertas, super ipsos
principes vehunt; te ad sidera tollit humus ita
communis & confusa principis vestigia.

XXV. Nec vereor, P. C. ne longior videar, 1
quum sit maxime optandum, vt ea, pro quibus
aguntur principi gratiae, multa sint: quae qui-
dem reuerentius fuerit integra illibataque cogi-
tationibus vestris reseruari, quam carptim breui-
terque perstringi, quia fere sequitur, vt illa qui-
dem, de quibus taceas, tanta, quanta sunt, esse
videantur. Nisi vero leuiter attingi placet, lo- 2
cupletatas tribus, datumque congiarium populo,

---

5. *vsum pedum amiserant*) lecticis portati.

te libertas) ciuium, a Nerua cum principatu mista, *Tac. Agr. c. 3.*

humus ita communis) communiter calcata principi ac priuatis. Ita Lipsius emendauit, & Liuincius in vno codice *communis* inuenit: ceteris est *communia*. Liuin. etiam *ista*, quam *ita*, mauult legi.

confusa) cum priuatorum vestigiis, quae eadem via, qua princeps incedit, conspiciuntur. *Herz.*

XXV. 2. *congiarium populo*) Hinc discrimen *congiarii* & *donatiui* disce. Illud populo: hoc militibus datum. Tacitus confirmat XII. c. 41. *Additum*, inquit, &

& datum totum, quum donatiui partem milites accepissent. An mediocris animi est, his potius repraesentare, quibus magis negari potest? quamquam in hac quoque diuersitate aequalitatis ratio seruata est. Aequati sunt enim populo milites eo quod partem, sed priores; populus militibus, quod posterior, sed totum statim accepit.
3 Enimuero qua benignitate diuisum est? quantae curae tibi fuit, ne quis expers liberalitatis tuae fieret? Datum est his, qui post edictum tuum in locum erasorum subditi fuerant; aequatique sunt
4 ceteris illi etiam, quibus non erat promissum. Negotiis aliquis, valetudine alius, hic mari, ille fluminibus distinebatur: exspectatum est prouisumque, ne quis aeger, ne quis occupatus, ne quis denique longe fuisset: veniret quisque quum vellet: veniret quisque quum posset.
5 Magnificum, Caesar, & tuum, disiunctissimas terras munificentiae, ingenio velut admouere, immensaque spatia liberalitate contrahere: in-

---

nomine eius (Neronis) *donatiuum militi, congiarium plebi.* Adde Lamprid. Alex. c. 26. pr. Congiarium, qui plerumque frumentum erat, congio metiendum.

priores) temporis praerogatiua, quae multum momenti in beneficiis habet. Vide Senec. Benef. I^V, c. 6.

3. *erasorum*) propter mortem, vel migrationem, vel aliam causam. In horum locum substituti alii, qui aeque accipiebant, quamquam iis non erat promissum beneficium.

5. *ingenio velut admouere*) quia absentes habiti pro praesentibus. *Lipsi.* Admouere ergo est adducere ac praesentes facere, qui disiuncti locis sunt, quod quando per naturam fieri non potest, *ingenio* & cogitationibus praestatur.

ter-

cedere casibus, occurfare fortunae, atque omni ope adniti, ne quis e plebe Romana, dante congiarium te, hominem magis sentiret se fuisse, quam ciuem.

XXVI. Aduentante congiarii die, obseruare principis egressum in publicum: insidere examina infantium, futurusque populus solebat. Labor parentibus erat ostentare paruulos: impositosque ceruicibus adulantia verba blandasque voces edocere: reddebant illi, quae monebantur. ac plerique irritis precibus surdas principis 2
aures adstrepebant: ignarique, quid rogassent, quid non impetrassent, donec plane scirent, differebantur. Tu ne rogari quidem sustinuisti. 3
& quamquam laetissimum oculis tuis esset, conspectu Romanae sobolis impleri, omnes tamen, antequam te viderent adirentue, recipi, incidi iussisti, vt iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur: crescerent de tuo, qui crescerent tibi, alimentisque tuis ad stipendia tua peruenirent, tantumque omnes vni tibi, quantum parentibus suis quisque deberet. Recte, Caesar, quod spem Romani nominis sum- 4
tibus tuis suscipis. Nullum est enim magno

---

intercedere casibus) ad aegros spectat, vel occupatos. *Lipsius.*

hominem magis, quam ciuem) hominem casibus praesentiam impedientibus: ciuem, beneficii participatione.

XXVI. 1. *insidere*] sc. vias. *Herz.*

3. *incidi iussisti*) in tabulas referri. Nomina enim illorum, qui frumentum publicum accepturi essent, in tabulis praefecti annonae inscribebantur.

prin-

principe, immortalitatemque merituro, impendii genus dignius, quam quod erogatur in posteros.
5 Locupletes ad tollendos liberos ingentia praemia, & pares poenae cohortantur: pauperibus
6 educandi vna ratio est bonus princeps. Hic fiducia sui procreatos nisi larga manu fouet, auget, amplectitur, occasum imperii, occasum reipublicae accelerat. Fruſtra princeps plebe neglecta, vt defectum corpore caput, nutaturumque
7 instabili pondere tuetur. Facile est coniectare, quod perceperis gaudium, quum te parentum, liberorum, senum, infantium, puerorum clamor exciperet. Haec prima paruulorum ciuium vox aures tuas imbuit, quibus tu daturus alimenta hoc maximum praestitisti, ne rogarent. Super omnia est tamen, quod talis es, vt sub te liberos tollere libeat & expediat.

XXVII. Nemo iam parens filio nisi fragilitatis humanae vices horret; nec inter insanabiles morbos principis ira numeratur. Magnum quidem est educandi incitamentum, tollere liberos in spem alimentorum, in spem congiariorum; maius tamen, in spem liber-
2 tatis, in spem securitatis. Atque adeo nihil largiatur princeps, dum nihil auferat: non

---

5. *ingentia praemia, & pares poenae*) v. gr. quod soli parentes liberorum capaces hereditatis ex integro; non item coelibes & orbi. Haec *priuilegia parentum*, Tacito annal. III. c. 28. Inde est, quod tantopere quaesiuerunt ius trium liberorum, de quo saepius noster in epistolis.
pauperibus educandi) supple, *liberos*. Viennensis ita edidit, quam Gruterus laudat, & Sichardina: aliae *educandis*.
XXVII. 2. *Atque adeo nihil largiatur*) Domitiani

alat, dum non occidat: nec deerunt, qui filios concupiscant. Contra, largiatur vt auferat, alat vt occidat, nae ille in tam breui tempore effecerit, vt omnes non posterorum modo, sed sui parentumque poeniteat. Quocirca nihil magis in tua 3
tota liberalitate laudauerim, quam quod congiarium das de tuo, alimenta de tuo: neque a te liberi ciuium, vt ferarum catuli, sanguine & caedibus nutriuntur: quodque gratissimum est accipien- 4
tibus, sciunt dari sibi, quod nemini est ereptum, locupletatisque tam multis pauperiorem esse factum principem tantum: quamquam nec hunc quidem. Nam cuius est, quidquid est omnium, tantum ipse, quantum omnes, habet.

XXVIII. Alio me vocat numerosa gloria tua: alio autem? quasi vero iam satis veneratus miratusque sim, quod tantam pecuniam profudisti, non vt flagitii tibi conscius ab infectatione eius auerteres famam; nec vt tristes hominum moe-

---

tempora notat, qui plura abstulit, quam dedit, adeo, vt optarent homines carere beneficio principali, modo nihil auferatur.

in tam breui tempore) Sic plures & optimi libri. Liuin. *in quam breui*: Boxh. *tam breui*, demta praepositione, quam aufert etiam Buchnerus, *quam breui* legens in Lex. ad *Quam*.

3. *sanguine & caedibus*) bonis occisorum.

4. *cuius est*) i. e. qui possidet ea omnia, quae sunt suorum subditorum, ille de paupertate conqueri non debet, licet omnia sua distribuat subditis, quia ipse habet in benignis subditis, quantum ipsi. *Herz.*

XXVIII. 1. *flagitii famam auerteres*) Id in Nerone obseruauerat, de cuius liberalitate Tacitus refert XIII,

stosque

ſtosque ſermones laetiore materia detineres.
2 Nullam congiario culpam, nullam alimentis crudelitatem redemiſti; nec tibi benefaciendi fuit cauſſa, vt quae male feceras, impune feciſſes; amor impendio iſto, non venia quaeſita eſt: populusque Romanus obligatus a tribunali tuo,
3 non exoratus receſſit. Obtuliſti enim congiarium gaudentibus gaudens, ſecurusque ſecuris: quódque antea principes ad odium ſui leniendum tumentibus plebis animis obiectabant, id tu tam innocens populo dediſti, quam populus
4 accepit. Paullo minus, P. C. quinque millia ingenuorum fuerunt, quae liberalitas principis noſtri conquiſiuit, inuenit, adſciuit. Hi ſubſidium bellorum, ornamentum pacis, publicis ſumtibus aluntur, patriamque non vt patriam tantum, ve-
5 rum vt altricem amare condiſcunt. Ex his caſtra, ex his tribus replebuntur; ex his quandoque na-
6 ſcentur, quibus alimentis opus non ſit. Dent tibi, Caeſar, aetatem dii, quam mereris, ſeruentque animum, quem dederunt: & quando maiorem infantium turbam iterum atque iterum vi-

---

18. *neceſſitatem adhibitam a principe, ſceleris ſibi conſcio, & veniam ſperante, ſi largitionibus validiſſimum quemque obſtrinxiſſet*

3. *tumentibus plebis animis obiectabant*) Simulata liberalitas, & cum atribus tyrannicis coniuncta, dum iniurias, alios factas, beneficiis in alios redimere conantur. Luſit hunc ludum Tiberius, qui populo, vt cani latranti, offam obiiciebat, quoties rumores & inuidiam ſuae crudelitatis velare fatageret. *Boecler. in Herodian. III.* 8.

6. *Dent tibi aetatem*) longaeuitatem.

debis

debis incidi? Augetur enim quotidie & crescit, non quia cariores parentibus liberi, sed quia principi ciues. dabis congiaria si voles, praestabis alimenta si voles; illi tamen propter te nascuntur. 1

XXIX. Instat ego perpetui congiarii reor affluentiam annonae. Huius aliquando cura Pompeio non minus addidit gloriae, quam pulsus ambitus campo, exactus hostis mari, oriens triumphis occidensque lustratus. Nec vero ille ciuilius, quam parens noster, auctoritate, consilio, fide recluſit vias, portus patefecit, itinera terris, littoribus mare, littora mari reddidit, diuersasque gentes ita commercio miscuit, vt quod genitum esset vsquam, id apud omnes natum esse videretur. Nonne cernere datur, vt sine 3 vllius iniuria omnis vsibus nostris annus exuberet? Quippe non, vt ex hostico raptae, peritu- 2

---

incidi) i. e. in tabulas publicas referri, vid. cap. XXVI. n. 3.

XXIX. 1. *Huius cura Pompeio*) Anno, quo Cicero ab exsilio reuocatus fuit, SC. factum fuit, vt Pompeio omnis cura annonae commendaretur, subditis arbitrio eius emporiis, portubus, & vndecumque frumentum in vrbem & Italiam adferri posset. *Plutarch. in Pomp. p.* 615.

ambitus] i. e. nimius conatus ad se rapiendi officia splendida. *Herz.*

campo) sc. Martio. *Herz.*

exactus hostis mari) bello Pompeii piratico.

3. *in horreis*) frumenti receptaculis, quae passim in prouinciis erant, sub bonis principibus, in vsum publicum; sub malis, in pessimam abusionem. Per vim enim vndique, & supra canonem correpta claudebantur ita, vt saepe perirent & corrumperentur.

raeque

raeque in horreis messes, nequidquam quiritan-
4 tibus sociis, auferuntur. Deuehunt ipsi, quod terra genuit, quod sidus aluit, quod annus tulit: nec nouis indictionibus pressi ad vetera tributa
5 deficiunt. Emit fiscus, quidquid videtur emere; inde copiae, inde annona, de qua inter licentem vendentemque conueniat: inde hic satietas, nec fames vsquam.

XXX. Aegyptus alendis augendisque seminibus ita gloriata est, vt nihil imbribus coeloque deberet: siquidem proprio semper amne perfusa, nec alio genere aquarum solita pingueſcere, quam quas ipse deuexerat, tantis segetibus induebatur, vt cum feracissimis terris, quasi nunquam
2 cessura, certaret. Haec inopina siccitate vsque ad iniuriam sterilitatis exaruit, quia piger Nilus

---

quiritantibus) Vide ad lib. VI. epist. 20. n. 14. quae scripsimus.

4. *quod sidus aluit*) Sol praecipue, de quo interpretatur Keuchenius ad Frontin. Strateg. lib. I. cap. vlt. n. 9. alii de cunctis sideribus, quae terrae prouentum adiuuant.

nouis indictionibus) pensitationibus extraordinariis. Asconius in IV. Verrin. de Iurisdict. Sicil. c. 2. *Omne genus pensitationis in hoc capite positum est, canonis, oblationis, indictionis.* Adi Buchnerum Lexico Tulliana cum Asconianis scite componentem.

5. *Emit fiscus*) emit vere, non imaginaria emtione.

XXX. 1. *nihil imbribus coeloque*) Idem etiam poetae de Aegypto iactant. Tibullus lib. I. eleg. 8. v. 26

Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.

Et Claudianus in Nilo, v. 6.

- - - secura poli, non indiga venti,
Gaudet aquis, quas ipsa vehit.

cun-

cunctanter alueo sese ac languide extulerat, ingentibus quoque tunc quidem ille fluminibus conferendus. Hinc pars magna terrarum, mergi 3
palanti amne consueta, alto puluere incanduit. Frustra tunc Aegyptus nubila optauit, coelumque respexit, quum ipse foecunditatis parens contractior & exilior iisdem vbertatem eius anni angustiis, quibus abundantiam suam, cohibuisset. Neque enim solum vagus ille expanditor amnis 4
intra vsurpata semper collium substiterat, atque haeserat, sed supino etiam ac detinenti solo, non placido se mollique lapsu refugum abstulerat: necdum satis humentes terras addiderat arentibus. Igitur inundatione, id est, vbertate, regio 5
fraudata, sic opem Caesaris inuocauit, vt solet amnem suum: nec longius illi aduersorum fuit spatium, quam dum nuntiat. Tam velox, Caesar, potentia tua est, tamque in omnia pariter intenta bonitas & accincta, vt tristius aliquid seculo tuo passis ad remedium salutemque sufficiat, vt scias.

---

3. *mergi palanti amne*) Ita editi fere omnes. Liuineius ex MSti vestigio, *mergi reparique*.

4. *expanditor amnis*] Lipsius in h. l. *Vim verbi capio: ipsum vix admitto. nouum durumque est.* Cum Virdungo suspicatur *exspatiator* legendum: Rittersh. & *spatiator*.

supino etiam ac detinenti) Supinum solum est molliter altum pendulumque; vel potius iacens aut leniter adsurgens: Detinens, planum ac depressum, vbi aqua diutius detinetur.

non placido) Illud *non* Sich. legit, & ex subsequente *necdum* tuetur Liuineius. A multis libris abest.

5. *accincta*] parata, promta ad iuuandum.

XXXI. Omnibus equidem gentibus fertiles annos gratasque terras precor; crediderim tamen per hunc Aegypti ſtatum tuas fortunam vires experiri, tuamque vigilantiam exſpectare voluiſſe. Nam quum omnia vbique ſecunda merearis, nonne manifeſtum eſt, ſi quid aduerſi cadat, tuis laudibus, tuisque virtutibus materiem campumque proſterni, quum ſecunda felices, aduerſa
2 magnos probent? Percrebuerat antiquitus, vrbem noſtram niſi opibus Aegypti ali ſuſtentarique non poſſe: ſuperbiebat ventoſa & inſolens natio, quod victorem quidem populum paſceret tamen, quodque in ſuo flumine, in ſuis manibus
3 vel abundantia noſtra vel fames eſſet. Refudimus Nilo ſuas copias: recepit frumenta quae mi-

---

XXXI. 1. *exſpectare*) idem quod *ſpectare*, quod genuinum Lipſio videtur: ſed alterum in omnibus membranis, quas Grutero volvere contigit.

ſecunda felices aduerſa magnos) Multa huius argumenti apud Senecam de Prouidentia leguntur. v. g. c. 4. *Magnus es vir; ſed vnde ſcio, ſi tibi fortuna nov dat facultatem exhibendae virtutis?* & interiectis paucis: *Calamitas virtutis occaſio eſt.*

2. *antiquitus*) Nam inde a bello Punico II. Romani ab Aegypto frumentum petierunt. Polybius cap. 2. Excerpt. Legat. *Romani ad Ptolemaeum legatos miſere*, βαλόμενοι σίτῳ χορηγηθῆναι, *vt frumento ab eo iuuarentur.*

ventoſa & inſolens natio) Vopiſcus in Saturnino ſub initium: *Sunt Aegyptii viri ventoſi, furibundi, iactantes.*

in ſuis manibus) in ſua poteſtate. Liuineius ingenioſe ſuſpicatus eſt *in ſuis nauibus*, ſed deſtituitur libris, &, quod legitur, ſatis commodum.

ſerat,

ferat, deportatasque messes reuexit. Discat igitur Aegyptus, credatque experimento, non alimenta se nobis, sed tributa praestare: sciat se non esse populo Romano necessariam, & tamen seruiat. Post haec, si volet Nilus, amet alueum 4
suum, & fluminis modum seruet: nihil hoc ad vrbem, ac ne ad Aegyptum quidem, nisi vt inde nauigia inania & vacua, & similia redeuntibus, hinc plena & onusta, & qualia solent venire, mittantur, conuersoque munere maris, hinc potius venti ferentes & breuis cursus optentur. Mirum, 5
Caesar, videretur, si desidem Aegyptum, cessantemque Nilum non sensisset vrbis annona, quae tuis opibus, tua cura vsque illuc redundauit, vt simul probaretur, & nos Aegypto posse, & nobis Aegyptum carere non posse. Actum erat de 6
foecundissima gente, si libera fuisset: pudebat sterilitatis insolitae, nec minus erubescebat fame, qua torquebatur, quum pariter a te necessitatibus eius pudorique subuentum est. Stupebant agricolae plena horrea, quae non ipsi refersissent, quibus de campis illa subuecta messis, quaue in Aegypti parte alius amnis. Ita beneficio tuo, nec maligna tellus, & obsequens Nilus Aegypto quidem saepe, sed gloriae nostrae nunquam largior fluxit.

3. & *tamen seruiat*) Liuineii ingenio, & *tantum seruiat*, quod Lipsius laudat.

6. *alius amnis*) praeter Nilum, qui tantam frumenti copiam attulerit. Putant enim Aegyptii, omnem fertilitatem ab amnibus esse. Sic non opus est cum Lipsio *annus* legere.

gloriae nostrae) quae est Nilum retinere suum flu-

XXXII. Quam nunc iuuat, prouincias omnes in fidem noſtram ditionemque veniſſe, poſtquam contigit princeps, terrarum qui foecunditatem nunc huc nunc illuc, vt tempus & neceſſitas poſceret, transferret referretque; qui diremtam mari gentem, vt partem aliquam populi plebisque Romanae, aleret ac tueretur? Et coelo quidem nunquam benignitas tanta, vt omnes ſimul terras vberet foueatque. Hic omnibus pariter, ſi non ſterilitatem, at mala ſterilitatis exturbat: hic ſi non foecunditatem, at bona foecunditatis importat. Hic aeternis commeatibus orientem occidentemque connectit, vt quae vbique ſeruntur, quaeque expetuntur, omnes gentes inuicem capiant, & diſcant, quanto libertate diſcordi ſeruientibus ſit vtilius vnum eſſe, cui ſeruiant. Quippe diſcretis quidem bonis omnium ſua cuiusque ad ſingulos mala, ſociatis autem atque permixtis ſingulorum mala ad neminem, ad omnes omnia bona pertinent. Sed ſiue terris

xum, quo largior gloria, Aegyptum frumento noſtro adiutam eſſe nos maneat. *Herz.*

XXXII. 1. *princeps, terrarum qui*) Vulgo incidunt, *princeps terrarum, qui*, non commode. Quidam itaque transponunt, *qui terrarum*. Nihil muto, ſolum aliter diſpungo.

diremtam mari gentem) Aegyptios ab Italia longo mari ſeiunctos.

2. *mala ſterilitatis*) famem, annonae caritatem.

ſeruntur) ita cum Lipſio ſcribo: alii *ſeruntur*. Seruntur autem indigenae: expetuntur ſub alio coelo nata.

diui-

diuinitas quaedam, siue aliquis amnibus genius, & solum illud & flumen ipsum precor, vt hac principis benignitate contentum, molli gremio semina recondat, multiplicata restituat. Non 4
equidem reposcimus foenus, putet tamen esse soluendum, fallacemque vnius anni fidem omnibus annis, omnibusque postea seculis tanto magis, quia non exigimus, excuset.

XXXIII Satisfactum qua ciuium, qua sociorum vtilitatibus. Visum est spectaculum inde non enerue, sed fluxum, nec quod animos virorum molliret & frangeret, sed quod ad pulcra vulnera contemtumque mortis accenderet: quum in seruorum etiam noxiorumque corpori-

---

3. *diuinitas quaedam*) diuina vis, a Deo indita. Gentiles tamen etiam Terram, vt deam coluerunt.

omnibus genius) Aquis etiam, vt ceteris rebus, suos genios esse, veteres crediderunt. Extant inscriptiones FONTIS GENIO, apud Grut. p. 94. n. 3. & Reines. p. 246.

solum illud) terram illam, Aegyptum.

XXXIII. 1. *quod animos virorum molliret*) Hic color, quem inhumano gladiatorum spectaculo Romani praetendebant. Cicero II. Tuscul. cap. 17. extr. *Crudele gladiatorum spectaculum & inhumanum nonnullis videri solet, & haud scio, an ita sit, vt nunc fit. Quum vero sontes ferro depugnabant auribus fortasse multae, oculis quidem nulla poterat esse fortior contra dolorem & mortem disciplina.* Sed verior Prudentii sententia extremo lib. II. adu. Symmachum:

Nullus in vrbe cadat, cuius sit poena voluptas.

seruorum noxiorumque) Gladiatores enim aut ex seruis, maxime bello captis, aut ex noxiis damnatisque legebantur, quibus perditissimus quisque & leuissimus accedebat.

bus amor laudis & cupido victoriae cerneretur.
2 Quam deinde in edendo liberalitatem, quam iustitiam exhibuit, omni adfectione aut intactus, aut maior? Impetratum est, quod postulabatur: oblatum, quod non postulabatur. Institit vltro, & vt concupiscceremus admonuit: ac sic quoque plura inopinata, plura subita. Iam quam libera spectantium studia, quam securus
3 fauor? Nemini impietas, vt solebat, obiecta, quod odisset gladiatorem: nemo spectator spectaculum factus, miseras voluptates vnco & ignibus
4 expiauit. Demens ille, verique honoris

---

2. *in edendo*) spectacula, munera, absolute.

liberalitatem) Hoc & numeros ludorum, & sumtus arguit. Nam ἔχαιρε μονομάχοις, *delectabatur gladiatoriis ludis*, Xiphilin. p. 245.

adfectione intactus) iuste seruans arenae leges, vt neque in hos neque in illos adfectum inclinaret. *Lipsi.* De adfectu multorum erga gladiatores Cicero pro Milone c. 34. & inde Seneca de Tranquill. c. 11. disseruerunt.

quam securus fauor) Fauor, studium erga athletas aut certantes. Relege lib. IX. epist. 6. n. 2. adscripta. Hoc non liberum sub malo principe erat. Suetonius Calig. c. 30. *Infensus turbae fauenti aduersus studium suum.*

3. *Nemini impietas*) quia contra studium principis tamquam communis parentis, immo dei, vt mox n. 4. explicatur. Et Domitianus titulum canibus obiiciendi spectatoris fecit, *impie loquutus parmulario.* Suet. c. 10.

nemo spectator spectaculum factus) vt Proculus e spectaculis a Caligula detractus & Threci ac hoplomacho commissus, *Suet. c. 35.* & Domitianus ciuem itidem e spectaculis detractum obiecit canibus. *Idem in Domit. c. 10.* Alio seculo Seuerus milites in spectantium turbas, non probantes, quod ipse, immisit, *Herodian. IV, 6. sub fin.*

igna-

ignarus, qui crimina maiestatis in arena colligebat, ac se despici & contemni, nisi etiam gladiatores eius venerarentur, sibi male dici, in illis suam diuinitatem, suum numen violari interpretabatur: quum se idem quod deos, idem gladiatores, quod se putabat.

XXXIV. At tu, Caesar, quam pulcrum spectaculum pro illo nobis exsecrabili reddidisti? Vidimus delatorum iudicium, quasi grassatorum, quasi latronum: non solitudinem illi, non iter, sed templum, sed forum insederant. Nulla iam testamenta secura, nullus status certus: non orbitas, non liberi proderant. Auxerat hoc malum principum auaritia. Aduertisti oculos, atque, vt ante castris, ita postea pacem foro reddidisti: exscidisti intestinum malum: & prouida seueritate cauisti, ne fundata legibus ciuitas euersa legibus videretur. Licet ergo cum fortuna, tum liberalitas tua visenda nobis praebuerit, vt praebuit, nunc ingentia robora virorum, & pares animos, nunc immanitatem ferarum, nunc mansuetudinem incognitam, nunc secretas illas

2

3

XXXIV. 1. *non solitudinem illi, non iter*) quo solo a latronibus differebant.

3. *ingentia robora virorum*) fortissimos gladiatores, e captiuis Germanis ac Dacis, quibus ingentia corpora, si cum Italis comparantur.

immanitatem ferarum) Venationum ludos in amphitheatro exhibitos intelligit.

nunc mansuetudinem) aliud ludorum genus, quo mansuefactae bestiae spectaculo erant. Vid. Martial. lib. I. epigr. 49.

& arcanas, ac sub te primum communes opes; nihil tamen gratius, nihil seculo dignius, quam quod contigit desuper intueri delatorum supina 4 ora, retortasque ceruices. Agnoscebamus & fruebamur, quum velut piaculares publicae sollicitudinis victimae supra sanguinem noxiorum ad lenta supplicia grauioresque poenas ducerentur. 5 Congesti sunt in nauigia raptim conquisita, ac tempestatibus dediti. Abirent, fugerentque vastatas delationibus terras: ac, si quem fluctus ac procellae scopulis reseruassent, hic nuda saxa & inhospitale littus incoleret, ageret duram & anxiam vitam, relictaque post tergum totius generis humani securitate, moereret.

XXXV. Memoranda facies, delatorum classis permissa omnibus ventis, coactaque vela tempestatibus pandere, iratosque fluctus sequi, quoscumque in scopulos detulissent. Iuuabat, prospectare statim a portu sparsa nauigia, & apud illud ipsum mare agere principi gratias, qui, clementia sua salua, vltionem hominum terra-

communes opes) opes, quas auari principes occluserant, Traianus theatro vulgauit, & in templa, vt publicos thesauros, intulit. Lipsio monitore, Martialis lib. XII. epigramma 15. conferendum est, quo haec illustrantur.

desuper) ex gradibus amphitheatri.

supina ora retortasque ceruices) Vt noxii agnosci ab omnibus possent, reducto coma capite, mucro gladii mento subiiciebatur. Vide Suetonium in Vitellii supplicio, in quo addit: *ceu noxii solent.*

4. *piaculares victimae*) quibus publica mala expiantur.

XXXV. 1. *clementia salua*) exsistente. Clementia rum-

rumque diis maris commendasset. Quantum diuersitas temporum posset, tum maxime cognitum est, quum iisdem, quibus antea cautibus innocentissimus quisque, tunc nocentissimus adfigeretur, quumque insulas omnes, quas modo senatorum, iam delatorum turba compleret; quos quidem non in praesens tantum, sed in aeternum repressisti, mille poenarum indagine inclusos. Ereptum alienas pecunias eunt? perdant quas habent: expellere penatibus gestiunt? suis exturbentur; neque, vt antea, exsanguem illam & ferream frontem nequidquam conuulnerandam praebeant punctis, & notas suas rideant: sed spectent paria praemio damna, nec maiores spes, quam metus, habeant, timeantque, quantum timebantur. Ingenti quidem animo Titus 2 3 4

enim est, vitam non eripere: satis autem poenae, si casus seruauerit, grauiore vita, quam ipsum capitis supplicium est, adfligi.

2. *adfigeretur*) Grutero in mentem aliquando venis *adfligeretur*, vt Flor. IV. c. 12. n. 5. *infantes humo adfixos*. Sed etiam *adfigi* idem tuetur ex Liuii VIII. c. 7. qui *terrae adfixit*; & Plauti Persa. qui a. II. sc. 4. n. 22. *defigam in terram colaphis*, eodem modo dixit.

3. *exsanguem frontem*) non erubescentem, impudentem. *punctis, & notas suas*) Lege Remmia calumniatoribus poena constituta, *L. I. ad SC. Turpill. n.* 2. Hanc poenam Turnebus Adu. VIII 22. ex h. l. & Cic. pro S. Rosc. 21. interpretatur stigma, seu notam in fronte, quamquam Memmiae legis mentionem haud facit. Delatores autem hanc stigmatis poenam prae opimis praemiis, quae a malis principibus habebant, spreuerunt & tamquam leuiculum damnum riserunt.

securitati nostrae vltionique prospexerat, ideoque numinibus aequatus est: sed quanto tu quandoque dignior coelo, qui tot res illi adiecisti, propter quas illum deum fecimus? Id hoc magis arduum fuit, quod imperator Nerua, te filio, te successore dignissimus, per quem magna quaedam edicto Titi adstruxerat, nihilque reliquisse tibi videbatur, qui tam multa excogitasti, vt si ante te nihil esset inuentum. Quae singula quantum tibi gratiae dispensata adiecissent? Tu simul omnia perfudisti, vt sol & dies non parte aliqua, sed statim totus, nec vni aut alteri, sed omnibus in commune, profertur.

XXXVI. Quam iuuat cernere aerarium silens & quietum; & quale ante delatores erat! nunc templum illud, nunc vere deus, non spoliarium

4. *Titus securitati nostrae*) Titus Caesar, alioqui lenissimus, delatores seuerius coercuit, & fustibus caesos, ac per amphitheatrum deductos vel vaenire iussit, vel in insulas deportauit. *Sueton.* c. 8.

ideoque numinibus) ideo ab senatu sacratus est, non autem a Domitiano, qui ideo fecit, *vt dei frater videretur.* Supra cap. 11.

Nerua edicto Titi adstruxerat) Xiphilinus in Nerua refert, seruos & libertos puniisse, qui dominis & patronis periculum fecissent.

5. *dispensata*) diuisa temporibus.

XXXVI. 1 *silens & quietum*) litibus non vexatum.

nunc templum illud, nunc vere deus) nunc demum Saturni aedes vere templum: nunc Saturnus vere deus esse cognoscitur, dum rapinas a templo suo cohibet.

spoliarium) vbi vestes in balneis exuuntur, *Spoliarium* dicebatur: fuit & in amphitheatro, vbi itidem vestes positae & ornamenta gladiatorum: & quo gra-

ciuium,

ciuium, cruentarumque praedarum ſæuum receptaculum: ac toto in orbe terrarum adhuc locus vnus, in quo, optimo principe, boni malis impares eſſent. Manet tamen honor legum, nihilque ex publica vtilitate conuulſum, nec poena cuiquam remiſſa, ſed addita eſt vltio, ſolumque mutatum, quod iam non delatores, ſed leges timentur. 2 At fortaſſe non eadem ſeueritate fiſcum, qua aerarium, cohibes: immo tanto maiore, quanto plus tibi licere de tuo, quam de publico credis. Dicitur actori atque etiam procuratori tuo: IN IVS VENI; SEQVERE AD TRIBVNAL. Nam tribunal quoque excogitatum cruciatu eſt par ceteris, niſi illud litigatoris amplitudine metiaris. Sors & vrna fiſco iudicem adſi- 3 4

uiter vulneratos retraxerunt, interfeceruntque, ſi ſpes curationis non ſupereſſet. *Lipſ. Saturn. I*, 18. Heic locus eſt, vbi ciues bonis exuti, niſi & interfecti.

ac toto in orbe terrarum) Vlcus aliquod latet, nec Lipſii interpretatio, qui ſolus attigit, nobis ſanare malum videtur.

3. *fiſcum, qua aerarium*) Hoc diſcrimine diſcimus, fiſcum principis eſſe, aerarium populi. Sic & Tacitus VI, 2. *bona Seiani ablata aerario, vt in fiſcum cogerentur.*

actori) Vide lib. VII epiſt. 18. n 2.

4. *cruciatu*) & haec vox crucem figit criticis. Simpliciſſime de la Baune: *Excogitatum eſt tribunal par ſeueritate ceteris.* Lipſio videtur *principatui*, id eſt, pro principe, vt ibi de principis rebus ageretur.

illud) ſcil. tribunal, vbi ipſe princeps eſt, qui litem mouet. *Herz.*

Sors & vrna) Iudices enim ex veteri more legebantur ſorte.

gnat: licet reiicere, licet exclamare; HVNC NOLO, TIMIDVS EST, ET BONA SECVLI PARVM INTELLIGIT. ILLVM NOLO, QVIA CAESAREM FORTITER AMAT. Eodem foro vtuntur principatus & libertas. Quae praecipua tua gloria est, saepius vincitur fiscus; cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono principe. Ingens hoc meritum; maius illud, quod eos procuratores habes, vt plerumque ciues tui non alios iudices malint. Liberum est autem disceptanti dicere, NOLO EVM ELIGERE. Neque enim vllam necessitatem muneribus tuis addis, vt qui scias, hanc esse beneficiorum principalium summam, si illis & non vti licet.

XXXVII. Onera imperii, pleraque vectigalia institui, vt pro vtilitate communi, ita singulorum iniuriis coegerunt. His vigesima reperta est, tributum tolerabile, & facile heredibus dumtaxat extraneis, domesticis graue. Itaque illis irrogatum est, his remissum: videlicet quod manife-

licet reiicere) etiam sorte lectum, tamquam suspectum & parti fauentem.

principatus & libertas) princeps & liberi ciues. Horum enim ius temperanter Nerua miscuerat. *Tacit. Agr.* 3.

5. *vincitur fiscus*) dum a priuatis in causa pecuniaria quid exposcit, quid ipsi competit. *Herz.*

mala causa) i. e. iniusta. Sub malo enim principe diuitiis inhiante, causa quaelibet pro fisci augmento decernitur. *Herz.*

summam) quidam addunt *gratiam*, quod ingratum est & contra meliores libros.

XXXVII. 1. *vigesima*) Dictum ad lib. VII. epist. 14. num. 1.

domesticis graue) molestum, exosum.

stum

stum erat, quanto cum dolore laturi, sen potius non laturi homines essent, destringi aliquid & abradi bonis, quae sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent, quaeque nunquam vt aliena & speranda, sed vt sua semperque possessa, ac deinceps proximo cuique transmittenda cepissent. Haec mansuetudo legis veteribus ciuibus seruabatur: noui, seu per Latium in ciuitatem, seu beneficio principis venissent, nisi simul cognationis iura impetrassent, alieniſſimi habebantur, quibus coniunctissimi fuerant. Ita maximum beneficium vertebatur in grauissimam iniuriam, ciuitasque Romana instar erat odii, & discordiae, & orbitatis, quum carissima pignora, salua ipsorum pietate, distraheret. Inueniebantur tamen, quibus tantus amor nominis nostri inesset, vt Romanam ciuitatem non vigesimae modo, verum etiam adfinitatum damno bene com-

3

4

5

2. *destringi aliquid & abradi*) per tributum vicesimarum, de quo lib. VII. ep. 14. dictum.

3. *noui*) puta, *ciues*, qui ciuitatis ius post institutum illud tributum, cuius auctor Augustus erat, adepti fuerant.

per Latium) iure Latii, plerisque coloniis concesso.

alieniſſimi) extranei in hereditate.

4. *maximum beneficium*) ius ciuitatis, quod mox *ciuitas Romana* vocatur.

instar odii) materies odii ac discordiae, & vinos cognatos distrahebat, tamquam mors & *orbitas* interueniſſet.

salua pietate) citra culpam & offensionem cognatorum.

5. *nominis nostri*) vt ciues Romani appellarentur.

adfinitatum) quae inter maritum & vxorem, horumque proxime agnatos sunt.

pensari putarent. Sed his maxime debebat gratuita contingere, a quibus tam magno aestimabatur. Igitur pater tuus sanxit, vt quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis peruenisset ad matrem, etiamsi cognationum iura non recepissent, quum ciuitatem adipiscerentur, eius vigesimam ne darent. Eamdem immunitatem in paternis bonis filio tribuit, si modo reductus esset in patris potestatem: ratus, improbe & insolenter ac paene impie his nominibus inferi publicanum; nec sine piaculo quodam sanctissimas necessitudines velut intercedente vigesima scindi, nullum esse tanti vectigal, quod liberos ac parentes faceret extraneos.

XXXVIII. Hactenus ille: parcius fortasse, quam decuit optimum principem, sed non parcius, quam optimum patrem, qui optimum adoptaturus, hoc quoque parentis indulgentissimi fecit, quod delibasse quaedam seu potius demonstrasse contentus, largam, ac prope intactam benefaciendi materiam filio reseruauit. Statim ergo muneri eius liberalitas tua adstruxit, vt quemadmodum in patris filius, sic in hereditate filii pater esset immunis, nec eodem momento, quo

6. *cognationum iura*) quia illa transitione in ciuitatem diuulsi a suis videbantur, qui nondum ciues: atque ita alieni extraneique habebantur, nisi princeps seorsim tribuisset. *Lipsius*.

7. *inferi publicanum*) expositum ad lib. VII ep. 14.

XXXVIII 2 *adstruxit*) beneficium eius auxit Supra cap. 35 n. 4. *quaedam edicto Titi adstruxerat*, i. e. adiunxerat.

pater esset immunis) a tributo vicesimae.

pater

pater esse desisset, hoc quoque amitteret, quod
fuisset. Egregie, Caesar, quod lacrymas paren- 3
tum vectigales esse non pateris. Bona filii pater
sine diminutione possideat, nec socium hereditatis accipiat, quem non habet luctus: nemo recentem & attonitam orbitatem ad computationem vocet, cogatque patrem, quid reliquerit filius, scire. Augeo P. C. principis munus, 4
quum ostendo, liberalitati eius inesse rationem. ambitio enim, & iactantia, & effusio, & quidui potius, quam liberalitas existimanda est, cui ratio non constat. Dignum ergo, imperator, man- 5
suetudine tua, minuere orbitatis iniurias, nec pati quemquam, filio amisso, insuper adhici alio dolore: sic quoque abunde misera res est, pater filio solus heres: quid si coheredem non a filio accipiat? Adde, quod quum diuus Nerua sanxisset, vt in paternis bonis liberi necessitate vigesimae soluerentur, congruens erat, eamdem immunitatem parentes in liberorum bonis obtinere. Cur enim posteris amplior honor, quam maioribus haberetur? curue non retro quoque recurreret aequitas eadem? Tu quidem Caesar illam 7
exceptionem remouisti, SI MODO FILIVS IN

3. *quem non habet luctus*) intellige, socium. Bongars. & Grut. illud *quem* laudarunt, prae vulgato *qui*.

4. *inesse rationem*) quae mox n. 5. & 6. profertur.

5. *coheredem*) publicanum, vicesimas exigentem.

7. *illam exceptionem*) a regula & edicti verbis; seu conditionem, quia edictum Neruae sub conditione, *Si modo filius in potestate patris fuisset*, hereditatem concessit & immunitatem, quam conditionem sustulit postea Traianus.

POTESTATE PATRIS FVISSET: intuitus (opinor) vim legemque naturae, quae semper in ditione parentum esse liberos iussit, nec vti inter pecudes, sic inter homines potestatem & imperium valentioribus dedit.

XXXIX. Nec vero contentus primum cognationis gradum abstulisse vigesimae, secundum quoque exemit, cauitque, vt in sororis bonis frater, & contra, in fratris soror, vtque auus auia in
neptis nepotisque, & inuicem illi seruarentur im-
2 munes. His quoque, quibus per Latium ciuitas Romana patuisset, idem indulsit, omnibusque inter se cognationum iura commisit simul & pariter, & more naturae, quae priores principes a singulis rogari gestie ant, non tam praestandi
3 animo, quam negandi. Ex quo intelligi potest, quantae benignitatis, quanti spiritus fuerit, sparsas, atque (vt ita dicam) laceras gentilitates colligere atque connectere, & quasi renasci iubere: deferre quod negabatur, atque id praestare cunctis, quod saepe singuli non impetrassent: postremo, ipsum sibi eripere tot beneficiorum occasiones, tam numerosam obligandi imputan-

---

in potestate patris) Vide lib. X. ep. 6. n. 2.

valentioribus) Comparatio id respicit, vt naturae ius etiam adultos & digniores patre filios, & potentiores, potestati subdat patriae.

XXXIX. 2. *per Latium*) Recurre ad cap. 37. n. 3.

3. *sparsas gentilitates*) dum ex vna gente aut familia quidam ius ciuitatis beneficio principis adepti fuerint, quidam manserint extranei.

dique

dique materiam: indignum credo ei visum, ab homine peti, quod dii dedissent. Sorores estis, & frater, auus, & nepotes: quid est ergo, cur rogetis, vt sitis? vobis estis. Qui pro cetera sua moderatione non minus inuidiosum putat dare hereditatem, quam auferre. Laeti ergo adite honores, capessite ciuitatem, neminem hoc necessitudinis abruptum velut truncum amputatumque destituet: iisdem omnes quibus ante pignoribus, sed honestiores perfruentur: ac ne remotus quidem, iamque deficientis adfinitatis gradus a qualibet quantitate vigesimam inferre cogetur. statuit enim communis omnium parens summam, quae publicanum pati possit. 4 5 6

XL. Carebit onere vigesimae parua & exilis hereditas: &, si ita gratus heres volet, tota sepulcro, tota funeri seruiet: nemo obseruator, nemo castigator adsistet. Cuiuscumque modi ea pecunia ex hereditate alicuius obuenerit, securus habeat quictusque possideat. Ea lex vigesimae dicta est, vt ad periculum eius perueniri, nisi opibus, non possit. Conuersa est iniquitas in 2

4. *ab homine peti, quod dii dedissent*) a principe peti, quod ius deus per naturam & sanguinis coniunctionem commune fecisset.

cur rogetis, vt sitis) Quasi dicat: & estis fratres, & vobis estis tantum; non fisco, qui nil iam decerpit. *Lipsi.*

XL. 1. *obseruator, castigator*) publicanus, qui vicesimam inde exigat.

2. *vt ad periculum eius perueniri*, vt nemo possit venire in illud discrimen, nisi heres magnarum opum. *Baun.*

gratu-

gratulationem, iniuria in votum: optat heres, vt
3 vigesimam debeat. Additum est, vt qui eiusmodi ex caussis in diem edicti vigesimam deberent, nondum tamen intulissent, non inferrent. At in praeteritum subuenire ne dii quidem possunt: tu tamen subueniisti, cauisti que, vt desineret quisque debere, quod non esset postea debiturus.
4 Idem feciſti, ne malos principes habuissemus, quo ingenio, si natura pateretur, quam libenter tot spoliatis, tot trucidatis sanguinem & bona refudisses? Vetuisti exigi, quod deberi non tuo se-
5 culo coeperat. Alius vt contumacibus irascereturtarditatemque soluendi dupli vel & quadrupli, irrogatione mulctaret: tu nihil referre iniquitatis existimas, exigas, quod deberi non oportuerit, an constituas, vt debeatur.

XLI. Feres Caesar curam & sollicitudinem consularem. nam mihi cogitanti, eumdem te collationes remisisse, donatiuum reddidisse, congiarium obtulisse, delatores abegisse, vectigalia

vt vigesimam debeat) Hoc enim signum opimae hereditatis.

3. *Additum*) edicto.

eiusmodi ex caussis) rationibus, quae mouerunt Traianum, vt edicto Neruae adderet.

in diem edicti) vsque in diem noui edicti, Traiani principis.

4. *Idem feciſti*) Obscurum sensum Gruterus illustrari putat, si *id est*, pro *idem* legatur

5. *Alius*) Alius princeps, sed malus.

exigas) si exigas, vel, exigasne. Hoc est, perinde esse siue exigas ab aliis inique impositа; siue ipse imponas & constituas.

tem-

temperasse: interrogandus videris, satisne computaueris imperii reditus, an tantas vires habeat frugalitas principis, vt tot impendiis, tot erogationibus sola sufficiat. Nam quid est causae, 2
cur aliis quidem, quum omnia raperent, & rapta retinerent, vt si nihil rapuissent, defuerint omnia: tibi, quum tam multa largiaris & nihil auferas, omnia supersint? Nunquam principibus defue- 3
runt, qui fronte graui & tristi supercilio vtilitatibus fisci contumaciter adessent, & erant principes ipsi sua sponte auidi & rapaces, & qui magistris non egerent: plura tamen semper a nobis contra nos didicerunt, sed ad tuas aures cum ceteris omnibus, tum vel maxime auaris adulationibus obstructus est aditus. Silent ergo & quiescunt, 4
& postquam non est cui suadeatur, qui suadeant non sunt. Quo euenit vt tibi cum plurimum pro tuis, tum pro nostris moribus debeamus.

XLII. Locupletabant & fiscum & aerarium non tam Voconiae & Iuliae leges, quam maiesta-

XLI. 3. *qui fronte graui*) qui tristi seueritate augmentis fisci & suis intenti essent, nullamque occasionem colligendae pecuniae praetermitterent.

a nobis) a nobis, ministris principum, adulantibus in causa augendi fisci.

4. *pro nostris moribus*) bonis scilicet & correctis, ac ab omni adulatione, cui dediti antea fuerant, alienatis. Hos emendatos mores debebant virtuti principis, cuius exemplum priuati imitabantur.

XLII 1. *Voconiae*) Lex Voconia, ne quis heredem feminam faciat, aut vnicam filiam, vltra quadrantem, quod additamentum ex Dionis lib. LVI. intelligimus.

tis

tis singulare & vnicum crimen eorum, qui crimine vacarent: huius tu metum penitus sustuliſti, contentus magnitudine, qua nulli magis caruerunt, quam qui ſibi maieſtatem vindicabant.
2 Reddita eſt amicis fides, liberis pietas, obſequium ſeruis: verentur, & p rent, & dominos habent. Non enim iam ſerui principis noſtri amici, ſed nos ſumus: nec pater patriae alienis ſe mancipibus
3 cariorem, quam ciuibus ſuis, credit. Omnes accuſatore domeſtico liberaſti, vnoque ſalutis

---

Gellius lib. XX. c. 1. *Voconium plebiſcitum* vocat, *de coercendis mulierum hereditatibus.* Quod ſupra quadrantem hereditatis reliquum fuit, antiquitus ad alios heredes transferebatur: ſub Caeſaribus autem in fiſcum coepit redigi, Voconia lege nouis principum interpolata, vt pluribus expoſuit erudit ſſimus huius Legis interpres Iac. Perizonius ſingulari diſſertatione.

& Iuliae leges) Ex pluribus huius nominis legibus, ab Auguſto latis, hoc loco illa intelligitur, quae *de maritandis ordinibus* fuit, Papiae Poppaeae adiungi ſolita. Hanc enim Auguſtus *aerario augendo ſanxerat*, quod Tacitus obſeruat annal. III, 25. ob multiplices ibi multas, ſiue pecuniarias poenas, vt Lipſius interpretatur.

maieſtatis ſingulare & vnicum crimen) Suetonius Neronem ait (c. 32.) quum pecunia deeſſet, *calumniis rapinisque intendiſſe animum, & inſtituiſſe, vt lege maieſtatis facta dictaque omnia, quibus modo delator non deeſſet, tenerentur.* Nec aliter Tiberius, ſub quo maieſtatis crimen *omnium accuſationum complementum erat*, Tacit. ann. III. c. 38. de Domitiano eadem Suetonius c. 12.

metum ſuſtuliſti) Vid. lib. X. epiſt. 86.

2. *obſequium ſeruis*) dominos ſuos antea paſſim accuſantibus. *Xiphil. in Nerua.*

publicae

publicae signo illud (vt sic dixerim) seruile bellum sustulisti, in quo non minus seruis, quam dominis, praestitisti: hos enim securos, illos bonos fecisti. Non vis interea laudari, nec fortasse 4
laudanda sint: grata sunt tamen recordantibus principem illum in capita dominorum seruos subornantem, monstrantemque crimina, quae tamquam delata puniret: magnum & incuitabile, ac toties cuique experiendum malum, quoties quisque similes principi seruos haberet.

XLIII. In eodem genere ponendum est, quod testamenta nostra secura sunt: nec vnus omnium, nunquam scriptus, heres es. Non tu falsis, non tu iniquis tabulis aduocaris. nullius ad te iracundia, nullius impietas, nullius furor confugit: nec quia offendit alius, nuncuparis, sed quia ipse meruisti. Scriberis ab amicis, ab ignotis praeteri- 2

4. *nec fortasse laudanda sint*) propter ignobile ex seruis argumentum

principem illum) Domitianum. *Lipsi.*

similes principi seruos) malos, & calumniatores.

XLIII. 1. *nunquam scriptus, heres*) Lipsio & Grutero hoc *nunquam* vindicatum: vulgo lectum *nunc*, *quia*. Sensus, licet nunquam scriptus, nec cogitatus. Mali enim principes testamenta, quibus ipsi non scripti essent, vt ingrata, rescindebant *Suet. Calig.* 38. *Ner.* 32.

aduocaris) ad capiendam scilicet hereditatem. *Herz.*

iracundia - - confugit) i. e. nullus te constituit heredem ex iracundia, qua fertur in eos, qui via ordinaria hereditatem adire deberent, testamentarius. *Herz.*

nuncuparis) Nuncupare heredem, est palam, ita vt exaudiri possit, heredem constituere, Lege 21. pr. D. Qui testamenta facere &c. vbi etiam *scribere* ac *nuncupare* heredem, distinguuntur.

EIS:

ris: nihilque inter priuatum & principem interest, nisi quod nunc a pluribus amaris: nam &
3 plures amas. Tenes, Caesar, hunc cursum, & probatur experimento, situe feracius & vberius, non ad laudem modo, sed ad pecuniam principi, si herede illo mori homines velint, quam si
4 cogantur. Donauit pater tuus multa, & ipse donasti: cesserit parum gratus, manent tamen ii, qui bonis eius fruantur, nihilque ex illis ad te, nisi gloria redit. nam liberalitatem iucundiorem
5 debitor gratus, clariorem ingratus facit. Sed quis ante te laudem istam pecuniae praetulit? quotusquisque principum ne id quidem in patrimoniis nostris suum duxit, quod esset de suo? Nonne vt regum, ita Caesarum munera illitos cibis hamos, opertos praeda laqueos aemulabantur, quum priuatis facultatibus velut hausta & multiplicata, retro secum quidquid attigerant, referrent?

---

3. *Tenes*) Ita Ald. & Sich. Alii *Tene*.

illo) sc principe. *Herz.*

4. *cesserit parum gratus*) mortuus sit aliquis, a te vel patre tuo Nerua beneficiis adfectus, qui tibi nihil testamento reliquerit: propterea heredibus eius nihil aufertur, nec testamentum, vt ingratum, rescinditur. De quo ad n. 1. huius cap. diximus.

liberalitatem) praestitam & ab alio acceptam *Herz.*

clariorem) animus quippe ingratus conspiciendam tradit beneficentiam, sapientis, cuius est beneficium perdere & tamen dare. Vide Senec. de benefic. lib. VII. c. 31. 32. *Herz.*

5. *ne id quidem*) non id quoque.

hausta & multiplicata) hamus haustus a pisce, si

XLIV.

XLIV. Quam vtile est ad vsum secundorum, per aduersa venisse? Vixisti nobiscum, periclitatus es, timuisti, quae tunc erat innocentium vita: scis, & expertus es, quantopere detestentur malos principes, etiam qui malos faciunt. Meministi, quae optare nobiscum, quae sis queri solitus. Nam priuato iudicio principem geris, 2
meliorem immo te praestas, quam tibi alium precabare. Itaque sic imbuti sumus, vt, quibus erat summa votorum, melior pessimo princeps; iam non possimus, nisi optimum, ferre. Nemo 3
est ergo tam tui, tam ignarus sui, vt locum ipsum post te concupiscat. Facilius est, vt esse aliquis successor tuus possit, quam vt velit. Quis 4
enim curae tuae molem sponte subeat? quis comparari tibi non reformidet? Expertus & ipse es, quam sit onerosum, succedere bono principi, & adferebas excusationem adoptati. An prona 5

retrahitur, multiplicatam praedam refert. Quidam *hausta & implicita* legunt. Similitudo eadem lib. IX. epist 30. proposita est.

XLIV. 1. *quae tunc erat*) sub Domitiano.

qui malos faciunt) adulando. nam & hi tandem exsecrantur tyrannum.

2. *priuato iudicio*) Talis es princeps, qualem priuatus iudicabas, principem esse debere. *I. de la Baune.*

summa votorum, melior) optabamus vtcumque meliorem, quam Domitianus erat.

3. *tam tui*) virtutis tuae summae.

tam sui) propriae tenuitatis, cum virtute tua haudquaquam comparandae.

locum ipsum post te) successionem.

4. *adferebas excusationem adoptati*) *dicebas*, nisi adoptio te cogeret, nolle te sponte tua imperium susci-

paru-

paruaque sunt ad aemulandum, quod nemo incolumitatem turpitudine rependit? Salua est omnibus vita & dignitas vitae, nec iam consideratus ac sapiens, qui aetatem in tenebris agit. eadem quippe sub principe virtutibus praemia, quae in libertate: nec benefactis tantum ex conscientia merces, sed etiam praemia sunt. Amas constantiam ciuium, rectosque ac viuidos animos non, vt alii, contundis ac deprimis, sed foues & attollis. Prodest bonos esse, quum sit satis abundeque, si non nocet: his honores, his sacerdotia, his prouincias offers: hi amicitia tua, hi iudicio florent: acuuntur isti integritatis & industriae pretio. Similes & dissimiles alliciuntur. nam praemia bonorum malorumque bonos ac malos faciunt. Pauci adeo ingenio valent, vt non turpe honestumque, prout bene ac secus cessit, expe-

pere. Vnus MS. & vnus antique cusus Grutero hanc lectionem persuaserunt; ceteri *adoptari*, quod durum sonat.

5. *incolumitatem turpitudine*) nemo, vt incolumis sit, turpitudine se principi gratum praestat. Exempla dat Suetonius Domitiano cap. 10. extr.

6. *nec iam consideratus ac sapiens*) i. e. cuilibet in lucem prodire iam licet sub te, nec iam qui in tenebris vitam agit, ac sapiens consideratur, sicut sub tyrannicis temporibus latitare erat sapientiae specimen. *Herz.*

7. *Similes & dissimiles*) Traiano similes, boni; dissimiles, mali.

praemia bonorum malorumque) praemia bonorum principum etiam malos homines alliciunt, vt boni fiant, quum virtutem vident in pretio esse: contra, malorum principum praemia, quibus vitia rependunt, etiam non malos homines deprauant.

tant

tant fugiantue: ceteri, vbi laboris inertiae, vigilantiae somno, frugalitatis luxuriae merces datur, eadem ista, quibus alios actibus adsequutos vident, consectantur: qualesque sunt illi, tales esse & videri volunt, & dum volunt, fiunt.

XLV. Et priores quidem principes, excepto patre tuo, praeterea vno aut altero, & nimis dixi, vitiis potius ciuium, quam virtutibus laetabantur. primum quod in alio sua quemque natura delectat: deinde quod patientiores seruitutis arbitrabantur, quos non deceret esse nisi seruos. Horum in sinum omnia congerebant: bo- 2
nos autem otio aut situ abstrusos, & quasi sepultos, non nisi delationibus & periculis in lucem ac diem proferebant. Tu amicos ex optimis 3
legis, & hercule aequum est, esse eos carissimos bono principi, qui inuisi malo fuerint. Scis, vt sunt diuersa natura dominatio & principatus, ita non aliis esse principem gratiorem, quam qui maxime dominum grauentur. Hos ergo pro- 4
uehis; & ostentas quasi specimen & exemplar, quae tibi secta vitae, quod hominum genus placeat. ideo non censuram adhuc, non praefecturam morum recepisti, quia tibi beneficiis potius,

XLV. 2. *Horum in sinum*) horum, seruorum, libertorum, qui carissimi malis principibus.

3. *Scis, vt sunt*) Scripsi, quod Liuineius, Bongarsius, Gruterus, & Rittershusius probant. Vulgatum *vt sicut*.

qui maxime dominum grauentur) qui propter tyrannum grauentur, eumque ferre non possint.

4. *praefecturam morum*) munus censurae non admodum dissimile, nisi quod censura certis temporibus

quam

quam remediis ingenia noſtra experiri placet. Et alioqui neſcio an plus moribus conferat princeps, qui bonos eſſe patitur, quam qui cogit. 5 Flexibiles quamcumque in partem ducimur a principe: atque, vt ita dicam, ſequaces ſumus. Huic enim cari, huic probati eſſe cupimus; quod fruſtra ſperauerint diſſimiles: eoque obſequii continuatione peruenimus, vt prope omnes homines vnius moribus viuamus. Porro, non tam ſiniſtre conſtitutum eſt, vt qui malum principem 6 poſſumus, bonum non poſſimus imitari. Perge modo, Caeſar, & vim effectumque cenſurae tuum propoſitum, tui actus obtinebunt. Nam vita principis cenſura eſt, eaque perpetua: ad hanc dirigimur, ad hanc conuertimur: nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo. Quippe

---

adſtricta; morum praefectura continua fuit, aut perpetua. Sub Caeſaribus innotuit. Suetonius Iul. cap. 76. *Honores nimios recepit, vt continuum conſulatum, perpetuam dictaturam, praefecturamque morum.* Et in Aug. c. 27. *recepit & morum legumque regimen aeque perpetuum.*

5. *Flexibiles*) vt Cicero *flexibiles hominum voluntates* dixit lib. II. fam. epiſt. 7.

ducimur, ſequaces ſumus) Haec reſpondent verbo *flexibili.* Cic. III. de Orat. c. 45. *Nihil eſt tam flexibile, neque quod tam facile ſequatur, quocumque ducas, quam oratio.* A cera deſumta translatio. Noſter lib. VII. ep. 9. n. 11.

Vt laus eſt cerae, mollis cedensque ſequatur
Si doctos digitos.

Sperauerint diſſimiles) Sperauerunt, vulgo. Sequuti nos Bongarſium & Gruterum. *Diſſimiles*, mali principes, Traiano diſſimiles, qui fruſtra obſequium & bonorum ciuium & amorem ſperant.

infide-

infidelis recti magister est metus. Melius homines exemplis docentur, quae inprimis hoc in se boni habent, quod approbant, quae praecipiunt, fieri posse.

XLVI. Et his terror valuisset efficere, quod reuerentia tui effecit? Obtinuit aliquis, vt spectaculum pantomimorum populus Romanus tolli pateretur: sed non obtinuit, vt vellet. Rogatus es tu, quod cogebat alius, coepitque esse beneficium, quod necessitas fuerat. Neque enim a te minore concentu, vt tolleres pantomimos, quam a patre tuo, vt restitueret, exactum est. Vtrumque recte: nam & restitui oportebat, quos sustulerat malus princeps, & tolli restitutos. In his enim, quae a malis bene fiunt, hic tenendus est modus vt appareat, auctorem displicuisse, non factum. Idem ergo populus ille aliquando scenici imperatoris spectator & adplausor, nunc in pan-

2

3

4

---

6. *Melius homines exemplis docentur*] Lege Senecae ep. 6. & 11. & adde nostri lib. VIII. ep. 14. n. 6.

XLVI. 1. *Obtinuit aliquis*) Tiberius, a quo *pulsi histriones Italia.* Tacit. ann. IV. c. 14. extr. & Nero, a quo *pantomimorum factiones cum ipsis relegatae*, Sueton. c. 16. & Domitianus *interdixit histrionibus scenam.* Idem Suet. cap. 7. *non obtinuit, vt vellet*) principes illi obtinuere, vt populus pateretur pantomimos relegari, aut etiam concederet; non autem, vt ex animo illud vellet. Fiebat enim inuito populo.

2. *a patre tuo, vt restitueret*) a Nerua, vt relegatos a Domitiano histriones reuocaret.

4. *aliquando scenici imperatoris*) quondam Neronis in scena & theatro versantis spectator & adplausor.

nunc in pantomimis quoque auersatur) Argumentum a

tomimis quoque auersatur & damnat effeminatas
5 artes, & indecora seculo studia. Ex quo manifestum est, principum disciplinam capere etiam vulgus: quum rem, si ab vno fiat, seueriſſimam fecerint omnes. Macte hac grauitatis gloria, Caesar, qua consequutus es, vt quod antea vis &
6 imperium, nunc mores vocarentur. Castigauerunt vitia sua ipsi, qui castigari merebantur, iidemque emendatores, qui emendandi fuerunt. itaque nemo de seueritate tua queritur, & libe-
7 rum est queri. Sed quum ita comparatum sit, vt de nullo minus principe querantur homines, quam de quo maxime licet; tum in seculo nihil est, quo non omne hominum genus laetetur &
8 gaudeat: boni prouehuntur: mali, qui est tranquilliſſimus status ciuitatis, nec timent, nec timentur. Mederis erroribus, sed imploranti-

maiori ad minus. Populus, qui antea Neronem ludicra exercentem cum plausu spectabat; nunc huiusmodi artes ne in pantomimis quidem, leuiſſimo genere hominum, vult ferre.

5. *si ab vno*] principe.

rem seueriſſimam) auersationem ludicrorum. Vis argumenti haec est: Ex hoc exemplo manifestum esse, vulgum quoque principum disciplinae capacem esse, quia in seueriſſima re imitatus principem suum fuerit.

7. *tum in seculo*) Vulgatum, *tamen in seculo*. Liuineius in veteri libro *tum* inuenit quod eruditi probant, quamuis ipse *tuo* malit. Si *tum* illud ratum est, referri ad *quum* debet, quod praecesſit. Vide Plinii nostri l. VII. epist. 8. n. 3. & ibi notata.

8. *nec timentur*) quia vires non habent, sublatis pretiis malitiae.

sed implorantibus) cupientibus sanari, & mala seculi agnoscentibus.

bus,

bus, omnibusque, quos bonos facis, hanc adstruis laudem, ne coegisse videaris.

XLVII. Quid? vitam, quid? mores iuuentutis quam principaliter formas? quem honorem dicendi magistris, quam dignitatem sapientiae doctoribus habes? vt sub te spiritum, & sanguinem, & patriam receperunt studia, quae priorum temporum immanitas exsiliis puniebat, quum sibi vitiorum omnium conscius princeps, inimicas vitiis artes non odio magis, quam reuerentia relegaret? At tu easdem artes in complexu, 2
oculis, auribus habes Praestas enim, quaecumque praecipiunt: tantumque eas diligis, quantum ab illis probaris. An quisquam studia humanitatis professus, non cum omnia tua, tum 3
vel in primis laudibus ferat admissionum tuarum facilitatem? Magno quidem animo parens tuus 4
hanc ante vos principes arcem, PVBLICARVM AEDIVM nomine inscripserat: frustra tamen,

XLVII. 1. *Quid? vitam, quid*) Quid? vitam & mores iuuentutis.

principaliter) vt principem decet, alimenta praebendo, & constituendo magistros.

exsiliis puniebat) quia Dom tianus sapientiae professores expulerat.

quam reuerentia) pudore: quasi turpitudinem sibi exprobrarent.

4. *ante vos principes*) ante Neruam & Traianum. Male quidam *ante hos* legunt.

arcem) palatium Domitiani, tyrannidis sedem & munimentum, ideoque clausum vt arcem, ne bonis aditus pateret. Vide post paullo c. 48, 49. & adde Nepotis Timoleontem c. 3. n. 3.

publicarum aedium) quae omnibus bonis paterent, nemine excluso.

nisi adoptasset, qui habitare vt in publicis posset.
5 Quam bene cum titulo isto moribus tuis conuenit? quamquam omnia sic facis, tamquam non alius inscripserit. Quod enim forum? quae templa tam reserata? non Capitolium, ipsaque illa adoptionis tuae sedes magis publica, magis omnium: nullae obices, nulli contumeliarum gradus: superatisque iam mille liminibus: vltra
6 semper aliqua dura & obstantia. Magna ante te, magna post te, iuxta te tamen maxima quies, tantum vbique silentium, tam altus pudor, vt ad paruos penates & larem angustum ex domo principis modestiae & tranquillitatis exempla referantur.

XLVIII. Ipse autem, vt excipis omnes? vt exspectas? vt magnam partem dierum inter tot imperii curas, quasi per otium, transigis? itaque non vt alias attoniti, nec vt periculum capitis adituri tarditate, sed securi & hilares, quum
2 commodum est, conuenimus; & admittente principe interdum est aliquid, quod nos domi quasi magis necessarium teneat. Excusati sem-

---

5. *contumeliarum gradus*) vt alii primo ostio, admitterentur, interioribus excluderentur: alii ne primo. *Lipsius.*

mille liminibus) Hyperbole. Seneca de Benefic. VI, 33. *Est proprium superbiae, magno aestimare introitum ac tactum sui liminis, & pro honore dare, vt ostio suo propius adsideas, vt gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quae receptos quoque excludunt.*

XLVIII. 1. *tarditate*) capite plectendi, si tardiores veniremus. *Baun.*

per

per tibi, nec vnquam excusandi sumus. Scis enim, sibi quemque praestare, quod te videat, quod te frequentet, ac tanto liberalius ac diutius voluptatis huius copiam praebes. Nec salutationes tuas fuga & vastitas sequitur: remoramur, resistimus, vt in communi domo, quam nuper immanissima bellua plurimo terrore munierat, quum, velut quodam specu inclusa, nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum ciuium strages caedesque proferret. Obuersabantur foribus horror & minae, & par metus admissis & exclusis. Ad haec ipse occursu quoque visuque terribilis, superbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa. Non adire quisquam, non alloqui audebat, tenebras semper secretumque captantem, nec vnquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi vt solitudinem faceret.

3

4

5

---

2. *sibi quemque*) sibi, non tui caussa, non tam vt tibi officium praestet, sed ad suam voluptatem.

3. *fuga & vastitas*) i. e. te salutato non cogimur *fugere*, & palatia *vasta* relinquere, sicut sub tyrannorum imperio quiuis peracta quotidiana salutatione ex aula domum fugiebat, & sic vasta domus Caesaris relinquebatur. *Herz.*

immanissima bellua) Domitianus.

propinquorum) vt Fabii Clementis, Cos. *Xiphil.*

4. *Obuersabantur foribus*) idem l. VI. epist. 16. n. 13. *liminii obuersabantur.*

impudentia rubore suffusa) Nam *rubore se contra pudorem muniebat.* Tacit. Agr. c. 45. n. 4. Fuit enim *vultu ruboris pleno.* Sueton. c. 18.

5. *nisi vt solitudinem faceret*] Videri possit & hoc

XLIX. Ille tamen, quibus sibi parietibus & muris salutem suam tueri videbatur, dolum secum & insidias, & vltorem scelerum deum inclusit; dimouit, perfregitque custodias poena, angustosque per aditus & obstructos, non secus ac per apertas fores & inuitantia limina, irrupit: longeque tunc illi diuinitas sua, longe arcana cubilia saeuique secessus, in quos timore & superbia, & odio hominum agebatur. Quanto nunc tutior, quanto securior eadem domus, postquam eius non crudelitatis, sed amoris excubiis, non solitudine & claustris defenditur? Ecquid ergo? discimus experimento, fidelissimam esse custodiam, principis ipsius innocentiam. Haec arx

---

loco, & proxime n. 3. in animo nostrum habuisse, quae Seneca l. 1. de Clement. c. 3. egregie scripsit; *Illius demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quam pro se sciunt, cuius curam excubare pro salute singulorum, atque vniuersorum quotidie experiuntur: quo procedente, non tamquam malum aliquod aut noxium animal e cubili prosilierit, diffugiunt, sed tamquam ad clarum ac beneficum sidus certatim aduolant.*

XLIX. 1. *inuitantia limina*) quemlibet ad introitum. Sic apud Curt. III, 5, 2. *liquor fluminis inuitauit regem. Herz.*

longe illi diuinitas sua) nihil ipsi profuit, quod deus appellari voluerat. Florus lib. II. c. 2. n. 8. *Longe illis nauticae artes*, id est, nihil profuerunt, vt indice Freinshemius interpretatur. Virgilius quoque l. XII. v. 52.

Longe illi dea mater erit.

3. *fidelissimam esse custodiam*) Multa sapientum dicta huius argumenti exstant. Nepos Dione c. 5. n. 4. *Nullum est imperium tutum, nisi benenolentia muni-*

in-

inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum, mu-
nimento non egere. Fruſtra ſe terrore ſuccin-
xerit, qui ſeptus caritate non fuerit. armis enim
arma irritantur. Num autem ferias tantum par- 4
tes dierum in oculis noſtris coetuque conſumis?
non remiſſionibus tuis eadem frequentia, eadem-
que illa ſocialitas intereſt? non tibi ſemper in 5
medio cibus, ſemperque menſa communis? non
ex conuictu noſtro mutua voluptas? non pro-
uocas reddisque ſermones? non ipſum tempus
epularum tuarum, quum frugalitas contrahat,
extendit humanitas? Non enim, ante medium 6
diem diſtentus ſolitaria coena, ſpectator adnota-
torque conuiuis tuis immines: nec ieiunis &
inanibus plenus ipſe eructans, non tam apponis,
quam obiicis, cibos, quos dedigneris attingere:
aegreque perpeſſus ſuperbam illam conuictus
ſimulationem, rurſus te ad clandeſtinam ganeam
occultumque luxum refers. Ergo non aurum, 7
nec argentum, nec exquiſita ingenia coenarum,
ſed ſuauitatem tuam iucunditatemque mira-
mur: quibus nulla ſatietas adeſt, quando ſincera
omnia, & vera, & ornata grauitate. Neque enim 8

---

tum. Cicero Philip. II. c. 44. *Caritate & benevolentia ciuium ſeptum oportet eſſe, non armis.* Atque ſic alii plures.

terrore) armatis militibus terrorem incutientibus. *Herz.*

5. *in medio cibus*) in propatulo, in omnium oculis.

6. *ante medium diem diſtentus*] Lege Sueton. c. 21.

adnotator] quid loquantur, quid vultu ſignificent.

aut peregrinae superstitionis mysteria, aut obscena petulantia mensis principis oberrat, sed benigna imitatio & liberales ioci, & studiorum honor. Inde tibi parcus, & breuis somnus, nullumque amore nostri angustius tempus, quam quod sine nobis agis.

L. Sed quum rebus tuis, vt participes, perfruamur; quae habemus ipsi, quam propria, quam nostra sunt? Non enim exturbatis prioribus dominis, omne stagnum, omnem lacum, omnem etiam saltum immensa possessione circumuenis, nec vnius oculis flumina, fontes, maria
2 deseruiunt. Est, quod Caesar non suum videat; tandemque imperium principis, quam patrimonium, maius est. Multa enim ex patrimonio refert in imperium, quae priores principes occupabant, non vt ipsi fruerentur, sed ne quis alius.

---

8. *peregrinae superstitiones*) Isiacorum, Gallorum, qui cum choro conuiuia irrumpebant. *Lipsi.*

obscena petulantia) cinaedorum, psaltriarum, puellarum a Gadibus.

studiorum honor) cruditi de studiis sermones, qui maxime principes viros decent.

L. 1. *omne stagnum*] Loquitur de villis & possessionibus superiorum principum. Similem cupiditatem & iniustam occupationem in Clodio pro Milone notauit Tullius c. 27.

vnius oculis – – deseruiunt] i. e. non feciſti, vt flumina, fontes mariaque tot habeas, vt quoties oculos attolleres, te nihil conspiceres, quam quod tuum esset. *Herz.*

2. *imperium, quam patrimonium*) quasi superiorum principum patrimonium ferme imperium aequasse dicat. Adeo omnia sibi rapiebant.

Ergo

Ergo in vestigia sedesque nobilium immigrant 3
pares domini, nec iam clarissimorum virorum
receptacula habitatore seruo terumtur, aut foeda
vastitate procumbunt. Datur intueri pulcerri- 4
mas aedes detersо situ auctas ac vigentes.
Magnum hoc tuum non erga homines modo,
sed erga tecta ipsa meritum, sistere ruinas, solitu-
dinem pellere, ingentia opera eodem, quo exstruc-
ta sunt, animo ab interitu vindicare: muta qui-
dem illa & anima carentia, sentire tamen & lae-
tari videntur quod niteant, quod frequententur,
quod aliquando coeperint esse domini, non ser-
uientis. Circumfertur sub nomine Caesaris ta- 5
bula ingens rerum venalium, quod fit detestanda
auaritia illius, qui tam multa concupiscebat,
quum haberet superuacua tam multa: tunc
exitialis erat apud principem huic laxior domus,
illi amoeniior villa. Nunc princeps in haec ea- 6
dem dominos quaerit, ipse inducit: ipsos illos
magni aliquando imperatoris hortos, illud nun-
quam nisi Caesaris suburbanum, licemur, emi-
mus, implemus. Tanta benignitas principis,
tanta securitas temporum est, vt ille nos princi-

3. *pares domini*) itidem nobiles: non solus Caesar.

4. *sentire tamen & laetari*) Ciceronem haud dubie imitari voluit, cuius nota pro Marcello ad Caesarem vox: *parietes huius curiae tibi gratias agere gestiunt*.

6. *magni aliquando imperatoris*) alicuius Luculli, vel Pompeii, quorum horti cumprimis celebrantur.

nunquam nisi Caesaris) assidue possessum a Caesaribus.

palibus rebus existimet dignos: nos non timea-
7 mus, quod digni esse videmur. Nec vero emendi tantum ciuibus tuis copiam praebes, sed amoeniſſima quaeque largiris & donas: ita (inquam) donas, in quae electus, in quae adoptatus es: transfers, quod iudicio accepisti, ac nihil magis tuum credis, quam quod per amicos habes.

LI. Idem tam parcus in aedificando, quam diligens in tuendo. Itaque non, vt ante, immanium transuectione saxorum vrbis tecta quatiuntur. Stant securae domus, nec iam templa
2 nutantia. Satis est tibi, nimiumque, quum succesſeris frugaliſſimo principi, magis reiicere aliquid & amputare ex his, quae princeps tamquam necessaria reliquit. Praeterea pater tuus vsibus suis detrahebat, quae fortuna imperii de-
3 derat: tu tuis, quod pater. At quam magnificus in publicum es! Hinc porticus, inde delubra occulta celeritate properantur, vt non consum-

---

7. *ita, inquam, donas*) Aptius *ista*, quam *ita*, eruditis videtur.

in quae electus) quae hereditario iure a Nerua patre acceperas.

LI. 1 *immanium saxorum*) Insanum aedificandi studium notat, Domitiani maxime, qui ingentium columnarum aduectatione templa domusque tremefecerit.

2. *tu tuis, quod pater*) tu tuis vsibus subtrahis, quod magis tuum, vtpote a patre datum, quum Nerua tantummodo imperii fortuna obtinuerat. *Tu tuis* placet Lipsio & Liuineio, prae vulgato *tutius*.

3. *delubra*) Iani templum. Martial. X, 28.

properantur) i. e. celeriter conficiuntur. Sic Tacitus Annal. II, 6, 2. *naues properatae*. *Herz*.

mata,

mata, sed tantum commutata videantur. Hinc immensum latus circi templorum pulcritudinem prouocat: digna populo victore gentium sedes, nec minus ipsa visenda, quam quae ex illa spectabuntur: visenda autem cum cetera specie, tum quod aequatus plebis ac principis locus. siquidem per omne spatium vna facies, omnia continua & paria, nec magis proprius spectandi Caesaris suggestus, quam propria, quae spectet. Licebit ergo ciuibus tuis inuicem contueri: dabitur non cubiculum principis, sed ipsum principem cernere in publico, in populo sedentem; populo, cui locorum quinque millia adiecisti. Auxeras enim numerum eius congiarii facilitate, 4 5

commutata) reparatione. *Lipſ.*

latus circi) Circi Maximi. Vid. Sueton. Dom. 5. vbi & *lateris* huius *deuſti*, & poſtea reſtituti mentio fit.

pulcritudinem prouocat) certat cum pulcritudine templorum.

4. *ſuggeſtus*) locus editior, quem inter nimios honores Caesar Iulius receperat in orcheſtra. *Sueton. c. 76.*

5. *non cubiculum principis*) Cubiculum heic locus clauſus eſt, ex quo ſpectauit princeps, vt ipſe non ſpectaretur. Suetonius Ner. c. 12. etiam *cubiculum* vocat. *Icarus*, inquit, *primo ſtatim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipſumque cruore reſperſit. Nam perraro praeſidere, ceterum aceubans primum paruis foraminibus, deinde toto podio adaperto ſpectare conſuerat.*

locorum quinque millia] Pro numero ingenuorum, quos congiariis alebat, *cap.* 28. *n.* 4. auxiſſe loca Circi, ſiue ſedes ad ſpectandum, dicit. Lipſio minus hoc pro magnificentia Traiani videtur, legique *quinquaginta millia* ſuſpicatur. Sed nihil mutandum, quia ipſe auctor ad congiarii & liberalitatis numerum reſtringit.

maioremque in posterum suscipi liberalitatis tuae fide iusseras.

LII. Horum vnum si praestitisset alius, illi iamdudum radiatum caput, & media inter deos sedes auro staret aut ebore, augustioribusque aris & grandioribus victimis inuocaretur. Tu delubra non nisi adoraturus intras; tibi maximus honor excubare pro templis, postibusque praetexi. Sic fit, vt dei summum inter homines fastigium serues, quum deorum ipse non adoptes. 2 Itaque tuam statuam in vestibulo Iouis optimi maximi vnam alteramue, & hanc aeream, cernimus. At paullo ante, aditus omnes, omnes gradus, totaque area hinc auro, hinc argento relucebat, seu potius polluebatur, quum incesti principis statuis permixta deorum simulacra sorderent. 3 Ergo istae quidem aereae & paucae manent, manebuntque quamdiu templum ipsum: illae autem aureae & innumerabiles strage & rui-

---

LII. 1. *radiatum caput*) radiata corona ornatum, quod signum diuinitatis erat. Lucanus lib. VII. v. 458. de Caesaris apotheosi:

Fulminibus manes. radiisque ornabit, & astris.

excubare pro templis) statuas tuas in vestibulis templorum poni, non in ipsis. *Lipsi.* Vide mox n. 2.

praetexi] ante postes collocari, ipsosque quasi *tegere* (ad hoc enim texere. *Conf. Voss. Etymol.*) Sic supra noster c. 15. *quae saxa somnum praete erunt. Herz.*

fastigium serues, quum non adoptes) Lipsius Epist. Quaest. V, 15. emendauit, atque ita interpretatus est: Hoc ipso deus haberis, quod dei honores non adfectas.

2. *incesti principis*) Domitiani. *Suet. c.* 22.

3. *strage & ruina*) Interemto Domitiano senatus scanna

na publico gaudio litauerunt. Iuuabat illidere
solo superbissimos vultus, instare ferro, saeuire
securibus, vt, si singulos ictus sanguis dolorque
sequeretur. Nemo tam temperans gaudii serae- 4
que laetitiae, quin instar vltionis videretur, cer-
nere laceros artus, truncata membra; postremo,
truces horrendasque imagines abiectas excoctas-
que flammis, vt ex illo terrore & minis in vsum
hominum ac voluptates ignibus mutarentur. Si- 5
mili reuerentia, Caesar, non apud genium tuum
bonitati tuae gratias agi, sed apud numen Iouis
optimi maximi pateris. Illi debere nos, quid-
quid debeamus, illius, quod bene facias, muneris
esse, qui te dedit. Ante quidem ingentes hostia- 6
rum greges per Capitolium iter magna sui
velut intercepti diuertere via cogebantur, quum
saeuissimi domini atrocissima effigies tanto vi-

---

las inferri, clypeosque & imagines eius coram detrahi, & ibidem solo adfigi iussit. *Suet. c* 2). Haec in curia: non aliter in templis aliisque locis.

litauerunt) i. e. strage & ruina illarum statuarum ceu sacrificio placarunt populi gaudium. Id enim litare significat Macrob. Saturn. III, 5. Sic apud Apulei. Metam. III. p. m. 39. *de latronis huius sanguine legibus vestris & disciplinae publicae litata. Herz.*

vt, si tamquam. *Herz.*

4. *excoctasque flammis*) Xiphilinus in Nerua sub initium tradit, statuas aureas & argenteas Domitiani confiatas fuisse, & pecuniam ex iis factam.

5. *apud genium tuum*) tibi, & domi tuae. Alias sacratissimus genius principis erat, per quem iurabant, cui litarent, eaque facerent cuncta, quae diis praestari fas erat.

6. *intercepti*) abducti ex via Capitolina ad statuam Domitiani.

ctimarum cruore coleretur, quantum ipse humani sanguinis profundebat.

LIII. Omnia P. C. quae de aliis principibus a me aut dicuntur aut dicta sunt, eo pertinent, vt ostendam, quam longa consuetudine corruptos deprauatosque mores principatus, parens noster reformet & corrigat: alioqui nihil non parum
2 grate sine comparatione laudatur. Praeterea hoc primum erga optimum imperatorem piorum ciuium officium est, insequi dissimiles. Neque enim satis amarint bonos principes, qui ma-
3 los satis non oderint. Adiice, quod imperatoris nostri non aliud amplius ac diffusius meritum est, quam quod insectari malos principes tutum
4 est. An excidit dolori nostro modo vindicatus Nero? permitteret, credo, famam vitamque eius carpi, qui mortem vlciscebatur: nec vt in se dicta interpretaretur, quae de simillimo dicerentur.
5 Quare ego te, Caesar, muneribus omnibus tuis,

LIII. 4. *vindicatus Nero*) a Domitiano, qui illius caussa Epaphroditum a libellis damnauit. *Sueton. c.* 14. *extr.* & antea Vitellius exsequias Neronis, humiliter sepultas, honorauerat. *Eutrop. VII*, 12.

permitteret, credo] Ironia. Nam hoc vult dicere: etsi Domitianus mortem Neronis vltus est, non tamen permissurus esset famam & vitam eius carpi, ratus se per illius reprehensionem carpi & notari.

vt in se dicta) quemadmodum Heluidium iuniorem Domitianus occidit, *quasi scenicu exordio sub persona Paridis & Oenones diuortium suum cum vxore taxasset*. Sueton. 10.

5. *Quare ego te*] Lipsio superuacuum *te*, sed vtcumque tolerari potest.

omni-

omnibus comparo, multis antepono, quod licet nobis & in praeteritum de malis imperatoribus quotidie vindicari, & futuros sub exemplo praemonere, nullum locum, nullum esse tempus, quo funestorum principum manes a posterorum exsecrationibus conquiescant. Quo constantius, 6
P. C. & dolores nostros & gaudia proferamus; ingemiscamus illis, quae patiebamur. Simul vtrumque faciendum est sub bono principe. Hoc secreta nostra, hoc sermones, hoc ipsae gratiarum actiones agant, meminerintque, sic maxime laudari incolumem imperatorem, si priores, secus meriti, reprehendantur. Nam quum de malo principe posteri tacent, manifestum est, eadem facere praesentem.

LIV. Et quis iam locus miserae adulationis manebat, quum laudes imperatorum ludis etiam & commissionibus celebrarentur, saltarenturque, atque in omne ludibrium effeminatis vocibus, modis, gestibus frangerentur? Sed illud indignum, quod eodem tempore in senatu & in scena ab histrione & a consule laudabantur. Tu pro- 2
cul a tui cultu ludicras artes remouisti. Seria ergo te carmina, honorque aeternus annalium, non haec breuis & pudenda praedicatio colit: quin etiam tanto maiore consensu in venerationem tui theatra ipsa consurgent, quanto magis

LIV. 1. *commissionibus*) Lipsio & Casaubono iudicibus pro vulgato *comessationibus*, ita legendum. *Commissiones* enim ludorum sunt, de quibus lib. VII. ep. 24. n. . . renoluatur. Addi Casaubonus potest in Sueton. Aug. c. 89. extr.

2. *consurgent*) Consurrectio honoris exhibendi

de

3 de te scenae silebunt. Sed quid ego istud admiror, quum eos quoque honores, qui tibi a nobis offeruntur aut delibare parcissime, aut omnino soleas recusare? Nihil ante tam vulgare, tam paruum in senatu agebatur, vt non laudibus principum immoraretur, quibuscumque censendi
4 necessitas accidisset. De ampliando numero gladiatorum, aut de instituendo collegio fabrorum consulebamur, & quasi prolatis imperii finibus, nunc ingentes arcus, accessurosque templorum fastigium titulos, nunc menses etiam, nec hos singulos nomini Caesarum dicabamus: patiebantur illi, &, quasi meruissent, laetabantur.
5 At nunc quis nostrum, tamquam oblitus eius, de quo refertur, censendi officium principis honore consumit? Tuae moderationis haec laus,

---

signum. Dialog. de causs. corr. eloq. c. 13. *Populus auditis in theatro versibus Virgilii, surrexit vniuersus, & forte praesentem spectantemque Virgilium veneratus est sic, quasi Augustum.*

3. *censendi*] sententiam ferendi. Vid. l. IX epist. 13. n. 13.

4. *nunc menses etiam*) quia Domitianus Septembrem *Germanicum*, ex falsae victoriae suae nomine, Octobrem *Domitianum* appellari instituerat, consentiente per adulationem, vt moris erat, senatu: quod praeter Suetonium c. 13. etiam Martialis eleganti epigrammate (IX, 2.) prodit:

Dum Ianus hiemes, Domitianus auctumnos,
Augustus annis commodabit aestates:
Dum grande famuli nomen asseret Rheni
Germanicarum magna lux Kalendarum.

nec hos singulos Augustus & Iulius singulorum mensium nomine, non plurium, honorati: Domitianus sibi duos menses postulauit.

con-

constantia nostra; & tibi obsequimur, quod in curiam, non ad certamen adulationum, sed ad vsum munusque iustitiae conuenimus: hanc simplicitati tuae veritatique gratiam relaturi, vt te, quae vis, velle, quae non vis, nolle credamus. Incipimus inde, desinimus ibi, a quo incipi, in 6
quo desini sub alio principe non posset. Nam plerosque ex decretis honoribus, & alii non receperunt: nemo ante tantus fuit, vt crederetur noluisse decerni. Quod ego titulis omnibus spe- 7
ciosius reor, quando non trabibus aut saxis nomen tuum, sed monimentis aeternae laudis inciditur.

LV. Ibit in secula, fuisse principem, cui florenti & incolumi nunquam nisi modici honores, saepius nulli decernerentur. Et sane, si velimus 2
cum priorum temporum necessitate certare, vincemur. Ingeniosior est enim ad excogitandum simulatio veritate, seruitus libertate, metus amore. Simul quum iampridem nouitas omnis adu- 3
latione consumta sit, non alius erga te nouus ho-

---

5. *constantia nostra*) Quod antea negauerat senatus, in adulationem compositi, constantiam, & quidam codices *constantiae* referunt; non dubitat Lipsius *non constantiae nostrae* legendum esse.

6. *sub alio principe*) quia exordium & clausula orationum in laudibus principis, vtut pessimi, terebantur.

alii non receperunt] vt Tiberius apud Sueton. c. 67.

LV. 1. *Ibit in secula*) Semper praedicabitur. Silius lib. II. v. 511. *in secula mittam*: & lib. XII. v. 311.

factoque in secula ituro.

Et Claudianus Panegyr. Mallii Theod. v. 115.

nascentes ibant in secula libri.

nor

nor supereſt, quam ſi aliquando de te tacere au-
4 deamus. Age, ſi quando pietas noſtra ſilentium
rupit, & verecundiam tuam vicit, quae qualiaque
decernimus nos, tu non recuſas; vt appareat, non
ſuperbia & faſtidio te ampliſſimos honores repu-
5 diare, qui minores non dedigneris. Pulcrius
hoc, Caeſar, quam ſi recuſares omnes: nam re-
cuſare omnes, ambitionis; moderationis eſt, eli-
gere parciſſimos. Quo temperamento & nobis
& aerario prodes, quod ſumtibus eius adhibes
modum, & qui exhauſtum non ſis innocentium
6 bonis repleturus. Stant igitur effigies tuae, qua-
les olim ob egregia in rempublicam merita priua-
tis dicabantur. Viſuntur eadem e materia Cae-
ſaris ſtatuae, qua Brutorum, qua Camillorum.
7 Nec diſcrepat cauſſa. Illi enim reges hoſtemque
victorem moenibus depulerunt: hic regnum
ipſum, quaeque alia captiuitas gignit, arcet ac
ſubmouet, ſedemque obtinet principis, ne ſit
8 domino locus. Ac mihi intuenti in ſapientiam
tuam, minus mirum videtur, quod mortales iſtos
caducosque titulos aut depreceris aut temperes.
Scis enim vbi vera principis, vbi ſempiterna ſit

---

4. *pietas ſilentium rupit*) coegit de laudare, & honores decernere.

6. *e materia*) ex aere aut lapide. Domitianus autem non niſi aureas & argenteas ſtatuas in Capitolio ſibi poni permiſit. *Suet.* 13.

Brutorum, Camillorum) Synecdoche. Vnius Bruti, regum exactoris: vnius Camilli, victoris Senonum Gallorum.

gloria;

gloria; vbi sint honores, in quos nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus liceat. Arcus 9
enim & statuas, aras etiam templaque demolitur & obscurat obliuio, negligit carpitque posteritas: contra, contemtor ambitionis, & infinitae potestatis domitor ac fraenator animus ipsa vetustate floreſcit, nec ab vllis magis laudatur, quam quibus minime necesse est. Praeterea, vt quisquis factus est princeps, ex templo fama eius, incertum bona an mala, ceterum aeterna est. Non 10
ergo perpetua principi fama, quae inuitum manet, sed bona concupiscenda est. Ea porro non imaginibus & statuis, sed virtute ac meritis prorogatur. Quin etiam leuiora haec, formam prin- 11
cipis figuramque, non aurum melius vel argentum, quam fauor hominum exprimat tenetque. Quod quidem prolixe tibi cumulateque contingit, cuius laetissima facies & amabilis vultus in omnium ciuium ore, oculis, animo sedet.

LVI. Adnotasse vos credo, patres conscripti, iamdudum me non eligere, quae referam. Propositum est enim mihi, principem laudare, non principis facta. Nam laudabilia multa etiam

8. *in quos nihil flammis*] Hoc Cicero persequutus est pro Marcello c. 4.

11. *vultus in omnium ciuium ore*) Nazarius Panegyr. Constantini c. 12. *Aboleri hic vultus non potest; vniuersorum pectoribus infixus est; nec commendatione cerae aut pigmentorum fucis retinet, sed desiderio efflorescit animorum.* Haec est *forma* illa *mentis aeterna*, quam Tacitus in Agric. extr. laudat, & *imbecillis vultus ac mortalibus simulacris* opponit.

mali

mali faciunt; ipse laudari, nisi optimus, non potest. Quare non alia maior, imperator auguste, gloria tua, quam quod agentibus tibi gratias nihil velandum est, nihil omittendum est.
2 Quid est enim in principatu tuo, quod cuiusque praedicatio vel transilire vel praeteruehi debeat? quod momentum, quod immo temporis punctum aut beneficio sterile, aut vacuum laude? num omnia eiusmodi, vt is optime te laudasse videatur, qui narrauerit fidelissime? Quo fit, vt prope in immensum diffundatur oratio mea, &
3 necdum de biennio loquor. Quam multa dixi de moderatione, & quanto plura adhuc restant? vt illud, quod secundum consulatum recepisti, quia princeps & pater deferebat. At postquam ad te imperii summam, & cum omnium rerum, tum etiam tui potestatem dii transtulerint, tertium consulatum recusasti, quum agere tam bo-
4 num consulem posses. Magnum est, differre honorem; gloriam, maius. Gestum consulatum mirer, an non receptum? gestus non in hoc vrbis otio, & intimo sinu pacis, sed iuxta barbaras

---

LVI. 2. *de biennio*) imperii Traiani.

3. *secundum consulatum*) Hunc iniit Traianus adoptatus, superstite Nerua: primum gesserat sub Domitiano *cap.* 57. *n.* 3.

tui potestatem) Nerua patre defuncto.

4. *differre honorem*] magistratum, munus honorificum.

gloriam, maius) gloriam ex bene gerendo magistratu dilatam velle maius est.

gestum consulatum) secundum.

iuxta barbaras gentes) in Germania.

gentes:

gentes: vt illi solebant, quibus erat moris paludamento mutare praetextam, ignotasque terras victoria sequi. Pulcrum imperio, glorioſum tibi quum te ſocii atque amici ſua in patria, ſuis in ſedibus adierunt. Decora facies conſulis: multa poſt ſecula tribunal viridi ceſpite exſtructum, nec faſcium tantum, ſed pilorum ſignorumque honore circumdatum. Augebant maieſtatem praeſidentis diuerſi poſtulantium habitus, ac diſſonae voces, raraque ſine interprete oratio. Magnificum eſt, ciuibus iura, quid hoſtibus, reddere? ſpecioſum, certam fori pacem, quid immanes campos ſella curuli? victorisque veſtigio premere? imminere minacibus ripis tutum quietumque, quid ſpernere barbaros fremitus? hoſtilemque terrorem non armorum magis, quam togarum oſtentatione compeſcere?

quibus erat moris] priſcis conſulibus id moris erat, vt in expeditionem bellicam profecturi, praetextam togam, magiſtratus in vrbe inſigne, ponerent, paludatique, votis factis, exirent. Vid. Lipſ. Mil. R. lib. II. dial. vit.

5. *ſocii atque amici*) ad Germaniae fines, Vbii, Bataui, & horum accolae.

tribunal viridi ceſpite) Tribunal caſtrenſe, ex ceſpite factum. Tacitus annal. l. c. 18. *congerunt ceſpites, exſtruunt tribunal.* Et Statius lib. V. Silu. II. v. 144.

Hic ſuetus dare iura parens: hoc ceſpite turmas
Adfari.

6. *poſtulantium*) ius petentium.

7. *ſella curuli*] qua ſedebat imperator in ceſpiticio tribunali.

barbaros fremitus) Germanorum murmur, quod ante proelium edebatur. *Tacit. Germ. c.* 3.

Ita-

8 Itaque non te apud imagines, sed ipsum praesentem audientemque consalutabant imperatorem, nomenque quod alii domitis hostibus, tu contemtis merebare.

LVII. Haec laus acti consulatus; illa dilati, quod adhuc initio principatus, vt iam excusatus honoribus & expletus, consulatum recusasti, quem noui imperatores destinatum aliis in se
2 transferebant. Fuit etiam qui in principatus sui fine consulatum quem dederat, ipse magna ex parte iam gestum extorqueret & raperet. Hoc ergo honore, quem & incipientes principes & desinentes adeo concupiscunt, vt auferant; tu,
3 otioso ac vacante, priuatis cessisti. Inuidiosusne erat aut tibi tertius consulatus, aut principi primus? Nam secundum imperator quidem, sub imperatore tamen, inisti: nihilque imputari in eo vel honori potest vel exemplo, nisi obsequium.
4 Ita vero quae ciuitas quinquies, atque etiam sexies, consules vidit, non illos, qui exspirante iam libertate per vim ac tumultum creabantur, sed quibus sepositis & absentibus in rura sua consula-

---

8. *non te apud imagines*) Principum imagines adorare, obsequii non subiectionis signum erat. Exemplum cape ex Tacit. XV. c. 29. n. 5.

LVII. 1. *vt iam excusatus*) quasi iam satur honorum.

2. *otioso ac vacante*] quum otiosus consulatus vacaret, exstincto Nerua.

4. *non illos, qui exspirante*) Marium Lipsius, & Iulium Caesarem intelligit, quorum multiplicati consulatus notissimi.

absentibus in rura sua) vt Atilio Serrano, de quo maior Plinius H. N. lib. XVIII. c. 3. *serentem inuene-*

tus

tus ferebantur; in hac ciuitate tertium consulatum princeps generis humani, vt pergrauem, recusasti? Tantone Papyriis etiam & Quinctiis moderatior Augustus, & Caesar, & pater patriae. At illos respublica ciebat; quid? te non eadem respublica? non senatus? non consulatus ipse, qui sibi tuis humeris attolli & augescere videtur? 5

LVIII. Non te ad exemplar eius voco, qui continuis consulatibus fecerat longum quemdam & sine discrimine annum: his te confero, quos certum est, quoties consules fuerunt, non sibi praestitisse. Erat in senatu ter consul, quum tu tertium consulatum recusabas. Onerosum ne- 2
scio quid verecundiae tuae consensus noster indixerat, vt princeps toties consul esses, quoties senator tuus, nimia modestia istud etiam priua-

---

runt dati honores. Forsan Papirio & Quinctio, qui mox laudantur, idem contigit.

5. *Papiriis etiam & Quinctiis*) L. Papirio Cursori quinquies, & T. Quinctio Barbato, sexies consuli, vt in Fastis est.

Augustus & Caesar) tu tantis iam titulis ac honoribus euectus.

LVIII. 1. *ad exemplar eius*) Domitiani, de quo Sueton. c. 13. *Consulatus XVII cepit*; *quod ante eum nemo.*

non sibi praestitisse) non suae, sed publicae vtilitatis caussa consulatum gessisse.

Erat in senatu ter consul) Lipsius & Liuineius ad Silium Italicum, tum quidem absentem in Campania (*lib. III. epist. 7. n. 6*) referri posse existimant, quod alius ex obscuris illorum temporum fastis haberi non possit.

2. *nimia modestia istud*) Sextus casus *modestia.* Sensus autem: Nimis modestus esses, si priuatus recusasses; quanto magis princeps? Priuatus autem omnis, qui non princeps siue Caesar.

tus

3 tus recusasses. An consularis viri triumphalis-
que filius, quum tertio consul creatur, adscendit?
non debitum hoc illi, non vel sola generis clari-
4 tate promeritum? Contigit ergo priuatis aperire
annum, fastosque reserare: & hoc quoque red-
ditae libertatis indicium fuit, quod consul alius,
quam Caesar esset. Sic exactis regibus coepit
liber annus: sic olim seruitus pulsa, priuata fastis
5 nomina induxit. miseros ambitionis, qui ita con-
sules semper, vt semper principes erant: quam-
quam non ambitio magis, quam liuor & malignitas videri potest, omnes annos possidere, summumque illud purpurae decus non nisi praecerptum praefloratumque transmittere. Tuam vero magnanimitatem, an modestiam, an benignitatem prius mirer? Magnanimitas fuit, expetito semper honore abstinere: modestia, cedere: benignitas, per alios frui.

---

3. *consularis viri triumphalisque filius*) Traianus. Vid. supra c. 9. n. 2.

4. *Contigit ergo priuatis*) quibus id honoris Domitianus inuiderat. *num.* 5.

aperire annum) Consul ordinarius, qui calendis Ianuariis magistratum iniit, *aperire annum* dicebatur. Statius ineunte IV Siluarum, de Domitiano:

insignemque aperit Germanicus annum.

fastosque reserare) Nomina ordinariorum consulum in fastis scribebantur, vt per illa annus numeraretur.

liber annus) noua sc. regiminis forma, quae consulatus erat. *Herz.*

5. *praecerptum praefloratumque*) Domitianus enim plures ex XVII consulatibus ad idus vsque Ianuarias gessit: nullum vltra calendas Maii. *Suet. c.* 13. Hinc suffecti illi & extraordinarii consules, qui fastos turbant.

LIX.

LIX. Sed iam tempus est, te ipsi consulatui praestare, vt maiorem eum suscipiendo gerendoque facias. Nam saepius recusare, ambiguam ac potius illam interpretationem habet, tamquam minorem putes. Tu quidem vt maximum recusasti: sed hoc persuadere nemini poteris, nisi aliquando & non recusaueris. Quum arcus, 2
quum tropaea, quum statuas deprecaris, tribuenda est verecundiae tuae venia; illa enim sane tibi dicantur: nunc vero postulamus, vt futuros principes doceas inertiae renuntiare, paullisper delicias differre, paullisper, & saltem ad breuissimum tempus, ex illo felicitatis somno velut excitari, induere praetextam, quam quum dare possent, occuparint: adscendere curulem, quam detineant: esse denique, quod concupierunt, nec ideo tantum velle consules fieri, vt fuerint. Gessisti alterum consulatum, scio: illum exercitibus, 3
illum prouinciis, illum etiam ceteris gentibus poteris imputare, non potes nobis. Audiuimus quidem te omne munus consulis obiisse, sed audiuimus: diceris iustissimus, humanissimus, pa-

LIX. 2. *excitari*) Alii *excitatos*. vid. Grut.

quam quum dare possent) Quam antea populus suffragiis, nunc principes arbitrio suo praetextam consularem dabant.

quam detineant) nunquam relinquant.

esse denique) esse reuera consules, & facere officium consulare.

vt fuerint) i. e. vt anni ex eorum consulatu describerentur, licet ipsi non facerent, quae consulis essent. *Herz.*

tientissimus fuisse, sed diceris: aequum est aliquando nos iudicio nostro, nostris oculis, non
4 famae semper & rumoribus credere. Quousque absentes de absente gaudebimus? Liceat experiri, an aliquid superbiae tibi ille ipse secundus consulatus attulerit. Multum in commutandis moribus hominum medius annus valet, in principum plus. Dicimus quidem, cui virtus aliqua
5 contingat, omnes inesse: cupimus tamen experiri, an nunc quoque vna eademque res sit, bonus
6 consul & bonus princeps. Nam praeter id, quod est arduum, duas, easque simul, capere potestates summas, tum inest vtrique nonnulla diuersitas, quum principem quam dissimillimum consuli deceat.

LX. Atque ego video, proximo anno consulatus recusandi hanc praecipuam fuisse rationem, quod eum absens gerere non poteras: sed iam vrbi votisque publicis redditus, quid est, in quo magis sis approbaturus, quae quantaque fuerint quae desiderabamus? Parum est, vt in curiam venias, nisi & conuocas: vt interfis senatui, nisi & praesides: vt censentes audias, nisi & perrogas.
2 Vis illud augustissimum consul aliquando tribunal maiestati suae reddere? adscende. Vis, constare reuerentiam magistratibus, legibus auctoritatem, modestiam postulantibus? adi. Quid

4. *medius annus*) qui iam effluxit a tuo consulatu II.

LX 2. *postulantibus*) importune petentibus. Quidam *petulantibus*, puta cauillidicis.

adi) Lips. *audi*, quod frigidum schema, post *adscende*, ponere *adi*.

enim

enim interesset reipublicae, si priuatus esses, consulem te haberet tantum, an & senatorem? hoc nunc scito interesse, principem te habeat tantum, an & consulem. His tot tantisque 4
rationibus, quamquam multum reluctata, verecundia principis nostri tandem tamen cessit. At quemadmodum cessit? Non, se vt priuatis, sed vt priuatos pares sibi faceret. Recepit enim 5
tertium consulatum, vt daret: nouerat moderationem hominum, nouerat pudorem, qui non sustinerent tertio consules esse, nisi cum ter consule. Bellorum istud sociis olim, periculorum consortibus, parce tamen, tribuebatur, quod tu singularibus viris, ac de te quidem bene ac fortiter meritis praestitisti, sed in toga meritis. Vtriusque cura, vtriusque vigilantia obstrictus 6
es, Caesar. Sed in principe rarum, ac prope insolitum est, vt se putet obligatum, aut, si putet, amet. Debes ergo, Caesar, & soluis. Sed quum ter consules facis, non tibi magnus princeps, sed non ingratus amicus videris: quin etiam per-

---

5. *vt daret*) vt alios ter consules faceret, qui verebantur tertium consulatum inire, quem princeps non inierat.

nisi eum ter consule) i. e. nisi TV, Traiane, ter fuisses consul. *Herz.*

singularibus) Cornelius Fronto collega Traiani fuit, III consulis; & eidem post duos menses Sextus Pompeius suffectus fuit. *Onufr.*

6. *aut si putet, amet*) quia odisse solent tyranni, quibus maxime debent, quod probrosum putant, suam fortunam ab alio pendere.

quam modica quaedam ciuium merita fortunae
7 tuae viribus in maius extollis. Efficis enim, vt tantum tibi quisque praestitisse videatur, quantum a te recepit. Quid isti benignitati precer? nisi vt semper obliges, obligeris: incertumque facias, vtrum magis expediat ciuibus tuis debere tibi, an praestitisse.

LXI. Equidem illum antiquum senatum contueri videbar, quum ter consule adsidente, tertio consulem designatum rogari sententiam cernerem. Quanti tunc illi, quantusque tu? Accidit quidem, vt corpora quamlibet ardua & excelsa procerioribus admota decrescant; item vt altissimae ciuium dignitates collatione fastigii tui quasi deprimantur; quantoque propius ad magnitudinem tuam adscenderint, tanto etiam a sua
3 descendisse videantur: illos tamen tu, quamquam non potuisti tibi aequare, quum velles, adeo in edito collocasti, vt tantum super ceteros, quantum infra te cernerentur. Si vnius tertium con-

---

7. *praestitisse videatur*) i. e. vt quisque putet, se non alia ex caussa recipere a te tantum beneficiorum, quam quia multa merita habet, multaque tibi praestitit. *Herz.*

debere tibi, an praestitisse) an expediat magis, accepisse a te beneficium quam tibi dare (quod *praestare* est) quia illico largius rependis. Acute. *Lipsius.*

LXI. 1. *ter consule adsidente*) Traiano ter consuli praesidenti, adsidebat ter consul collega, Fronto forsan; & sententiam rogabatur ter consul designatus, qui post menses aliquot sufficeretur. Adi Lipsium.

2. *decrescant*) aestimio sc. magnitudinis, dum ad maiora comparata minora videntur. *Herz.*

4. *Si vnius*) Frontonis.

sula-

sulatum eumdem in annum, in quem tuum, contulisses, ingentis animi specimen haberetur. Vt enim felicitatis est, quantum velis posse, sic magnitudinis, velle quantum possis. Laudandus quidem & ille, qui tertium consulatum meruit, sed magis, sub quo meruit: magnus memorandusque, qui tantum praemium cepit, sed maior, qui capienti dedit. Quid? quod duos pariter tertio consulatu collegas tui sanctitate decorasti? vt sit nemini dubium, hanc tibi praecipuam caussam fuisse extendendi consulatus tui, vt duorum consulatus amplecteretur, & collegam te vni daret. Vterque nuper consulatum alterum gesserat a patre tuo, id est, quanto minus quam a te datum. Vtriusque adhuc oculis paullò ante dimissi fasces oberrabant: vtriusque solemnis ille lictorum & praenuntius clamor auribus insederat, quum rursus curulis, rursusque purpura, vt olim, quum hostis in proximo, & in summum discrimen adducta respublica expertum honoribus

5. *sub quo meruit*) quia sub malo principe non licuit merere.

6. *duos*) Frontonem scilicet & Sextum Pompeium. v. c. LX. n. 5. notas. *Herz.*

7. *praenuntius clamor*) animaduertentium. Hoc enim aeque solemne lictorum verbum, ac *submouere* erat. Liuius XXIV. c. 44. *Consul animaduertere proximum lictorem iussit, & is inclamauit*, ac reliqua. Et Suetonius Caes. c. 80. *Quum lictor animaduerti ex more iussisset.* Quidquid honoris venienti magistratui haberi solebat, hoc verbo, Lipsio interprete, significabatur, vt adsurgere, caput aperire, equo vel curru descendere, ferrum ponere, & si quid tale. *Lipsi. Elect. I, 23.*

virum poſceret, non conſulatus hominibus iisdem, ſed iidem homines conſulatibus reddebantur. 8 Tanta tibi benefaciendi vis, vt indulgentiam tuam neceſſitas aemuletur. Modo praetextas exuerant, reſumant: modo lictores abire iuſſerant, reuocent: modo gratulantes amici receſſerant, reuertantur. 9 Hominisne iſtud ingenium eſt, hominis poteſtas, renouare gaudia, redintegrare laetitiam, nullamque requiem gratulationis dare, neque alia repetendis conſulatibus 10 interualla permittere, niſi dum finiuntur? Facias iſta ſemper, nec vnquam in hoc opere aut animus tuus aut fortuna laſſetur: des quamplurimis tertios conſulatus, &, quum plurimis tertios conſulatus dederis, ſemper tamen plures, quibus debeas dare, ſuperſint.

LXII. Omnium quidem beneficiorum, quae merentibus tribuuntur, non ad ipſos gaudium magis, quam ad ſimiles redundat: praecipue tamen ex horum conſulatu non ad partem aliquam

expertum honoribus virum) vt Marium bello Cimbrico.

non conſulatus hominibus) Talis figura, quum Valer. Maxim. VII, 5. de Catonis repulſa dicit: *Non Catoni tunc praetura; ſed praeturae Cato negatus eſt.*

8. *vt indulgentiam tuam neceſſitas*) Dictum voluit: Quod tua benignitas facit, hoc idem apud alios neceſſitas non tam imitatur, quam paria vſurpat. *Lipſ.* Nempe optimos & expertos honoribus ac virtute conſules creare, licet ſaepius antea fuiſſent.

9. *niſi dum finiuntur*) niſi quantum neceſſe eſt, vt finito vno conſulatu, alter incipiat. *Baun.* Obſeruat vero ex Onufrio Lipſius, oratorie haec dici; nam annum & vltra interfuiſſe.

senatus, sed ad totum senatum tanta laetitia peruenit, vt eumdem honorem omnes sibi & dediſſe & accepiſſe videantur. Nempe enim hi ſunt, 2
quos ſenatus, quum publicis ſumtibus minuendis optimum quemque praeficeret, elegit equidem primos. Hoc eſt igitur, hoc eſt, quod penitus illos animo Caeſaris inſinuauit. An parum 3
ſaepe experti ſumus, hanc eſſe rerum conditionem, vt ſenatus fauor apud principem aut proſit aut noceat? Nonne paullo ante nihil magis exitiale erat, quam illa principis cogitatio? Hunc ſenatus probat, hic ſenatui carus eſt. Oderat quos nos amaremus; ſed & nos, quos ille. Nunc 4
inter principem ſenatumque digniſſimi cuiusque caritate certatur: demonſtramus inuicem, credimus inuicem, quodque maximum amoris mutui ſignum eſt, eosdem amamus. Proinde, pa- 5
tres conſcripti, fauete aperte, diligite conſtanter: non iam diſſimulandus eſt amor, ne noceat; non premendum odium, ne proſit: eadem Caeſar, quae ſenatus, probat improbatque: vos ille praeſentes, vos etiam abſentes in conſilio habet: tertio conſules fecit, quos vos elegeratis, & fecit hoc ordine, quo electi a vobis erant. Magnus vter- 6

LXII. 2. *publicis ſumtibus minuendis*) ſub Nerua, qui ſenatui ſuam auctoritatem reſtituit, ipſe συνέλλων, ὡς οἷόν τε, δαπανήματα. *ſumtus, quantum fieri poterat, contrahens.* Xiphil. Adde lib. II. ep. 1. n. 9.

5. *ne proſit*) ne odium noſtrum aduerſus malos, proſit iisdem apud malum principem, qui malos & ſui ſimiles eo magis tuetur ac prouehit, quo maiori odio videt illos bonis eſſe.

que honor veſter, ſiue eosdem maxime diligit, quos ſcit nobis eſſe cariſſimos; ſiue illis neminem praefert, quamuis aliquem magis amet.
7 Propoſita ſunt ſenioribus praemia, iuuenibus exempla: adeant, frequentent ſecuras tandem ac patentes domos. Quisquis probatos ſenatui viros ſuſcipit, hic maxime principem promeretur.
8 Sibi enim accreſcere putat, quod cuique adſtruatur: nullamque in eo gloriam ponit, quod ſit omnibus maior, niſi maximi fuerint, quibus ma-
9 ior eſt. Perſta, Caeſar, in iſta ratione propoſiti, talesque nos crede, qualis fama cuiusque eſt: huic aures, huic oculos intende: ne reſpexeris clandeſtinas exiſtimationes, nullisque magis, quam audientibus, inſidiantes ſuſurros. Melius omnibus, quam ſingulis, creditur. Singuli enim decipere & decipi poſſunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.

LXIII Reuertor iam ad conſulatum tuum, etſi ſunt quaedam ad conſulatum quidem per-

6. *Magnus vterque honor veſter*) ad ſenatum loquitur. *Vterque*, quia amat princeps, quos vos amatis: vel ſi non tantum amat, quantum vos, tamen veſtrum iudicium ſequitur. Lipſio etiam *vtique* in mentem veniebat. Ceterum, vt nos edidimus, contra Catanaeum ex MSS. tuetur Liuineius.

7. *promeretur*) ſibi deuincit principem & gratiam principis, quin & ipſum principem meretur. *Herz.*

8. *quod ſit omnibus maior - - maior eſt*) i. e. Traianus ſibi glorioſum non putet, quod ipſe tamquam Caeſar ſit omnibus ſenatoribus maior, niſi illi ad maximas dignitates peruenerint, prae quibus Traianus eminet. *Herz.*

9. *clandeſtinas*) delatorum & ſimilium.

tinen-

tinentia, ante consulatum tamen, inprimis quod comitiis tuis interfuisti candidatus, non consulatus tantum, sed immortalitatis & gloriae, & exempli, quod sequerentur boni principes, mali mirarentur. Vidit te populus Romanus in illa 2
vetere potestatis suae sede: perpessus es longum illud carmen comitiorum, nec iam irridendam moram: consulque sic factus es, vt vnus ex nobis, quos facis consules. Quotusquisque principum 3
antecedentium honorem istum aut consulatui habuit, aut populo? Non alii marcidi somno, hesternaque coena redundantes, comitiorum suorum nuntios operiebantur? Alii sane peruigiles & insomnes, sed intra cubilia sua illis ipsis consulibus, a quibus consules renuntiabantur, exsilia & caedem machinabantur. O praua & 4
inscia verae maiestatis ambitio, concupiscere honorem, quem dedigneris: dedignari, quem concupiscas: quumque ex proximis hortis campum & comitia prospectes, sic ab illis abesse, tamquam

LXIII. 1. *candidatus*) in campum descendisti, vbi consularia comitia habebantur.

immortalitatis) Metaphorice, vt *aeternitatis candidati*, apud Tertullianum de Resurr. c. LVIII.

2. *in illa vetere potestatis suae sede*) in loco comitiorum, vbi populus olim ius suum & potestatem in honoribus dandis libere exercebat.

longum illud carmen) precationem solemnitati comitiali praemissam. Vide dicta ad huius Panegyrici cap. 3. extrem.

irridendam moram) dicis caussa factam, quia iam ante, quam comitia haberentur, omnibus notum erat, principem creatum iri consulem.

5 Danubio Rhenoque dirimare! Auerseris tu honori tuo sperata suffragia, renuntiarique te consulem iussisse contentus, liberae ciuitati ne simulationem quidem serues? Abstineas denique comitiis abstrusus atque abditus, quasi illic tibi non
6 consulatus detur, sed abrogetur imperium. Haec persuasio superbissimis dominis erat, vt sibi viderentur principes esse desinere, si quid facerent tamquam senatores. Plerique tamen non tam superbia, quam metu quodam submouebantur.
7 An stuprorum sibi, incestarumque noctium conscii auspicia polluere, sacratumque campum ne-

4. *tamquam Danubio Rhenoque*) tamquam in Dacia aut Germania belli gerendi caussa agerent.

5. *Auerseris tu*) Interrogatio negationem valet: Tu non auersaris morem antiquum per suffragia, quum alii principes tantum iussisse se renuntiari, ne simulauerint quidem gratum sibi esse populi studium. *Cell.* Per sermocinationem pergit Plinius alloqui iam Traianum, & per communicationis schema ex ipso, & quolibet auditorum exquirere, an ipse etiam ex dignitate actum putaret &c. *auersari honori sperata suffragia* &c. *Herz.*

liberae ciuitati) vt primi Caesares eam vmbram libertatis reliquerant, vt, titibus seruatis, per populum agi viderentur, quae fierent arbitrio principis. Cremit libertas sub Nerua, qui illam cum principatu commiscuit. *Tacit. Agr.* 3.

6. *senatores*) ex senatu enim comitiis consularibus praeerant consules, & qui ex senatu dignitatem ambientes profitebantur nomen suum, in campum descendere non solebant, licet ex remotiore loco comitia spectarent, ipsi etiam candidati a senatoribus populo commendabantur. *Herz.*

7. *sacratumque campum*) Marti sacratum; etiam

sario

fario auderent contaminare vestigio? non adeo deos hominesque contemserant, vt in illa spatiosissima sede hominum deorumque coniectos in se oculos ferre ac perpeti possent. Tibi contra 8
& moderatio tua suasit, & sanctitas, vt te & religioni deorum & iudiciis hominum exhiberes. Alii consulatum, antequam acciperent, tu & dum accipis, meruisti.

LXIV. Peracta erant solemnia comitiorum, si principem cogitares, iamque se omnis turba commouerat, quum tu, mirantibus cunctis, accedis ad consulis sellam: adigendum te praebes in verba principibus ignota, nisi quum iurare cogerent alios. Vides, quam necessarium fuerit consulatum non recusare? non putassemus, istud facturum te fuisse, si recusasses. Stupeo, P. C. 2
necdum satis aut oculis meis aut auribus credo: atque idemtidem me, an audierim, an viderim, interrogo. Imperator ergo, & Caesar, & Augustus, pontifex maximus, stetit ante gremium consulis; seditque consul principe ante se stante: & sedit inturbatus, interritus, & tamquam ita fieri sole-

aliorum deorum aedibus pars campi ornata, vt Strabo lib. V. p. 163. descripsit.

LXIV. 1. *se turba commouerat*) vt abiret, tamquam peracta re.

ad consulis sellam) qui comitiis praesidebat, & iusiurandum ab renuntiatis consulibus postulabat, ex prisca consuetudine, cui se principes adhuc subduxerant.

non putassemus - - recusasses) si consulatum recusasses, non putassemus, te iusiurandum in manus consulis praestare velle; qua in opinione conuicti sumus, dum hoc oculis vidimus. *Herz.*

3 ret. Quin etiam sedens praebuit iusiurandum, & ille iurauit, expressit, explanauitque verba, quibus caput suum, domum suam, si scienter fefelliſſet, deorum irae consecraret. Ingens, Caesar, & par gloria tua, siue fecerint istud postea prin-
4 cipes, siue non fecerint. Vllane satis praedicatio digna est, idem tertio consulem feciſſe, quod primo? idem principem, quod priuatum? idem imperatorem, quod sub imperatore? Nescio iam, nescio pulcriusne sit istud, quod praeeunte nullo, an hoc, quod alio praeeunte iurasti.

LXV. In rostris quoque simili religione ipse te legibus subiecisti: legibus, Caesar, quas nemo principi scripsit. Sed tu nihil amplius vis tibi licere, quam nobis: sic fit, vt nos tibi plus velimus. Quod ego nunc primum audio, nunc primum disco, non est princeps super leges, sed
2 leges supra principem. Idem Caesari consuli, quod ceteris non licet; iurat in legem attendentibus diis. (nam cui magis quam Caesari attendant?) iurat obseruantibus his, quibus idem iurandum est: non ignarus alioqui, nemini religiosius, quod iurauerit, custodiendum, quam cuius maxime interest non peierare. Itaque &

---

4. *quod primo*) quando tamquam priuatus, vt erat, omnibus legibus campi se subiecit

praeeunte nullo) quod facere potuisset, si te, vt princeps, legibus subduxisses. *Herz.*

LXV. 1. *In rostris*) In campo iuratum a consule designato: in rostris, quum inierat calendis Ianuariis consulatum.

velimus) licere. *Herz.*

abi-

abiturus consulatu iurasti, te nihil contra leges feciſſe. Magnum hoc erat, quum promitteres: maius, poſtquam praeſtitiſti. Iam toties procedere in roſtra, inadſcenſumque illum ſuperbiae principum locum terere, hic ſuſcipere, hic ponere magiſtratus, quam dignum te, quamque diuerſum conſuetudine illorum, qui pauculis diebus geſtum conſulatum, immo non geſtum, abiiciebant per edictum. Hoc pro concione, pro roſtris, pro iureiurando, ſcilicet vt primis extrema congruerent, vtque hoc ſolo intelligerentur ipſi conſules fuiſſe, quod alii non fuiſſent. 3 4

LXVI. Non tranſiliui, patres conſcripti, principis noſtri conſulatum, ſed eumdem in locum contuli, quidquid de iureiurando dicendum erat.

---

2. *abiturus conſulatu iurasti*) Cic V. ep. 2. n. 17.

3. *inadſcenſumque*) roſtra intelligit, quae ex ſuperbia priorum principum non *adſcendebantur*, a Traiano *terebantur*. *Herz*

pauculis diebus) Sic Domitianus titulo tenus ſuſcipiebat conſularem poteſtatem, iurisdictionem ad collegam proximum transferebat, teſte Suetonio Domit. c 1. *Herz.*

immo non geſtum) qui nulla eius munia obierant.

abiiciebant) tamquam rem, quam dedignabantur, c. 63. n. 4. ſeu inferiorem maieſtate ſua.

4. *ipſi*) peſſimi iſti principes. *Herz.*

conſules fuiſſe) Supra c. 59. n. 2. extr. *ideo tantum velle conſules fieri, vt fuerint:*

LXVI. 1. *Non tranſiliui*) Dicit, propterea quod de fine conſulatus, & iureiurando, ab abeuntibus praeſtari ſolito, iam dixerit, non abſoluiſſe ſe omnia, quae dicenda de conſulatu erant, ſed tantum, quae ad iusiurandum pertinent, coniunxiſſe.

Neque enim, vt in sterili ieiunaque materia, eamdem speciem laudis diducere ac spargere, atque
2 idemtidem tractare debemus. Illuxerat primus consulatus tui dies, quo tu curiam ingressus, nunc singulos, nunc vniuersos adhortatus es resumere libertatem, capessere quasi communis imperii curas, inuigilare publicis vtilitatibus & insurgere.
3 Omnes ante te eadem ista dixerunt, nemini tamen ante te creditum est. Erant sub oculis naufragia multorum, quos, insidiosa tranquillitate prouectos, improuisus turbo perculerat. Quod enim tam infidum mare, quam blanditiae principum illorum, quibus tanta leuitas, tanta fraus, vt
4 facilius esset iratos, quam propitios habere? Te vero securi & alacres, quo vocas, sequimur. Iubes esse liberos: erimus. Iubes, quae sentimus, promere in medium: proferemus. Neque enim adhuc ignauia quadam & insito torpore cessauimus. Terror, & metus, & misera illa ex periculis facta prudentia monebat, vt a republica (erat autem omnino nulla respublica) oculos, aures,

---

2. *adhortatus es resumere*) Graecismus.

insurgere) ex quietis sede & torpore ad succurrendum publicis vtilitatibus. *Herz.*

3. *Omnes ante te eadem*) vt Tiberius apud Tacit. Annal. I c. 11. n. 4. Sed addit historicus, *plus in oratione dignitatis quam fidei fuisse.*

insidiosa tranquillitate) Tyrannorum scilicet, qui insidias struentes, se tamen illas minitari celabant eos, contra quos necis aut exilii consilium agitabant. *Herz.*

improuisus turbo) Nam *inopinatae* Domitianus *sacuitiae*, Sust. c. 11.

ani-

animos auerteremus: at nunc tua dextera tuisque promissis freti & innixi, obsepta diutina seruitute, ora reseramus, frenatamque tot malis linguam resoluimus. Vis enim tales esse nos, quales iubes, nihilque exhortationibus tuis fucatum, nihil subdolum, denique quod credentem fallere paret, non sine periculo fallentis. Neque enim vnquam deceptus est princeps, nisi qui prius ipse decepit. 5

LXVII Equidem hunc parentis publici sensum cum exhortatione eius, tum pronuntiatione ipsa perspexisse videor. Quae enim illa grauitas sententiarum? quam inadfectata veritas verborum? quae adseueratio in voce? quae adfirmatio in vultu? quanta in oculis, habitu, gestu, toto denique corpore fides? Tenebit ergo semper, quod suaserit, scietque nos, quoties libertatem, quam dedit, experiemur, sibi parere. Nec verendum est, ne incautos putet, si fidelitate temporum constanter vtamur, quos meminit sub malo principe aliter vixisse. Nuncupare vota & pro aeternitate imperii, & pro salute ciuium, immo pro salute principum, ac propter illos pro aeternitate imperii solebamus. Haec pro imperio nostro in quae sint verba suscepta operae pretium est adnotare, SI BENE REMPVBLI- 2 3 4

5. *tua dextera*) fidei datae pignus.

frenatam linguam) ademto per inquisitiones & loquendi audiendique commercio. *Tacit. Agr.* 2.

LXVII. 2. *libertatem*) sensa animorum depromendi *Herz.*

sibi parere) sciet nos sibi Traiano obedire & imperata facere.

3. *ac propter illos*) propter principes, non propter nos, qui paremus.

CAM

CAM ET EX VTILITATE OMNIVM REXERIS. Digna vota, quae semper suscipiantur, semperque soluantur. Egit cum diis, ipso te auctore, Caesar, respublica, vt te sospitem incolumemque praestarent, si tu ceteros praestitisses: si contra, illi quoque a custodia tui corporis oculos dimouerent, teque relinquerent votis, quae non palam suscip-
6 erentur. Alii se superstites reipublicae optabant faciebantque: tibi salus tua inuisa est, si non sit cum reipublicae salute coniuncta. Nihil pro te pateris optari, nisi expediat optantibus, omnibusque annis in consilium de te deos mittis, exigisque, vt sententiam suam mutent, si talis esse-
7 desieris, qualis electus es. Sed ingenti conscientia, Caesar, pacisceris cum diis, vt te, si mereris, seruent, quum scias an merearis, neminem magis
8 quam deos scire. Nonne vobis, P. C. haec diebus ac noctibus agitare secum videtur? EGO QVIDEM IN ME, SI OMNIVM VTILITAS ITA POSCERET, ETIAM PRAEFECTI MANVM ARMAVI: SED NE DEORVM QVIDEM AVT IRAM AVT NEGLIGENTIAM DEPRECOR: QVAESO IMMO ET OBTESTOR, NE VNQVAM PRO ME VOTA RESPVBLICA INVITA SVSCIPIAT; AVT SI SVSCEPERIT INVITA, NE DEBEAT.

5. *votis, quae non palam*) ditis, imprecationibus, quae pro malis principibus clam suscipiuntur.

7. *pacisceris cum diis*) sub conditione & pacto incolumitatem petis.

8. *etiam praefecti manum*) praefecti praetorio, Surae Licinii, quem quum praeficeret, gladio porrecto dixit: Hoc pro me vtaris, si bene imperauero; sin secus, contra me. *Xiphil. p.* 248.

LXVIII. Capis ergo, Caesar, salutis tuae glo-
riosissimum fructum ex consensu deorum. Nam
quum excipias, vt ita demum te dii seruent, SI
BENE REMPVBLICAM ET EX VTILITA-
TE OMNIVM REXERIS, certus es, te bene
rempublicam gerere, quum seruent. Itaque secu- 2
rus tibi & laetus dies exit, qui principes alios cura
& metu distinebat, quum suspensi & attoniti, pa-
rumque confisi patientia nostra, hinc atque inde
publicae seruitutis nuntios exspectarent. ac si forte 3
aliquos flumina, niues, venti praepedissent, statim
hoc illud esse credebant, quod merebantur: nec
erat discrimen vllum pauoris, propterea quod,
quum a malo principe tamquam successor timea-
tur, quisquis est dignior, quum sit nemo non di-
gnior, omnes timentur. Tuam securitatem non 4
mora nuntiorum, non litterarum tarditas differt:
scis tibi vbique iurari, quum ipse iuraueris omni-

LXVIII. 2. *laetus dies exit*) Ita ex veteri libro Liuineius & Lipsius probant: alii *dies erit*. Sed etiam Seneca initio epistolae 8. *Nullus*, inquit, *mihi per otium dies exit*.

parum confisi patientia nostra) veriti, ne impatientia & seditio nostram seruitutis patientiam excipiat. Semper enim res nouas & successorem metuunt, qui caritate septi non sunt.

publicae seruitutis nuntios) qui singulis annis ex omnibus prouinciis nuntiabant, vota denuo facta, & in verba principis iuratum esse. Vide lib. X. ep. 60, 101, 103.

3. *flumina*) exundantia.

venti) aduersi Romam nauigantibus.

esse credebant, quod merebantur) defectionem prouinciarum.

bus.

bus. Nemo hoc sibi non praestat. Amamus quidem te, in quantum mereris, istud tamen non tui facimus amore, sed nostri: nec vnquam illucescat dies, quo pro te nuncupet vota non vtilitas nostra, sed fides, Caesar. Turpis tutela principis, cui potest imputari. Queri libet, quod in secreta nostra non inquirant principes, nisi quos odimus. Nam si eadem cura bonis, quae malis esset, quam vbique admirationem tui, quod gaudium exsultationemque deprehenderes? quos omnium cum coniugibus ac liberis, quos etiam cum domesticis aris focisque sermones? Scires mollissimis illis auribus parci, & alioqui quum sint odium amorque contraria, hoc perquam simile habent, quod ibi intemperantius amamus bonos principes, vbi liberius malos odimus.

LXIX. Cepisti tamen & adfectus nostri & iudicii experimentum, quantum maximum praesens capere potuisti, illo die, quo sollicitudini

---

5. *Nemo hoc sibi non praestat*) sua causa facit, non tua. *Lipsi.*

6. *Turpis tutela principis*) dominationis defensio, & in ea etiam nuncupatio votorum, sed metu expressa, non amore.

cui potest imputari) cui principi, cui nuncupationem possis imputare, ac velut beneficium inscribere. Hoc enim faciunt, qui aegre ferunt suum dominum.

7. *Si eadem cura bonis, quae malis esset*) Si tu, bonus princeps, aeque ac mali, inquireres in secreta nostra.

mollissimis) verecundis tuis auribus parci, nec omnes laudes & precationes enuntiari, quas animo de te concipimus.

pudo-

pudorique candidatorum ita consuluisti, ne vllius gaudium alterius tristitia turbaret. Alii cum laetitia, alii cum spe recesserunt: multis gratulandum, nemo consolandus fuit. Nec ideo 2
segnius iuuenes nostros exhortatus es, consulatum circumirent, senatui supplicarent, atque ita a principe sperarent honores, si a senatu petissent. Quo quidem in loco, si quibus opus exemplo, adiecisti, vt te imitarentur. Ardutum, 3
Caesar, exemplum, & quod imitari non magis quisque candidatorum, quam principum possit. Quis enim vel vno die reuerentior senatus candidatus, quam tu eum omni vita, tum illo ipso tempore, quo iudicas de candidatis? An aliud 4
a te, quam senatus reuerentia, obtinuit, vt iuuenibus clarissimae gentis debitum generi honorem, sed antequam deberetur, offerres? Tandem 5
ergo nobilitas non obscuratur, sed illustratur a principe: tandem illos ingentium virorum nepotes, illos posteros libertatis, nec terret Caesar, nec pauet: quinimmo festinatis honoribus am-

---

LXIX. 2. *consulatum circumirent*) ambirent, peterent consulatus honorem.

4. *iuuenibus clarissimae gentis*) Lipsio placet *clarissimae genitis*. & ad libros nescio quos, prouocat Sed vulgatum quoque satis commodum perspicuumque est.

5. *illos posteros libertatis*) Videntur huiusmodi iuuenes intelligi, quorum maiores libertatis vindices fuerant. Et sunt ex interpretibus, qui ad Candidum & Quadratum, iterum sub Traiano consules (*Spartian. Hadr.* 3) referre satagunt, quorum alterum ex Cassiorum clarissima gente deducunt.

plificat

plificat atque auget, & maioribus suis reddit: si quid vsquam stirpis antiquae, si quid residuae claritatis, hoc amplexatur, & refouet, & in vsum
6. reipublicae promit. Sunt in honore hominum, & in honore famae, magna nomina, ex tenebris obliuionis, indulgentia Caesaris (extracta:) cuius est, vt nobiles & conseruet & efficiat.

LXX. Praefuerat prouinciae quaestor vnus ex candidatis, inque ea ciuitatis amplissimae reditus egregia constitutione fundauerat; hoc sena-
2. tui allegandum putasti. Cur enim te principe, qui generis tui claritatem virtute superasti, deterior esset conditio eorum, qui posteros habere nobiles mererentur, quam eorum, qui parentes habuissent? O te dignum, qui de magistratibus nostris semper haec nunties, nec poenis malo-
3. rum, sed bonorum praemiis bonos facias! Ac-

---

maioribus suis reddit) dignos illis, ac pares facit.

6. *in honore famae*) Ex coniectura Lipsius, *in ore.*

extracta) Inclusum hoc vel simile verbum deesse videtur, sine quo fracta oratio.

cuius est) munus, officium, proprium. Sichardus: *cuius haec intentio est*, quod ex glossa forsan adhaesit.

LXX. 1. *vnus ex candidatis*) Catanaeus ad eos refert, qui praeced. cap. n. 4. & 5. laudantur, & nominatim ad Candidum. Lipsius dubitat, praeturae an consulatus candidatus intelligatur.

inque ea ciuitatis amplissimae) Lipsius deprauatum locum vtcumque restituit. Lectum ab omnibus: *in quem ea ciuitas amplissima*, sine sensu.

allegandum) laudandum, vt singulare commendationis candidati argumentum.

2. *generis tui claritatem*) Antiqua magis, quam clara natus Traianus familia. *Eutrop. VIII*, 2.

censa-

censa est iuuentus, erexitque animos ad aemulandum, quod laudari videbat: nec fuit quisquam, quem non haec cogitatio subiret, quum sciret, quidquid a quoque in prouinciis bene fieret, omnia te scire. Vtile est, Caesar, & salutare praefidibus prouinciarum, hanc habere fiduciam, paratum esse sanctitati, industriae suae maximum praemium, iudicium principis, suffragium principis. Adhuc autem quamlibet sincera rectaque ingenia, etsi non detorquebat, hebetabat tamen misera, sed vera reputatio. Vides enim, SI QVID BENE FECERO, NESCIET CAESAR: AVT SI SCIERIT, TESTIMONIVM NON REDDET. Ita eadem illa seu negligentia seu malignitas principum, quum male consultis impunitatem, recte factis nullum praemium polliceretur, nec illos a crimine, & hos deterrebat a laude. At nunc, si bene aliquis prouinciam rexerit, huic quaesita virtute dignitas offertur. Patet enim omnibus honoris & gloriae campus: ex hoc quisque, quod cupit, petat, & adsecutus sibi de-

4 5 6 7

4. *suffragium principis*) quum honores inter candidatos petituri sint.

5. *reputatio*) illius sc. quod in lineis proximis sequitur. *Herz.*

Vides enim) Sic plures librorum. Catanaeus *Quid enim*. Baudio videtur *Vide enim*. Quoquo modo legas, ethopoeia seu morum expressio innuitur, quasi dictum sit, *Videlicet*.

6. *a laude*) a virtute, laudis genitrice. Metonymia, Virgilius Aen. I. v. 461

Sunt hoic etiam sua praemia laudi.

7. *sibi debeat*) suae virtuti & meritis.

beat.

8 beat. Prouinciis quoque in posterum & iniuriarum metum & accusandi necessitatem remisisti. Nam si praefuerint, quibus gratias egerint, de nullo queri cogentur: & alioquin nihil magis prodesse candidato ad sequentes honores, quam peractos optime magistratus. Magistratus ma-
9 gistratu, honore honor petitur. Volo ego, qui prouinciam rexerit, non tantum codicillos amicorum, nec vrbana coniuratione eblanditas preces, sed decreta coloniarum, decreta ciuitatum alleget. Nae suffragiis consularium virorum, vrbes, populi, gentes inserantur. Efficacissimum pro candidato genus est rogandi, gratias agere.

LXXI. Iam quo adsensu senatus, quo gaudio exceptum est, quum candidatis, vt quemque nominaueras, osculo occurreres, deuexus quidem in

---

8. *necessitatem remisisti*) caussam, cur accusarent, ademisti.

quibus gratias egerint) ob bene administratam prouinciam.

& alioquin) Suspectum Lipsio *alioquin*, qui in *liquebit* conuertit, vt infinitum *prodesse*, & gignendi casus *peractos* locum inueniant. Bongarsio & Grutero videtur *peractus*, quibus *potest* vel *poterit* cum *prodesse* iungendum est. An *prodest* & *peractus* legendum?

9. *eblanditas*) blanditiis elicitas preces. *Herz.*

inserantur) Liuineius sublata interpunctione, *alleget, vt suffragiis inseruntur.* Nos verbi modo imitamur: particulae mutatione (*nae* in *vt*) tamquam violentiore abstinemus.

LXXI. 1. *osculo occurreres*) vt mos gratulantium & fausta precantium erat. Sequitur: *quasi vnus ex gratulantibus.*

deuexus quidem in planum) inclinans, & paene descendens e tuo tribunali. *Lipsi.*

pla-

planum, & quasi vnus ex gratulantibus. Te mi- 2
rer magis, an improbem illos, qui effecerunt, vt
istud magnum videretur, quum velut adfixi cura-
libus suis manum tantum, & hanc cunctanter &
pigre, & imputantibus similes, promerent? Con- 3
tigit ergo oculis nostris insolita facies, princeps
& candidatus aequales & simul stantes, intueri-
que parem accipientibus honorem, qui dabat.
Quod factum tuum a cuncto senatu quam vera 4
acclamatione celebratum est, TANTO MAIOR,
TANTO AVGVSTIOR. Nam cui nihil ad au-
gendum fastigium supereſt, hic vno modo cresce-
re potest, si se ipse submittat, securus magnitu-
dinis suae. Neque enim ab vllo periculo fortuna 5
principum longius abest, quam ab humilitatis.
Mihi quidem non tam humanitas tua, quam inten-
tio eius admirabilis videbatur. Quippe quum ora- 6
tioni oculos, vocem, manum commodares; vt si alii
eadem ista mandasses, omnes comitatis numeros

---

2. *manum tantum*) Manum pro osculo dare, superbiae & fastus character erat. Vide supra c. 24.

imputantibus) quasi beneficium darent. De quo verbo lib. VIII. ep. 21. n. 4. monuimus.

4. *si se ipse submittat*) quia hoc ipso magnitudini, quae eadem manet, laudem ciuilitatis addit & humanitatis.

5. *quam ab humilitatis*) periculo. Alii *humilitate*. Est autem illud vitium, quo quis infra dignitatem suam se abiicit.

intentio) expressio. *Baun.* Add. c. 78. n. 3.

6. *vt si alii eadem ista*) quasi alicui priuato id mandasses, ita omnes numeros comitatis obibas, & comitate priuatum paene superabas.

obibas.

obibas. Atque etiam quum suffragatorum nomina honore, quo solent, exciperentur, tu quoque inter excipientes eras, & ex ore principis ille senatorius adsensus audiebatur: quodque apud principem perhibere testimonium merentibus
7 gaudebamus, perhibebatur a principe. Faciebas ergo, quum diceres OPTIMOS: nec ipsorum modo vita a te, sed iudicium senatus comprobabatur, ornarique se non illos magis, quos laudabas, laetabatur.

LXXII. Nam quod precatus es, vt illa ipsa ordinatio comitiorum BENE AC FELICITER EVENIRET NOBIS, REIPVBLICAE, TIBI; nonne tale est, vt nos hunc ordinem votorum conuertere debeamus? deos denique obsecrare, vt omnia, quae facis, quaeque facies, prospere cedant tibi, reipublicae, nobis? vel si breuius sit optandum, vt vni tibi, in quo & respublica & nos
2 sumus? Fuit tempus, ac nimium diu fuit, quo alia aduersa, alia secunda principi & nobis: nunc communia tibi nobiscum tam laeta, quam tristia: nec magis sine te nos esse felices, quam tu sine no-
3 bis potes. An si posses, in fine votorum adiecisses, VT ITA PRECIBVS TVIS DII ADNVERENT, SI IVDICIVM NOSTRVM MERERI PERSEVERASSES? Adeo nihil tibi

---

7. *ornarique se*) senatus se laudari laetabatur.

LXXII. 1. *Tibi*; *nonne*) Lipsius ita recte transposuit vulgatum *nonne tibi*.

2 *alia aduersa, alia secunda*) Quae prospera malo principi, ciuibus aduersa sunt; & his secunda, tyranno sunt improspera.

amore

amore ciuium antiquius, vt ante a nobis, deinde a diis, atque ita ab illis amari velis, si a nobis ameris. Et sane priorum principum exitus docuit, ne a diis quidem amari, nisi quos homines ament. Arduum erat, has precationes tuas laudibus adaequare: adaequauimus tamen. Qui amoris ardor? qui stimuli? quae faces illas nobis acclamationes subiecerunt? Non nostri, Caesar, ingenii, sed tuae virtutis tuorumque meritorum voces fuerunt, quas nulla vnquam adulatio inuenit, nullus cuiusquam terror expressit. Quem sic timuimus, vt haec fingeremus? quem sic amauimus, vt haec fateremur? Nosti necessitatem seruitutis: quando simile aliquid audisti, & quando dixisti? Multa quidem excogitat metus; sed quae appareant quaesita ab inuitis: aliud sollicitudinis, aliud securitatis ingenium est: alia tristium inuentio, alia gaudentium. Neutrum simulationes expresserint. Habent sua verba miseri, sua verba felices, vtque iam maxime ab vtrisque dicantur.

4

5

6

7

LXXIII. Testis ipse es, quae in omnium ore laetitia: non amictus cuiquam, non habitus, quem

4. *exitus*) mors violenta & tragica.

laudibus adaequare) principis votis atque precibus acclamando, laudando, vicisim precando respondere.

7. *sed quae appareant*) Latinus Pacatus ad Theodosium c. 37. *Fingit quidem timor gaudium, sed ita intimos mentis adfectus proditor vultus enuntiat, vt in speculo frontium imago exstet animorum.*

quaesita) quod sint quaesita ab illis, qui coacte in fictam eiusmodi laudem se dimittant. *Herz.*

vtque iam maxime) & licet vel maxime ab vtrisque dicantur eadem.

LXXIII. 1. *non amictus cuiquam*) Signum effusae

modo extulerat: inde resultantia vocibus tecta,
2 nihilque tantis clamoribus satis clausum. Quis
nunc non e vestigio suo exsiluit? quis exsiluisse
sensit? Multa fecimus sponte, plura instinctu
quodam & imperio. Nam gaudio quoque co-
3 gendi vis inest. Num ergo modum ei tua saltem
modestia imposuit? Nam quando magis a te re-
primebatur, exarsimus, non contumacia, Caesar,
sed vt in tua potestate est an gaudeamus, ita in
4 quantum, nec in nostra. Comprobasti & ipse
acclamationum nostrarum fidem lacrymarum
tuarum veritate. Vidimus humescentes oculos
tuos, demissumque gaudio vultum: tantumque
sanguinis in ore, quantum in animo pudoris.
5 Atque hoc magis incensi sumus, vt precaremur,
ne quando tibi non eadem caussa lacrymarum,
6 vtque nunquam frontem tuam abstergeres. Hoc
ipsum has sedes nobis quasi responsuras interro-

---

laetitiae, quae togas iactat aut negligit. Mamertinus ad Iulianum c. 29. *Nimiae laetitiae decoris sunt grauitatis immemores. Illa iactatio togarum, illa exsultatio corporum nescientibus paene hominibus excitabatur.*

quem modo extulerat) Lipsius: *quem domo.*

2. *quis exsiluisse sensit*) Nimietate adfectuum aufertur sensus.

instinctu) impetu laetitiae.

4. *demissum gaudio vultum*) quod verecundiae signum erat, quasi indignum se tanto plausu & honore iudicaret.

5. *vtque nunquam frontem*) vt semper tibi materia sit tales pietatis & verecundiae lacrymas prae gaudio fundendi.

6. *Hoc ipsum*) Hanc rem, puta, de lacrymis prin-

gemus,

gemus, viderintne vnquam principis lacrymas: at senatus saepe viderunt. Onerasti futuros principes: sed & posteros nostros. Nam & hi a principibus suis exigent, vt eadem audire mereantur: & illi quod non audiant, indignabuntur.

LXXIV. Nihil magis possum proprie dicere, quam quod dictum est a cuncto senatu, O TE FELICEM! quod quum diceremus, non opes tuas, sed animum mirabamur. Est enim demum vera felicitas, felicitate dignum videri. Sed cum 2 multa illo die dicta sunt sapienter & grauiter, tum vel inprimis hoc, CREDE NOBIS, CREDE TIBI. Magna hoc fiducia nostri, maiore tamen tui diximus. Alius enim fortasse alium, ipsum se nemo deceperit: introspiciat modo vitam, seque, quid mereatur, interroget. Proinde dabat vocibus nostris fidem apud optimum principem, quod 3 apud malos detrahebat. Quamuis enim faceremus, quae amantes solent, illi tamen non amari se credebant sibi. Super haec precati sumus: VT SIC TE AMARENT DII, QVEMADMODVM 4 TV NOS. Quis hoc aut de se, aut principi diceret mediocriter amanti? Pro nobis ipsis

cipis, quas narrauit. Hoc, inqnit, interrogemus has sedes, vbi habebatur haec oratio.

Onerasti) Vide supra cap. 24. n. 1.

LXXIV. 2. *Crede nobis, crede tibi*) Nobis, nihil adulantibus: Tibi, conscio tuae virtutis, quae has laudes peperit.

3. *dabat vocibus nostris fidem*) faciebat verbis nostris fidem laudatio eximia, quae malis principibus suspecta erat, vtpote qui nihili, quod laudabatur, sibi conscii erant.

quidem haec fuit summa votorum, vt nos sic amarent dii, quomodo tu. Estne verum, quod inter ista clamauimus, O NOS FELICES? Quid enim felicius nobis, quibus non iam illud optandum est, vt nos diligat princeps, sed dii
5 quemadmodum princeps? Ciuitas religionibus dedita, semperque deorum indulgentiam pietate merita, nihil felicitati suae putat adstrui posse, nisi vt dii Caesarem imitentur.

LXXV. Sed quid singula consector & colligo, quasi vero aut oratione complecti, aut memoria consequi possim, quae vos, P. C. ne qua interciperet oblivio, & in publica acta mittenda, &
2 incidenda in aere censuistis? Ante, orationes principum tantum, eiusmodi genere monimentorum mandari aeternitati solebant: acclamationes quidem nostrae parietibus curiae claude-
3 bantur. Erant enim, quibus nec senatus gloriari, nec princeps possent: has vero & in vulgus exire, & posteris prodi, cum ex vtilitate, tum ex dignitate publica fuit; primum, vt orbis terrarum pietatis nostrae adhiberetur testis & conscius; deinde, vt manifestum esset, audere nos de bonis malisque principibus non tantum post

4. *inter ista clamauimus*) ceteris acclamationibus haec verba crebro interposuimus, O nos felices!

LXXV. 2. *Ante, orationes principum*) Ante Traianum, tantummodo orationes, quas principes in senatu habuerant, aeri (Neronis, argenteae columnae, *Xiphil.*) inciſae fuerunt: nunc etiam senatus acclamationes ita perscribuntur ac inciduntur.

3. *non tantum post ipsos*) post mortem illorum, sed etiam de viuis.

ipsos

ipsos iudicare; postremo, vt experimento cognosceretur, & ante nos gratos, sed miseros fuisse, quibus esse nos gratos probare antea non licuit. At qua contentione, quo nisu, quibus clamoribus 4
expostulatum est, ne adfectus nostros, ne tua merita supprimeres: denique vt in posterum exemplo prouideres? Discant & principes acclamationes veras falsasque discernere, habeantque 5
muneris tui, quod iam decipi non poterunt. Non instruendum illis iter ad bonam famam, sed non deserendum: non submouenda adulatio, sed non reducenda est. Certum est, & quae facere, & quae debeant audire, si faciant. Quid 6
nunc ego super ea, quae sum cum toto senatu precatus, pro senatu precer, nisi vt haereat animo tuo gaudium, quod tunc oculis protulisti? Ames illum diem, & tamen vincas: noua merearis, noua audias. Eadem enim dici, nisi ob eadem facta, non possunt.

---

ante nos gratos fuisse) Ante, sub Domitiano, nos gratos quidem fuisse, puta animo & adfectu; sed bonum principem defuisse, in quem grati essemus.

quibus esse nos gratos) Ordo est: quibus antea non licuit probare nos gratos esse.

4. *ne adfectus nostros*) pietatem, laetitiam, grati animi significationem.

denique vt in posterum) Expostulatum est denique, vt exemplo futuros principes doceas.

5. *habeantque muneris tui*) habeant beneficii tui loco.

Non instruendum illis) Illis, futuris principibus non struendum est iter ad gloriam, quia satis id a te instructum est: modo illud non deserant.

6. *& tamen vincas*) maiora facias, nouisque meritis ad maiores plausus atque preces nos obliges.

LXXVI. Iam quam antiquum, quam consulare, quod triduum totum senatus sub exemplo tui sedit, quum interea nihil praeter consulem
2 ageres? Interrogauit quisque, quod placuit: dissentire, discedere, & copiam iudicii sui reipublicae facere tutum fuit. Consulti omnes, atque etiam dinumerati sumus, vicitque sententia non
3 prima, sed melior. At quis antea loqui, quis hiscere audebat, praeter miseros illos, qui primi interrogabantur? ceteri quidem defixi, & attoniti ipsam illam mutam ac sedentariam adsentiendi necessitatem quo cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore perpetiebantur?
4 Vnus solusque censebat, quod sequerentur omnes, & omnes improbarent, inprimis ipse, qui censuerat: adeo nulla magis omnibus displicent, quam quae sic fiunt, tamquam omnibus
5 placeant. Fortasse imperator in senatu ad reue-

LXXVI. 1. *triduum totum*) in Marii Prisci caussa, lib. II. ep. 11. n. 17, 18.

exemplo tui) exemplo patientiae tuae, qua triduum in caussae cognitione perseuerabas.

2. *dinumerati sumus*) sententiae sunt numeratae.

non prima) quae, ex metu vel subornatione, tyranni mentem referebat.

3. *sedentariam*] quod nec interrogati fuerant, nec surrexerant ad dicendam sententiam. Surgebant enim dicturi, vt vel ex Sallustii Catilinario notissimum est.

4. *Vnus solusque*) vel subornatus a tyranno, vel adulatione ad illius sensum compositus.

inprimis ipse) tacite sc. conscientia conuictus, licet ore propter tyrannum non confiteretur. *Herz.*

rentiam

rentiam eius componebatur: ceterum egressus statim se recipiebat in principem, omniaque consularia officia abigere, negligere, contemnere solebat. Ille vero ita consul, vt si tantum consul 6
foret: nihil infra se putabat, nisi quod infra consulem esset. Ac primum ita domo progrediebatur, vt illum nullus apparatus arrogantiae principalis, nullus praecursorum tumultus detineret. Vna erat in limine mora, consultare aues, reuererique numinum monitus. Nemo perturbabatur, 8
nemo submouebatur. Tanta viatoribus quies,

5. *ad reuerentiam eius componebatur*] simulabat, se senatum reuereri, quem conuocauerat.

se recipiebat in principem] dominum agebat, qui omnia suo arbitratu faceret, nihil ex consilio senatus aut bonorum.

6. *Ille vero*) Traianus.

7. *consultare aues*) Haec *auspicia* illa, sine quibus nihil adgrediebantur veteres.

8. *Nemo submouebatur*) Lictoris hoc verbo officium notatur, qui de via submouebat, vt illa consuli venienti pateret. Liuius XLV. c. 7. extr. *donec consul lictores misisset, qui submouendo iter ad praetorium facerent.* Et Horatius lib. II. oda 16.

neque consularis
Submouet lictor miseros tumultus
Mentis.

Adde, quae supra ad cap. 23. n. 3. notauimus.

viatoribus) apparitoribus, ministris publicis, & ipsis forte lictoribus. Alibi tamen distingui *viator* & *lictor* videntur, & apud Liuium II, 56. tribunus viatorem, consul lictorem mittit. Proprie autem hi ministri *viatores* dicti, qui senatores e villis & rure in senatum arcessebant, vt Tullius de Senect. c. 16. & Columella praefat. Operis p. 7. id nomen interpretantur.

quies) Supra c. 23. n. 3.

tantus pudor fascibus, vt plerumque aliena turba subsistere & consulem & principem cogeret: ipsius quidem officium tam modicum, tam temperatum, vt antiquus aliquisque magnus consul sub bono principe incedere videretur.

LXXVII. Iter illi saepius in forum, frequenter tamen & in campum. Nam comitia consulum obibat ipse; tantum ex renuntiatione eorum voluptatis, quantum prius ex destinatione
2 capiebat. Stabant candidati ante curulem principis, vt ipse ante consules steterat, adigebanturque in verba, in quae paullo ante ipse iurauerat princeps, qui tantum putat esse in iureiurando,
3 vt illud & ab aliis exigat. Reliqua pars diei tribunali dabatur. Ibi vero quanta religio aequitatis, quanta legum reuerentia? Adibat aliquis vt principem; respondebat se consulem esse.
4 Nullius ab eo magistratus ius, nullius auctoritas imminuta est, aucta etiam: siquidem pleraque ad praetores remittebat, atque ita, vt collegas vocaret, non quia populare gratumque au-

---

LXXVII. 1. *ex destinatione*] si illi renuntiarentur, quibus ipse destinauerat consulatum, eosque in campo commendauerat.

2. *ante curulem*) sellam eburnam, qua consules, praetores, & ipsi principes, vtebantur.

paullo ante) quum consulatum susciperet. Vide cap. 64.

4. *ad praetores*) ad quos forenses lites pertinebant.

vt collegas vocaret) Messalla apud Gallium N. A. lib. XIII. c. 15. *Collegae non sunt censores consulum aut praetorum: praetores consulum sunt.*

dien-

dientibus, sed quia ita sentiebat. Tantum dignationis in ipso honore ponebat, vt non amplius esse censeret, quod aliquis collega appellaretur a principe, quam quod praetor esset. Ad haec tam assiduus in tribunali, vt labore refici ac reparari videretur. Quis nostrum idem curae, idem sudoris sumit? quis adeo expetitis honoribus aut deseruit, aut sufficit? Et sane aequum est tantum ceteris praestare consulibus ipsum, qui consules facit: quippe etiam fortunae videbatur indignum, si posset honores dare, qui gerere non posset. Facturus consules doceat, accepturisque amplissimum honorem persuadeat, scire se, quid sit, quod daturus sit: sic sit, vt illi quoque sciant, quid acceperint. 5 6 7

LXXVIII. Quo iustius senatus, vt susciperes quartum consulatum, & rogauit & iussit. Imperii hoc verbum, non adulationis esse, obsequio tuo crede, quod non alia in re magis aut senatus exigere a te, aut tu praestare senatui debes. Vt enim ceterorum hominum, ita principum illorum omnium, qui dii sibi viden- 2

5. *labore refici*) Seneca ep. 13, *Generosos animos labor nutrit.*

6. *deseruit aut sufficit*) Deseruire honoribus est vnice facere, quod munus nostrum expetit: sufficere, parem esse administrando officio.

7. *praestare*) rite & neglecta ferme principali dignitate peragere, quae consulis. *Herz.*

docear) exemplo suo.

LXXVIII. *obsequio tuo crede*) Crede nos iubere, non adulari: idque obsequio tuo ostende; te credere, serio, nos sic velle. *Lipsi.*

3 tur, aeuum omne & breue & fragile est. Itaque optimum quemque niti & contendere decet, vt post se quoque reipublicae prosit, moderationis scilicet iustitiaeque monimentis, quae prima statuere consul potes. Haec nempe intentio tua,
4 vt libertatem reuoces ac reducas. Quem ergo honorem magis amare, quod nomen vsurpare saepius debes, quam quod primum inuenit recuperata libertas? Non est minus ciuile, & principem esse pariter, & consulem, quam tantum con-
5 sulem. Habe etiam rationem verecundiae collegarum tuorum; collegarum inquam: ita enim
6 & ipse loqueris, & nos loqui vis. Onerosa erit modestiae illorum tertii consulatus sui recordatio, donec te consulem videant. Neque enim potest non nimium esse priuatis, quod principi satis est. Annuas, Caesar, optantibus, quibusque apud deos esse consuesti, quorum potens es ipse, votorum compotes facias.

LXXIX. Fortasse sufficiat tibi tertius consulatus: sed nobis tanto minus sufficit. Ille nos instituit & induxit, vt te iterum iterumque cos. habere cupiamus. Remissius istud contenderemus, si adhuc non sciremus, qualis esses futu-

---

3. *consul potes*) Lipsii coniectura: vulgo *potest*
intentio tua studium, cura, contentio. Lib. IV. epist. 7. noster: *intentio, quidquid velis, obtinendi.*

4. *recuperata libertas*) eiectis sc. regibus, consules rebus gerendis, vt notum, praeerant. *Herz.*

6. *Onerosa erit*) Vid. initium cap. 24.
donec te consulem videant) quartum, & fortasse is numerus excidit. *Lipsi.*

rus.

rus. Tolerabilius fuit, experimentum tui nobis, quam vsum negari. Dabiturne rursus videre 3
consulem illum? audiet & reddet, quas proxime, voces? praestabitque gaudium, quantum ipse percipiet? praesidebit laetitiae publicae auctor eius & caussa? tentabitque adfectus nostros, vt solet, cohibere, nec poterit? Erit pietati senatus 4
cum modestia principis felix speciosumque certamen, seu fuerit victa, seu vicerit? Equidem incognitam quamdam proximaque maiorem praesumo laetitiam. Quis enim est tam imbecilli ingenio, qui non tanto meliorem consulem speret, quanto saepius fuerit? Alius labores, si non 5
continuo desidiae ac voluptati dedisset, otio tamen & quiete recreasset: hic consularibus curis exsolutus, principales resumsit, tam diligens temperamenti, vt nec consulis officium princeps, nec
principis consul appeteret. Videmus, vt pro- 6

LXXIX. 2. *experimentum*) i. e. dum te primum consulem postularemus, & quasi experiri volebamus tua bona, tunc tolerabilius fuit negare, quia scilicet bona, quorum iucunditatem nescimus, si negantur, tolerabilius perferimus. *Herz.*

quam vsum negari) vtilitatem iam probatam atque cognitam.

3. *Dabiturne*) sub persona populi, quartum consulatum Traiani expetentis, loquitur orator.

consulem illum) illum mitem, benignum, ciuilem.

audiet voces) acclamationes nostras & vota.

4. *Erit pietati senatus*) Lipsius ex praecedente verbo *poterit*, hoc *erit*, tamquam absorptum, repetiit. *Pietas* obseruantia est, & laudandi ac honorandi studium: cui modestia principis repugnabat.

5. *Alius labores*) Alius & malus princeps.

uinciarum desideriis, vt singularum etiam ciuitatum precibus occurrat. Nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora. Adeunt statim, dimittuntur statim: tandemque principis fores excluſa legationum turba non obſidet.

LXXX. Quid? in omnibus cognitionibus quam mitis ſeueritas, quam non diſſoluta clementia? Non locupletando fiſco ſedes, nec aliud tibi ſententiae tuae pretium, quam bene iudicaſſe. Stant ante te litigatores, non de fortunis ſuis, ſed de tua exiſtimatione ſolliciti: nec tam verentur, quid de cauſſa ſua, quam quid de moribus ſentias. O vere principis, atque etiam conſulis, reconciliare aemulas ciuitates, tumentesque populos non imperio magis, quam ratione compeſcere, intercedere iniquitatibus magiſtratuum, infectumque reddere quidquid fieri non oportuerit; poſtremo, velociſſimi ſideris more, omnia inuiſere, omnia audire, & vndecunque inuocatum ſtatim, velut numen, adeſſe & adſiſtere! Talia eſſe crediderim, quae ipſe mundi

6. *excluſa legationum turba*) vt ſub Domitiano.

LXXX. 1. *Non locupletando fiſco ſedes*) ſed pro tribunali, ad iudicandum.

2. *de tua exiſtimatione*) opinione, qualem de illis habeas. Omnes enim bono principi videri boni volebant.

3. *O vere principis, atque etiam conſulis*) Supple, munus, officium, aut ſimile.

4. *velociſſimi ſideris more*) Solis, quaſi ad Homericum verſum Odyſſ. Λ. v. 108. reſpiciatur:

Ἠελίς, ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις.

adſiſtere) auxilium ferre.

parens

parens temperat nutu, si quando oculos demisit in terras, & facta mortalium inter diuina opera numerare dignatus est: quibus nunc per te liber 6
solutusque, coelo tantum vacat, postquam te dedit, qui erga omne hominum genus vice sua fungereris. Fungeris enim, sufficisque mandanti, quum tibi dies omnis summa cum vtilitate nostra, cum tua laude, condatur.

LXXXI. Quod si quando cum influentibus negotiis paria fecisti, instar refectionis existimas mutationem laboris. Quae enim remissio tibi, nisi lustrare saltus, excutere cubilibus feras, superare immensa montium iuga, & horrentibus scopulis gradum inferre, nullius manu, nullius vestigio adiutum, atque inter haec pia mente adire lucos, & occursare numinibus? Olim haec 2
experientia iuuentutis, haec voluptas erat; his artibus futuri duces imbuebantur, certare cum

---

5. *si quando*) redolere haec videntur Philosophiam non longe ab Epicuri recedentem, qui *nihil agere, nullis occupationibus implicatum Deum* statuebat. Cic. de Nat. Deor. p. m. 12. *Herz.*

6. *per te liber solutusque*) Adulatio.

condatur) transigatur, finiatur, vt Virgilius eclog. 9. v. 52.

saepe ego longos
Cantando puerum memini me condere soles.

Et Horatius lib. IV. oda 5. v. 29.

Condit quisque diem collibus in suis.

Et noster, extra metrum, lib. IX. epist. 36. n. 4. *Variis sermonibus vespera extenditur, &, quamquam longissimus dies, cito conditur.*

LXXXI. 2. *his artibus futuri duces* Cicero sub finem II. de Nat. Deor. (c. 4.) *Exercemur in venando ad similitudinem bellicae disciplinae.* Multa huius rei congessit ex

fugacibus feris cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu: nec mediocre pacis decus habebatur submota campis irruptio ferarum, & obsi-
3 dione quadam liberatus agrestium labor. Vsurpabant gloriam istam illi quoque principes, qui obire non poterant: vsurpabant autem, vt domitas fractasque claustris feras, ac deinde in ipsorum quidem ludibrium emissas mentita sagacitate colligerent. Huic par capiendi quaerendique sudor, summusque & idem gratissimus
4 labor, inuenire. Enimuero si quando placuit idem corporis robur in maria proferre, non ille fluitantia vela aut oculis sequitur aut manibus: sed nunc gubernaculis adsidet, nunc cum valentissimo quoque sodalium certat frangere fluctus,

---

Graecis scriptoribus maternus auus meus Ioachimus Zehnerus Adag. Sacr. pag. 8. seq. Adde exemplum Odenathi apud Trebell. Pollionem in Vita.

3. *illi quoque principes*) Domitianum in primis notat. Vid. Sueton. cap. 19.

qui obire non poterant) qui propter mollitiem non poteant id laboris sustinere.

in ipsorum ludibrium) in ipsorum principum ludibrium. Ridebantur enim, quod vellent venatores videri, nec tamen feras bestias, sed claustris domitas, emissasque venarentur.

mentita sagacitate colligerent) quasi indomitae essent & nunquam captae, indagabant capiebantque.

4. *idem corporis robur in maria*) Non sola nauigatione Traianus corpus exercebat, verum etiam labore nautico.

aut oculis sequitur aut manibus) aut spectat tantum, aut etiam manibus demonstrat. Lipsius dubitat, an *nauibus* forsan legendum sit.

domi-

domitare ventos reluctantes, remisque transfretare obstantia freta.

LXXXII. Quantum dissimilis illi, qui non Albani lacus otium, Baianique torporem & silentium ferre, non pulsum saltem fragoremque remorum perpeti poterat, quin ad singulos ictus turpi formidine horresceret. Itaque procul ab 2
omni sono inconcussus ipse & immotus, religato reuinctoque nauigio, non secus ac piaculum aliquod, trahebatur. Foeda facies, quum P. R. im- 3
perator alienum cursum, alienumque rectorem, velut capta naue, sequeretur. Nec deformitate ista saltem flumina carebant atque amnes. Danubius ac Rhenus tantum illud nostri dedecoris 4

LXXXII. 1. *dissimilis illi*) Domitiano, qui secessus suos ad montem Albanum habebat. Noster lib. IV. epist. 11, n. 6 & Sueton. c. 19. inspiciatur.

Baianique) Vide lib. IX. epist. 7. n. 2.

2. *religato reuinctoque*) nauigium suum Domitianus alii naui alligauit, vt sine remorum concussu, quem is ferre non poterat, funibus traheretur.

piaculum) hostia, qua scelera expiabantur. Ea procul, ne quis malis publicis deuotam tangeret, trahebatur. *Lipsius.*

3. *velut capta naue*) Liuius lib. XXII. c. 20. de captis Poenorum nauibus: *Romani religatas puppibus in altum extraxere.*

Nec saltem) Ne quidem flumina: Minimum nec flumina. Adeo mollis Domitianus, vt nec fluminum nauigationem perferre posset, nisi traheretur nauigium.

4. *Danubius ac Rhenus*) Sarmatica & Germanica Domitiani expeditione. Martialis lib. IX. epigr. 102.

Cornua Sarmatici ter perfida contudit Istri:
Sudantem Getica ter nive lauit equum.

vehere

vehere gaudebant, non minore cum pudore imperii, quod haec Romanae aquilae, Romana signa, Romana denique ripa, quam quod hostium prospectarent: hostium, quibus moris est, eadem illa nunc rigentia gelu flumina, aut campis superfluа, nunc liquida ac deferentia, lustrare nauigiis, nandoque superare. Nec vero laudauerim per se magnopere duritiem corporis ac lacertorum: sed si his validior toto corpore animus imperaret, quem non fortunae indulgentiae molliant, non copiae principales ad segnitiem luxumque detorqueant; tunc ego, seu montibus seu mari exerceatur, & laetum opere corpus, & crescentia laboribus membra mirabor. Video enim iam inde antiquitus maritos dearum, ac deorum liberos, nec dignitate nuptiarum magis, quam his artibus inclaruisse. Simul cogito, quum sint ista ludus & auocamentum huius, quae quantaeque sint illae feriae & intentae, & a quibus se in tale otium recipit, voluptates.

5. *deferentia*) prono cursu euntia, impetuosa. Quidam legunt *deserentia*, puta, campos, & in ripas suas reuersa.

7. *maritos dearum*) vt Peleus Thetidis, & Cephalus Aurorae.

his artibus) venatu & nauigatione.

8. *auocamentum huius*) remissio & laxamentum Traiani. *feriae & intentae voluptates*) Nisi litterarias aut illas animi interioris intelligat, quid velit, ignoro. *Lipsius.* Id Plinius dicit: dum Traiani ludus & auocamentum sunt venationes, quae labore tamen non carent, patet, quod voluptates, quibus mens ipsius titillatur, feriae sint, nihilque dissoluti inuoluant. *Herz.*

Sunt

Sunt enim voluptates, quibus optime de cuiusque grauitate, sanctitate, temperantia creditur. Nam quis adeo dissolutus, cuius non occupationibus aliqua species seueritatis incidat? Otio prodimur. An non plerique principes hoc idem tempus in aleam, stupra, luxum conferebant, quum feriarum laxamenta curarum vitiorum contentione supplerent? 9

LXXXIII. Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum esse patitur: principum vero non modo domos, sed cubicula ipsa intimosque secessus recludit, omniaque arcana noscenda famae proponit atque explicat. Sed tibi, Caesar, nihil accommodatius 2 fuerit ad gloriam, quam penitus inspici. Sunt quidem praeclara, quae in publicum profers, sed non minora ea, quae limine tenes. Est magnificum, quod te ab omni contagione vitiorum reprimis ac reuocas, sed magnificentius, quod tuos. Quanto enim magis arduum est, alios praestare, 3 quam se; tanto laudabilius, quod, quum ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti. Mul-

Sunt enim voluptates] Animus quid in recessu habet, magis prodit remissus, quam occupationibus intentus. Hoc est, quod sequitur: *otio prodimur*.

LXXXIII. 1. *principum non modo domos*) Seneca, quod Lipsius etiam monuit, pulcerrime ad Neronem lib. I. de Clem. cap. 8. *Tibi non magis, quam Soli, latere contingit. Multa contra te lux est: omnium in istam conuersi oculi sunt.*

3. *omnes circa te*) domesticos tuos & ministros. Curtius lib. IV. c. 10. n. 25. *e spadonibus, qui circa reginam erant.* & cap. 15. n. 10. *laeti circa Sisygambim*, breuiata forma.

tis

tis illustribus dedecori fuit aut inconsultius vxor adsumta, aut retenta patientius: ita foris claros domestica destruebat infamia, & ne maximi ciues haberentur hoc efficiebat, quod mariti minores erant. Tibi vxor in decus & gloriam cedit. Quid enim illa sanctius? quid antiquius? Nonne, si pontifici maximo deligenda sit coniunx, aut hanc aut similem (vbi est autem similis?) elegerit? Quam illa nihil sibi ex fortuna tua, nisi gaudium vindicat? quam constanter non potentiam tuam, sed ipsum te reueretur? Idem estis inuicem, quod fuistis: probatis ex aequo, nihilque vobis felicitas addidit, nisi quod scire coepistis, quam bene vterque vestrum felicitatem ferat. Eadem quam modica cultu?

4. *inconsultius vxor adsumta*) vt Liuia Augusto, Agrippina Claudio, non exploratis satis moribus. Sic & antea Iuliam Pompeius duxit, de quo Suetonius Caesar. cap. 50.

mariti minores) Augustus atque Claudius. *Cell. Minores* est idem quod *subditi imperio feminarum*, quibus tamen maiores esse viros decet. *Herz.*

5. *Tibi vxor*) Plotina, de qua ad lib. IX. ep. 28. prediximus.

si pontifici) si ei, qui sacra tractat, pro illorum reuerentia vxor condigna legenda sit. Traianus erat pontifex maximus, sed prior fuerat maritus.

6. *Idem estis*) forte hic Plinius respicit ad verba Plotinae, vxoris Traiani, quae dicebat ad multitudinem palatium ingrediens: *Talis ingredior, qualis exire etiam volo*, teste Xiphilin. Trai. p. m. 340. *Herz.*

7 *quam modica cultu*) vestitu, mundo muliebri. Curtius lib. III. c. 13. n. 10. *cultus nobilium virorum, illustrium feminarum.* Et Seneca Troade v. 883.

Depone cultus squalidos, festos cape.

quam

quam parca comitatu? quam ciuilis inceſſu? Mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita inſtituit. Nam vxori ſufficit obſequii gloria. An, quum 8
videat, quam te nullus terror, nulla comitetur ambitio, non & ipſa cum ſilentio incedat? ingredientemque pedibus maritum, in quantum patitur ſexus, imitetur? Decuerit hoc illam, etiamſi diuerſa tu facias. Sub hac vero modeſtia viri, quantam debet verecundiam vxor marito? femina ſibi?

LXXXIV. Soror autem tua, vt ſe ſororem eſſe meminit? vt in illa tua ſimplicitas, tua veritas, tuus candor agnoſcitur? vt ſi quis eam vxori tuae conferat, dubitare cogatur, vtrum ſit efficacius ad recte viuendum, bene inſtitui, aut feliciter naſci. Nihil eſt tam pronum ad ſimultates, quam aemulatio, in feminis praeſertim: ea porro maxime naſcitur ex coniunctione, alitur 2

8. *nullus terror*) ſatellitum, corporis cuſtodum.
ambitio] pompa lecticarum, vehiculorum, & quae alia ſunt, quibus ſe principes a priuatis ſecerni volunt.
in quantum patitur ſexus) infirmior.

LXXXIV. 1. *Soror tua*) Marciana, omnibus auguſtae honoribus a fratre & ſenatu condecorata. Anconitana inſcriptio apud Grut. p. 237. extr.

DIVAE MARCIANAE AVG.
SORORI AVG.

& nummus apud Vaillant. DIVA AVGVSTA MARCIANA. in poſtico CONSECRATIO. Vidua vixerat in domo anguſta, marito orbata, ante principatum fratris.

bene inſtituti) Plotinae vxoris hoc fuit: vt alterum *feliciter naſci*, ſororis Marcianae, vtpote eadem domo, qua Traianus, oriundae.

aequa-

aequalitate, exardescit inuidia, cuius finis est
3 odium. Quo quidem admirabilius existimandum est, quod mulieribus duabus in vna domo, parique fortuna, nullum certamen, nulla con-
4 tentio est. Suspiciunt inuicem, inuicem cedunt: quumque te vtraque effusissime diligat, nihil sua putant interesse, vtram tu magis ames. Idem vtrique propositum, idem tenor vitae, nihilque
5 ex quo sentias duas esse. Te enim imitari, te subsequi student. Ideo vtraque mores eosdem, quia vtraque tuos, habet: inde moderatio, inde etiam perpetua securitas. Neque enim vnquam periclitabuntur esse priuatae, quae non desie-
6 runt. Obtulerat illis senatus cognomen Augustarum, quod certatim deprecatae sunt, quamdiu appellationem patris patriae tu recusasses: seu quod plus esse in eo iudicabant, si vxor & soror
7 tua, quam si Augustae dicerentur. Sed quaecumque illis ratio tantam modestiam suasit, hoc magis dignae sunt, quae in animis nostris & sint & habeantur augustae, quia non vocantur.
8 Quid enim laudabilius feminis, quam si verum honorem non in splendore titulorum, sed in iudiciis hominum reponant? magnisque nominibus pares se faciant, etiam dum recusant?

LXXXV. Iam etiam & in priuatorum animis exoleuerat priscum mortalium bonum amicitia, cuius in locum migrauerant adsentationes, blanditiae, & peior odio amoris simulatio. etenim

5. *Neque periclitabuntur*) Non erit periculum, vt forte aliquando, te defuncto, priuatam conditionem possint.

in

in principum domo nomen tantum amicitiae, inane scilicet irrisumque, manebat. Nam quae 2
poterat esse inter eos amicitia, quorum sibi alii domini, alii serui videbantur? Tu hanc pulsam & errantem reduxisti. Habes amicos, quia amicus ipse es. Neque enim, at alia subiectis, ita 3
amor imperatur: neque est vllus adfectus tam erectus, & liber, & dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat. Potest fortasse princeps 4
inique, potest tamen odio esse nonnullis, etiamsi ipse non oderit: amari, nisi ipse amet, non potest. Diligis ergo, quum diligaris, & in eo, quod 5
vtrique honestissimum est, tota gloria tua est, qui superior factus descendis in omnia familiaritatis officia, & in amicum ex imperatore submitteris: immo tunc maxime imperator, quum amicum ex imperatore agis. Etenim quum plurimis amicitiis fortuna principum indigeat, praecipuum est principis opus, amicos parare. Placeat tibi semper haec secta, & cum alias virtutes 6 7

LXXXV. 2. *hanc pulsam*) amicitiam, a Domitiano electam ex aula. Pacatus ad Theodos. c. 16. *Tu amicitiam, nomen ante privatum, intra aulam vocasti.*

3. *Neque amor imperatur*) quia cogi non potest. Claudianus in IV. Consul. Hon. v. 281.

non extorquebis amari.

5. *in omnia familiaritatis officia*) Eutropius lib. VIII. cap. 2. in Traiano laudat, *amicos salutandi caussa frequentasse, vel aegrotantes: conuiuia cum iisdem indiscreta habuisse*, & quae huius generis sunt alia.

tunc maxime imperator) quia praecipuum imperatoris opus, amicos parare. Hoc autem facit, quum ipse ex imperatore amicum agit.

7. *haec secta*) haec viuendi ratio. Supra cap. 45. n. 4. tuas,

tuas, tum hanc constantissime teneas, nec vnquam persuadeatur, humile esse principi, nisi odisse. Iucundissimum est in rebus humanis amari, sed non minus amare: quorum vtroque ita frueris, vt quum ipse ardentissime diligas, ad-
8 huc tamen ardentius diligaris. Primum, quia facilius est vnum amare, quam multos: deinde, quia tibi amicos tuos obligandi adest facultas tanta, vt nemo possit te, nisi ingratus, non magis amare.

LXXXVI. Operae pretium est referre, quod tormentum tibi iniunxeris, ne quid amico negares. Dimisisti optimum virum, tibi carissimum, inuitus & tristis, &, quasi retinere non posses. Quantum amares eum, desiderio expertus es, distractus separatusque, dum cedis & vinceris.
2 Ita quod fando inauditum, quum princeps & principis amicus diuersa velletis, id potius factum est, quod amicus volebat. O rem memoriae litterisque mandandam! praefectum praetorii non ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus legere, eumdemque otio, quem pertinaciter ames, reddere: quumque sis ipse distentus imperii curis,
3 non quietis gloriam cuiquam inuidere. Intelligimus, Caesar, quantum tibi pro laborioſa iſta

---

quae tibi secta vitae, quod hominum genus placeat.
humile esse principi) quidquam indignum esse principe.
LXXXVI. 1. *Dimisisti optimum virum*) Ad otium & privatam vitam redire praefectum praetorio permisisti, *num.* 2. Cui illorum, dubium & obscurum est Lipsio,
2. *ingerentibus*) ambientibus.
subtrahentibus) fugientibus honorem.

statio-

ſtatione & exercita debeamus, quum otium a te, tamquam res optima, & petatur, & detur. Quam ego audio confuſionem tuam fuiſſe, quum digredientem proſequereris? Proſequutus enim nec temperaſti tibi, quo minus exeunti in littore amplexus oſculum ferres. Stetit Caeſar in illa amicitiae ſpecula, precatusque maria, celeremque (ſi tamen ipſe voluiſſet) recurſum, nec ſuſtinuit recedentem non etiam atque etiam votis, lacrymis ſequi. Nam de liberalitate tacec. ¡Quibus enim muneribus aequari haec cura principis, haec patientia poteſt, qua meruiſti, vt ille ſibi nimium fortis, ac prope durus, videretur? Nec dubito, quin agitauerit ſecum, an gubernacula retorqueret: & feciſſet, niſi quod paene ipſo contubernio principis felicius iucundiusque eſt, deſiderare principem. Et ille quidem vt maxima

4 5 6

3. *confuſionem tuam*) Vid. ad l. V. epiſt 5. n. 1. dictata.

4. *amicitiae ſpecula*) Specula, vnde ſpectamus & circumſpicimus: & quum Traianus amicum diſcedentem ex littore eminentiore proſequutus eſt oculis, illud *ſpecula amicitiae* appellatur.

5. *qua meruiſti*) o Caeſar.

vt ille) diſcedens praefectus.

nimium fortis, ac prope durus) pertinax & prope inhumanus.

niſi quod felicius eſt) Vſus vocum *niſi quod*, pro *praeterquam quod, nur daſs*, neque rarus, nec inelegans eſt, ideo ab Valla Eleg. II. c. 19. ex Quintiliano V. c. 11. & a Turſellino ex Cic. XIII. epiſt. 1. commendatus. Adde Curt. IV. c. 14. n. 22. At hoc loco videtur *quod* redundare, aut, ſi inciditur inter *niſi* & *quod*, aliquid in ſine deeſſe, *deſiderare principem*, puta *maluiſſet*, aut ſimile. Ergo *niſi quod* h. l. vt ſingulare, notari meretur.

deſiderare principem] quia deſiderium abſentis rei fru-

fructus susceptι, ita maiore depositi officii gloria fruitur: tu autem facilitate ista consequutus es, ne quem retinere videaris inuitum.

LXXXVII. Ciuile hoc erat & parenti publico conuenientissimum, nihil cogere, semperque meminisse, nullam tantam potestatem cuiquam dari posse, vt non sit gratior potestate libertas. 2 Dignus es, Caesar, qui officia mandes deponere optantibus; qui petentibus vacationem, inuitus quidem, sed tamen tribuas; qui ab amicis orantibus requiem, non te relinqui putes; qui semper inuenias & quos ex otio reuoces, & quos otio 3 reddas. Vos quoque, quos parens noster familiariter inspicere dignatur, fouete sancte iudicium eius, quod de vobis habet: hic vester labor 4 est. Princeps enim, quum in vno probauit amare se scire, vacat culpa, si alios minus amat. Ipsum quidem quis mediocriter diligat, quum leges amandi non det, sed accipiat? Hic praesens, ille mauult absens amari: vterque ametur, vt ma-

---

omnes suauitates scrutatur, quas praesens vsus negligentius habet.

6. *maxima fructus susceptι*) ex familiaritate principis, Liuineius *maxino fructu* commendat.

LXXXVII. 1, *tantam potestatem*) vt reuera ingens potestas erat praefecti praetorio.

libertas) otium & vita sine publico munere.

3. *Vos quoque*) senatores.

fouete sancte) cum reuerentia & honore omnia agite, quae ad alendum illud & conseruandum conferunt.

quum in vno probauit) In hoc praefecto experimentum dedit, quantum bonos amet. Si qui ergo minus amantur, princeps culpa vacat, qui optimos tantum impensius amat, non alios, qui optimi esse non contendunt.

mult:

uult: nemo in taedium praesentia, nemo in ob
liuionem absentia veniat. Tenet quisque locum, 5
quem semper meruit; faciliusque est, vt oculis
eius vultus absentis, quam vt animo caritas ex-
cidat.

LXXXVIII. Plerique principes, quum essent
ciuium domini, libertorum erant serui: horum
consiliis, horum nutu regebantur: per hos au-
diebant, per hos loquebantur: per hos praetu-
rae etiam, & sacerdotia, & consulatus, immo &
ab his, petebantur. Tu libertis tuis summum 2
quidem honorem, sed tamquam libertis habes,
abundeque sufficere his credis, si probi & frugi
existimentur. Scis enim, praecipuum esse indi-
cium non magni principis; magnos libertos.
Ac primum neminem in vsu habes, nisi aut tibi, 3
aut patri tuo, aut optimo cuique principum, di-
lectum: statimque hos ipsos quotidie, deinde ita
formas, vt se non tua fortuna, sed sua metiantur:
& tanto magis digni, quibus honor omnis prae-
stetur a nobis, quia non est necesse. Iustisne de 4

LXXXVIII. 1. *Plerique principes*) Claudius, Galba, Vitellius. *Lipsius*. De Claudio Seneca, Ludo de morte eius sub finem: *Anteceſſerat compendiaria via Narciſſus libertus, dominus domini.*

2. *ſummum quidem honorem*) non absolute summum: sic enim nihil differret a Claudio Traianus: sed qui summus est pro conditione libertorum, seu quantus praestari libertis decet. Ideo post ita restringitur, *ſed tamquam libertis*. Non ergo est, quod cum Lipsio *ſuum* legamus.

3. *ſua*) cogitent se esse quidem in principis comitatu, sed tamen vt serui manumissi. *Herz.*

non eſt neceſſe) sicut sub prioribus imperatoribus gravissimi viri liberti cuiusdam gratiam submisse ambi-

cauſſis S.P.Q.R. OPTIMI tibi cognomen adiecit? Paratum id quidem & in medio poſitum, nouum tamen. Scias neminem ante meruiſſe, quod non
5 erat excogitandum, ſi quis meruiſſet. An ſatius fuit FELICEM vocare? quod non moribus, ſed fortunae datum eſt. Satius MAGNVM? cui plus inuidiae, quam pulcritudinis ineſt. Adoptauit te optimum princeps in ſuum, ſenatus in OPTIMI
6 nomen. Hoc tibi tam proprium, quam paternum, nec magis definite diſtincteque deſignat, qui Traianum, quam qui Optimum appellat, vt olim frugalitate Piſones, ſapientia Laelii, pietate Me-

---

re cogebantur, vti ex Tacito paſſim patet. conf. Hiſt. III. 47. *Herz.*

4. *Optimi tibi cognomen*) Verum cognomen & proprium Traiani, vsque adeo, vt Graeci etiam ſuis litteris expreſſerint. Dio ſeu Xiphilinus p. 249. ἠβούλήθη Ὄπτιμον, εἴτ' ὂν ἄριστον, ἐπωνόμασεν.

in medio poſitum) ita vt ab antecedentibus imperatoribus etiam potuiſſet acquiri. Sicut praemium in ludis ponebatur olim in medio, cedens optime pugnanti. *Herz.*

nouum) quia priores principes comparare iſtud nomen neglexerant. *Herz.*

5. *Felicem*) vt Sylla, de quo Velleius II. c. 27. *Felicis cognomen adſumſit.*

Magnum] vt Pompeius Cic. pro Arch. c. 10. *Quid noſter hic Magnus?* Adde, ſi lubet, quae ibi adſcripſimus.

6. *frugalitate Piſones*) Piſones, nobiles Romani, Calpurniae gentis, & in his Piſo Frugi, a frugalitate cognominatus. Plinius alter lib XXXIII. c. 2. extr. *Piſo Frugi filium ex priuata pecunia donauit.* Id quod plenius expoſitum vide apud Val. Max. l. IV. c. 1 n. 10.

ſapientia Laelii) C. Laelius iunior, Africani iunioris amiciſſimus, ex ſapientia cognomen habuit. Cicero pro Muraena c. 31. *Quis C. Laelio ſapientior:* & III. telli

telli monstrabantur: quae simul omnia vno isto nomine continentur. Nec videri potest optimus, nisi qui est omnibus optimis in sua cuiusque laude praestantior. Merito tibi ergo post ceteras appellationes haec est addita, vt maior. Minus est enim Imperatorem & Caesarem & Augustum, quam omnibus imperatoribus, & Caesaribus, & Augustis esse meliorem: ideoque ille parens hominum deorumque, OPTIMI prius, deinde MAXIMI nomine colitur: quo praeclarior laus tua, quem non minus constat optimum esse, quam maximum. Adsequutus es nomen, quod ad alium transire non possit, nisi vt appareat in bono principe alienum, in malo falsum: quod licet omnes postea vsurpent, semper tamen agnoscetur vt tuum. Etenim, vt nomine AVGVSTI admonemur eius, cui primum dicatum est; ita haec OPTIMI appellatio nunquam memoriae hominum sine te recurret: quoticsque posteri nostri OPTIMVM aliquem vocare cogentur, toties recordabuntur, quis meruerit vocari. 7 8 9 10

LXXXIX. Quanto nunc, dine Nerua, gaudio frueris, quum vides & esse optimum & dici, quem tamquam optimum elegisti! quam laetum tibi,

Nat. Deor. c. 2. *Habeo C. Laelium augurem eumdemque sapientem*

pietate Metelli) Metellus Pius, Numidici filius, cognomen consequutus ex pietate in patrem, quem lacrymis ab exsilio reduxerat. *Valer. Max. l. V. c. 2. n. 9.*

6. *in bono principe*) i. e. si princeps arrogaturus sibi nomen *optimi* fuerit *bonus*, tunc nomen habebit, quod tibi est proprium & sic alienum a se: sin *malus* superbire hoc nomine voluerit, tunc *falsum* erit nomen. *Herz.*

quod comparatus filio tuo vinceris! Neque enim alio magis approbatur animi tui magnitudo, quam quod optimus ipse non timuisti eligere me-
2 liorem. Sed & tu, pater Traiane, (nam tu quoque, si non sidera, proximam tamen sideribus obtines sedem) quantam percipis voluptatem, quum illum tribunum, illum militem tuum, tantum imperatorem, tantum principem cernis? cumque eo, qui adoptauit, amicissime contendis, pulcrius
3 fuisse genuisse talem, an elegisse? Macte vterque ingenti in rempublicam merito, cui hoc tantum boni contulistis. Licet alteri vestrum filii virtus triumphalia, coelum alteri dederit, non minor tamen vestra laus, quod ista per filium, quam si ipsi meruissetis.

XC. Scio, P. C. cum ceteros ciues, tum prae-

LXXXIX. 1. *non timuisti*) Quod Augustus fecisse a quibusdam arguitur, Tiberium successorem eligendo, vt comparatione deterrima sibi gloriam augeret. *Tacit. I. ann. c.* 10.

2. *pater Traiane*) pater Traiani imperatoris naturalis.

si non sidera, proximam tamen) Neruae, vt diuo seu consecrato, in sideribus sedem dat: naturali patri, consulari viro & triumphali, sedem sideribus proximam. Manilius lib. I. v. 800.

Altius aethersi qua candet circulus orbis,
Illa deum sedes: haec illis proxima, diuum
Qui virtute sua similes vestigia tangunt.

Adde, quae praecesserunt, ab versu 761.

illum tribunum) Tribunus militum Traianus sub patris ducatu fuerat. *Supra* cap. 15.

3. *filii virtus triumphalia*) Cap. 14. dicitur filius Traianus patris gloriam Parthica lauro auxisse.

coelum alteri dederit) consecratione Neruam deum fecit.

cipue

cipue consules, oportere sic adfici, vt se publice magis, quam priuatim, obligatos putent. Vt enim malos principes rectius pulcriusque est ex communibus iniuriis odisse, quam propriis; ita boni speciosius amantur ob ea, quae generi humano, quam quae hominibus, praestant. quia tamen in consuetudinem venit, ut consules publica gratiarum actione perlata, suo quoque nomine, quantum debeant principi, profiteantur, concedite, me non pro me magis munere isto, quam pro collega meo Cornuto Tertullo C. V. fungi. Cur enim non pro illo quoque gratias agam, pro quo non minus debeo? praesertim quum indulgentissimus imperator in concordia nostra ea praestiterit ambobus, quae si tantum in alterum contulisset, ambos tamen aequaliter obligasset. Vtrumque nostrum ille optimi cuiusque spoliator & carnifex stragibus amicorum, & in proximum iacto fulmine adflauerat. Iisdem enim amicis

2

3

4

5

XC. 1. *sic adfici*] sic adfectos esse, vt magis se beneficiis in rempubl. quam in se collatis, obligatos principi putent.

2. *quae generi humano, quam quae hominibus*) quae totius societati ac reipublicae, quam quae priuatis & singularibus hominibus.

3. *perlata*) habita.

Cornuto Tertullo) Vide lib. V. epist. 15. n. 5.

C. V.] lege, clarissimo viro; non, consulari, vt a multis editum est. Tertullus enim tum consul erat & collega Plinii, non consularis, hoc est, consulatu defunctus. Extremo panegyrico: *vt me consulem, & mox consularem.* Immo Liuineius sic in antiquo libro per notas scriptum inuenit.

5. *spoliator & carnifex*) Domitianus.

stragibus amicorum) lib. III. epist. 11. n. 3.

gloriabamur, eosdem amissos lugebamus: ac sicut nunc spes gaudiumque, ita tunc communis nobis dolor & metus erat. Habuerat hunc honorem periculis nostris diuus Nerua, vt nos, etsi minus, vt bonos tamen promouere vellet, quia mutati seculi signum & hoc esset, quod florerent, quorum praecipuum votum ante fuerat, vt memoriae principis elaberentur.

XCI. Nondum biennium compleramus in officio laboriosissimo & maximo, quum tu nobis, optime principum, fortissime imperatorum, consulatum obtulisti, vt ad summum honorem gloria celeritatis accederet. Tantum inter te & illos principes interest, qui beneficiis suis commendationem ex difficultate captabant, gratioresque accipientibus honores arbitrabantur, si prius illos desperatio, & taedium, & similis repulsae mora, in notam quamdam pudoremque vertissent. Obstat verecundia, quo minus percenseamus, quo vtrumque nostrum testimonio ornaris, vt amore recti, amore reipublicae priscis illis consulibus aequaueris. Merito necne, neutram in partem decernere audeamus: quia nec fas est adfirmationi tuae derogare, & onerosum confiteri vera esse, quae de nobis, praesertim tam magnifica, dixisti. Tu tamen dignus es, qui eos

6. *etsi minus, vt bonos*) Lipsio vlcus insanabile videtur, qui aliquando cogitauit, *etsi minus notos, vt bonos.*

XCI. 1. *in officio laboriosissimo*) praefectura aerarii Saturni, lib. V. epist. 15. n. 5. & lib. X. epist. 20. n. 1.

2. *in notam quamdam*) in ignominiam.

4. *onerosum*) cap. 24. pr. & 78. n. 4.

com-

consules facias, de quibus possis ista praedicare. Tribuas veniam, quod inter haec beneficia tua gratissimum est nobis, quod nos rursus collegas esse voluisti. ita caritas mutua, ita congruens te- 6
nor vitae, ita vna eademque ratio propositi postulabat: cuius ea vis, vt morum similitudo concordiae nostrae gloriam minuat: ac perinde sit mirum, si alter nostrum a collega, ac si a se ipso, dissentiat. Non ergo temporarium & subitum 7
est, quod vterque collegae consulatu, tamquam iterum suo gaudet: nisi quod tamen, qui rursus consules fiunt, bis quidem, sed temporibus diuersis obligantur: nos duos consulatus accipimus simul, simul gerimus, alterque in altero consules, sed iterum & pariter sumus.

XCII. Illud vero quam insigne, quod nobis praefectis aerario consulatum ante, quam successorem dedisti? Aucta est dignitas dignitate: neque continuatus tantum, sed geminatus est honor, finemque potestatis alterius, tamquam parum esset excipere, praeuenit. Tanta tibi in- 2
tegritatis nostrae fiducia fuit, vt non dubitares, te salua diligentiae tuae ratione esse facturum, si nos post maximum officium priuatos esse non sineres. Quid? quod eumdem in annum con-

5. *rursus collegas*) in consulatu, qui antea in praefectura aerarii fuerant.

7. *tamquam iterum suo*) quia amici honor quasi noster quoque est.

XCII. 1. *dignitas dignitate*) dignitas praefecturae dignitate consulatus.

geminatus est honor) quia consules designabantur, antequam abirent praefectura.

2. *eumdem in annum*) quo tu, Traiane, consul eras.

sulatum nostrum contulisti? Ergo non alia nos pagina, quam te consulem accipiet: & nostra quoque nomina addentur fastis, quibus ipse 3 praescriberis. Tu comitiis nostris praesidere, tu nobis sanctissimum illud carmen praeire dignatus es: tuo iudicio consules facti, tua voce renuntiati sumus, vt idem honoribus nostris suffragator in curia, in campo declarator exsisteres. 4 Nam quod eum potissimum mensem attribuisti, quem tuus natalis exornat, quam pulcrum nobis? quibus edicto, quibus spectaculo celebrare continget diem illum triplici gaudio laetum, qui principem abstulit pessimum, dedit optimum, melio- 5 rem optimo genuit. Nos sub oculis tuis augustior solito currus accipiet; nos inter secunda

---

pagina) fastorum consularium.

addentur fastis) addentur, non praescribentur, quia non ordinarii consules erant, sed honorarii, calendis Septembribus demum suffecti.

comitiis nostris) quo nos consules creati.

sanctissimum illud carmen) cap. 63. n. 2.

4. *eum potissimum mensem*) Septembrem, vti mox patebit.

quibus) quibus, i. e. nobis nouis consulibus continget, edicto indicere ludos atque ferias propter natalem tuum.

diem illum triplici gaudio) XIV. Calend. Octob. quo interfectus est Domitianus, vt Suetonius refert; & Nerua imperium suscepit: qui ipse dies singulari fortuna natalis Traiano erat. Hoc si incredibile videatur, *gignere* & *natalis* de adoptione, quod durius quidem, interpretari per translationem liceat.

abstulit pessimum) Domitianum.

dedit optimum) Neruam.

meliorem optimo) Traianum.

5. *augustior solito currus*) Magistratus, qui ludos omni-

omina, & vota certantia, quae praesenti tibi conferentur, & vehemur alacres & incerti, ex vtra parte maior auribus nostris accidat clamor.

XCIII. Super omnia tamen praedicandum videtur, quod pateris consules esse, quos fecisti: quippe nullum periculum, nullus ex principe metus consulares animos debilitat & frangit; nihil inuitis audiendum, nihil coactis decernendum erit. Manet manebitque honori veneratio sua; nec securitatem auctoritate perdemus. Ac si 2
quid forte ex consulatus fastigio fuerit diminutum, nostra haec erit culpa, non seculi. Licet enim, quantum ad principem, licet tales consules agere, quales ante principes erant. Vllamne tibi pro beneficiis referre gratiam parem possiu- 3

---

praebebant, curru sublimes in circum vehebantur, & ex curru ludos ordinabant. Iuuenalis Satyr. X. v 36.

Quid, si vidisset praetorem curribus altis
Exstantem, & medio sublimem in puluere Circi.

Et Satyra XI. v. 192. *similisque triumpho*
Praeda caballorum praetor sedet.

Symmachus lib. VI. epist. 40. (Iureto 41.) *bigas* vocat, quibus consul natali vrbis inuectus fuit. Tacitus annal. l. c. 15. tribunis pl. Augustales ludos edentibus, datum esse ait, *vt per circum triumphali veste vterentur, curru vbi haud permissum*, ne scilicet, quod Lipsius obseruat, prorsus aequarentur potestati maiori, hoc est, praetori aut consuli. Et quia praetore maior consul, idcirco etiam huius currus *soliro* (praetorio) augustior hoc loco dicitur.

ex vtra parte) ex vtro latere Circi.

XCIII. 1. *consules esse*) vti auctoritate & potestate consulari libere ac sine periculo.

securitatem auctoritate) quia sub malo principe vix in obscuro agentibus licet securis esse.

mus, nisi tantum illam, vt semper nos meminerimus consules fuisse, & consules tuos? Ea sentiamus, ea censeamus, quae consularibus digna sunt: ita versemur in republica, vt credamus esse
4 rempublicam. Non consilium nostrum, non operam subtrahamus, nec disiunctos nos, & quasi dimissos consulatu, sed quasi adstrictos & deuinctos putemus, eumdemque locum laboris & curae, quem reuerentiae dignitatisque, teneamus.

XCIV. In fine orationis praesides custodesque imperii deos ego consul pro rebus humanis, ac te praecipue, Capitoline Iupiter, precor, vt beneficiis tuis faueas, tantisque muneribus ad-
2 das perpetuitatem. Audisti, quae malo principi precabamur; exaudi, quae pro dissimillimo optamus. Non te distringimus votis: non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes oramus, non honores: simplex cunctaque ista complexum vnum omnium votum est, SA-
3 LVS PRINCIPIS. Nec vero noua tibi iniungimus. Tu enim iam tunc illum in tutelam recepisti, quum praedonis auidissimi faucibus eripuisti. Neque enim sine auxilio tuo, quum altissima quaeque quaterentur, hic, qui omnibus excelsior erat, inconcussus stetit. Praeteritus est a pessimo prin-

3. *& consules tuos*) a te creatos.

4. *disiunctos & quasi dimissos*) quasi propter honoris sublimitatem immunes a laboribus simus, vt solent emeriti ac functi magistratu.

XCIV. 2. *distringimus votis*) plura & diuersa simul petimus.

3. *praedonis auidissimi*] Domitiani.

praeteritus a pessimo) a Domitiano, ne occideretur.

cipe,

cipe, qui praeteriri ab optimo non potuit. Tu 4
clara iudicii tui signa misisti, quum proficiscenti
ad exercitum tuo nomine, tuo honore cessisti.
Tu voce IMPERATORIS, quid sentires, loquu-
tus, filium illi, nobis parentem, tibi pontificem
maximum elegisti. Quo maiore fiducia iisdem 5
illis votis, quae ipse pro se nuncupari iubet, oro
& obtestor, si bene rempublicam, si ex vtilitate
omnium regit, primum vt illum nepotibus no-
stris ac pronepotibus serues; deinde vt quando-
que successorem ei tribuas, quem genuerit, quem
formauerit, similemque fecerit adoptato; aut,
si hoc fato negatur, in consilio sis eligenti, mon-
stresque aliquem, quem adoptari in Capitolio
deceat.

XCV. Vobis P. C. quantum debeam, publicis
etiam monimentis continetur. Vos mihi in tri-
bunatu quietis, in praetura modestiae; vos in

---

praeteriri ab optimo non potuit) a Nerua quin adoptaretur.

4. *Tu clara*] Tu Iupiter. Hunc pergit alloqui. *Clara signa*, omina ex *imperatoris* nomine.

proficiscenti) Traiano in Germaniam proficiscenti ad exercitum.

tuo nomine) imperatoris nomine, quod Iouis erat, clamatum a populo, quum forte limen Capitolii Traianus intraret. *Supra cap. 5.*

loquutus) Quod turba clamauit, Ioui tribuitur, quasi instinctu illius hoc omen populus ediderit, vt *imperator* clamaretur, quum forte Traianus succederet.

XCV. 1. *publicis monimentis*] Actis senatus & publicis tabulis.

in tribunatu) Honores hinc Plinii suppleri possunt. Tribunus enim plebis fuit, deinde praetor, post prae-

istis officiis etiam, quae e studiis nostris circa tuendos socios iniunxeratis, cuncti constantiae
2 antiquissimum testimonium perhibuistis: vos proxime destinationem consulatus mei his acclamationibus approbauistis, vt intelligam, etiam atque etiam enitendum mihi, vt hunc consensum vestrum complectar, & teneam, & in dies au-
3 geam. Etenim memini tunc verissime iudicari, meruerit quis honorem, necne, quum adeptus est.
4 Vos modo fauete huic proposito, & credite, si cursu quodam prouectus ab illo insidiosissimo principe, antequam profiteretur odium bonorum, postquam professus est, subsiti; quum viderem, quae ad honores compendia paterent, longius iter malui: si malis temporibus inter moestos & pauentes, bonis inter securos gaudentesque numeror: si denique in tantum diligo optimum principem, in quantum inuisus pessimo
5 fui. Ego reuerentiae vestrae sic semper inseruiam, non vt me consulem, & mox consularem, sed vt candidatum consulatus putem.

---

fectus aerarii, consul, & tandem *augur*, quod ex lib. IV. epist. 8. addendum

3. *quum adeptus est*) quum gerit remp.

4. *si cursu quodam*) Sieh *quondam*.

insidiosissimo principe) Domitiano, sub quo tribunus & praetor fuit.

subsiti) consulatum non petii.

compendia) malae artes, delationes.

longius iter) meliorum temporum exspectationem. Longum sic iter compendiis malis opponit.

5. *me consulem, & mox consularem*) En discrimen consularis & consulis. Ille enim, qui functus est consulatu, vt diximus ad cap. 90. n. 3.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM.

Primus numerus Librum: secundus Epistolam: tertius epistolae Sectionem: P Panegyricum: & adiecti numeri Caput & Paragraphum significant: N ad Notas simul respicere iubet.

Acanthus in horto aut villa 5, 6, 16
Accia Variola exheredata 6, 13
a Plinio defensa ibid.
Accius, *vide* Actius.
acclamatio conducta 2, 14, 4 sq.
acclamationes in curia 4, 9, 18. P. 3, 1
accusationes voluntariae 3, 4, 5, sub malo principe infames 3, 7, 3
Achaia prouincia 8, 24, 2, n
Acilius Glabrio 1, 14, 6, n
Rutus, Cos. desf. 5, 20, 6
Acilianus Minutius 1, 14, 3
Acilliani codicilli 2, 16, 1
acta publica 5, 14, 8 P. 75, 1
actio bona *forensis* 7, 20, 9. differt ab oratione bona ibid.
actionis oratoriae vis 2, 3, 9 sq. & 2, 19, 4
Actius poeta 5, 3, 6
adolescentes castigandi qualiter 9, 12
a quo instituantur, multum refert 3, 3, 2
sunt in lubrico aetatis 3, 3, 4
aduocati nouitii 2, 14, 4
aduocatis modus positus in accipienda pecunia 5, 21, 5, n
Aedes Concordiae 5, 1, 9.
Matris Deum 10, 59
aegrotationis vtilitas 7, 26
Aegypti fertilitas P. 30
ventosa natio. P. 31, 2
in Aegyptum nauigarunt, qui sanguinem reiiciebant 5, 19, 6, n
Aemilia via non vna 5, 15, 1, n eius curator, ibid.
Plinius non fuit curator 5, 15, 2, n
